This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

WIDENER LIBRARY
HX J8SG Z

Ital 4838.1.6

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

VE RI
TAS

FROM THE FUND OF
CHARLES MINOT
CLASS OF 1828

ECCLESIÆ VENETÆ
ANTIQUIS MONUMENTIS
NUNC ETIAM PRIMUM EDITIS ILLUSTRATÆ
AC IN DECADES DISTRIBUTÆ.

AUTHORE

FLAMINIO CORNELIO

SENATORE VENETO.

DECADIS UNDECIMÆ PARS PRIOR.



VENETIIS,

EX LIBRIS
F. Andreæ de Venetiis

MDCCXXXXIX.

Cujus Anima ſit
in Pace.

Typis Jo: BAPTISTÆ PASQUALI

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

54

~~III, 1081~~
Ital 4838.1.6

1881, May 16.
Minot fund.

2762
51

PRÆFATIO.

QUO tempore inſanus furor, & teterrima peſtis civilium bellorum Italas urbes invaſit, & civibus communi Patria utentibus arma in mutuas clades exacuit, factum eſt ex ipſa rerum conſenſione, ut etiam Eccleſia Dei non uno ſchismate, eoque diro miſerandum in modum diſcerperetur. Hinc illa civilis, & Eccleſiaſtici ſtatus acerba profligatio ac ſubverſio, quæ ſapientiſſima inſtituta, & religioſas majorum ſanctiones partim delevit, partim vel infirmavit, vel omnino corrupit. Religioſæ ipſæ familiæ a viris ſanctiſſimis conſtitutæ, & legibus Divino conſilio poſitis communitæ communem hanc labem expertæ a priſtina diſciplina magnopere declinarunt. Propterea nihil mirum, ſi fulgentiſſimus in Eccleſia Patrum Prædicatorum Ordo eam tunc temporis calamitatem contraxit, quæ cæteros omnes vitiaverat, & arctam vivendi formam laxavit, quam Sanctus Dominicus author, & Pater præſcripſerat, & morti proximus Benedictione præſentibus, & futuris filiis impertita tantopere commendaverat.

At in ejusdem Ordinis gloriam, & decus maximum recidit, quod ex ſuomet gremio confeſtim viros eximios protulerit, qui ſolerti ſtudio contra graſſantem

morbum opportuna remedia adhiberent, ne latius virus ſerperet, atque collapſa in ſuis clauſtris diſciplina ad priſtinum fervorem, nitoremque reſtitueretur. Duo præ cæteris prudentiæ laude, vitæ ſanctimonia, & conſtantia in adverſis, præclara lumina emicuerunt Beatus Thomas Senenſis, qui Catharinæ Concivi ſuæ Sanctiſſimæ Virgini fuerat a confeſſionibus, & Beatus Joannes de Dominicis Florentinus, quem alibi, ut par erat, cum laude commemoravimus, quique a Gregorio XII. inter Cardinales cooptatus fuit. Utriusque zelum Urbs noſtra omnium Italiæ prima eſt admirata, & prima uberrimum laborum, quos ſuſceperant, fructum abunde percepit. Siquidem in Cœnobio Sancti Dominici de Caſtello regularem obſervantiam florentem pridem, ſed temporum vicibus aliquanto proſtratam feliciter erexerunt. Ab hoc deinde Veneto Cœnobio veluti a Metropoli deductæ ſunt in aliis Monaſteriis Religioſorum hominum Coloniæ, quæ fauſtis auſpiciis diſciplinam, & morum auſteritatem apud ſuos inſtaurando novam Ordini ſuo lucem ingenti cum Eccleſiæ bono conciliarunt.

Hoc itaque vel ſolo nomine in Faſtis ejusdem Ordinis celebrari poſſunt Venetiæ. Sed & alii accedunt neque obſcuri, neque mediocres tituli, quibus Urbs noſtra ſe ſe in illis efferat. Nam ut viros ommitam ex noſtris, qui litteris, & ſanctimonia, infulis etiam Eccleſiaſticis claruerunt, & ſacræ Prædicatorum familiæ gloriam auxerunt, illud omnibus compertum, & exploratum eſſe debet, Ordinem de Pœnitentia, quem

etiam

etiam Tertium Ordinem S. Dominici paſſim vocant, eo quia Sanctum Dominicum veluti Patrem, ut mox videbimus, agnoſcit, ab uno potiſſimum ex ſupralaudatis viris Venetiis inductum, propagatumque fuiſſe. Scilicet Beatus Thomas a Senis novos etiam in Veneta Urbe Filios inſtituto huic præclariſſimo adoptandos ratus, eamdem ipſis Spiritus alacritatem, & morum conformationem communicavit, quam in Diſcipula olim ſua, & concive Catharina admiratus fuerat, atque ipſe primus animo hauſerat.

Atque hæc quidem omnia, cum in Venetæ Eccleſiæ commendationem veniunt, & Cœnobia Sancti Dominici, & Sanctorum Joannis & Pauli mirifice illuſtrant, tum originem primam oſtendunt, a qua repeti debet perexiguum quidem, ſed virtutum laude nulli ſecundum Aſceterium Monialium Tertii Ordinis S. Dominici, quod in Parœcia S. Martini ſitum eſt, & nuper ſub Principis Petri Grimani & ſucceſſorum ejus, authoritate & tutela ſuſceptum fuit. Porro iſthæc omnia luculenter eſt proſequutus B. idem Thomas Senenſis in duobus opuſculis, quorum alterum inſignis Bibliotheca Cœnobii Sanctorum Joannis & Pauli, inter pretioſam aliorum Manuſcriptorum ſuppellectilem aſſervat: & alterum adſervatur in Bibliotheca Fratrum Forojulienſium Prædicatorum de Obſervantia. Propterea utilem inſtituto meo, glorioſam Patriæ, & pergratam univerſo Prædicatorum Ordini me rem facturum putavi, ſi illa ipſa opuſcula in lucem proferrem. Illud etiam me impulit, quod ab hoc authore doctrina ſimul, & pietate

tate præſtanti poterit Lector addiſcere, quam admirabili, ſed certo providentiæ conſilio D. O. M. opera ſua contra hominum expectationem, & temporibus, ut nos arbitramur, adverſis, ad perfectionem adducat, nec ullum in Eccleſia ſua malum ingraveſcere permittat, cui opportunum auxilium non afferat ſtatim, & admoveat.

Cum Documento B pag. 360. parum ſolerti Amanuenſium cura falſo titulus inſcriptus fuerit in hæc verba : *Alexander VIII.* &c. illius loco, quem ſubjicio, reponendus erit

Delegati Apoſtolici ſuper retaxatione decimarum liberant Sorores Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Dominici Venetiarum a ſolutione Decimarum.

B 1566. 22. Januarii.

Ex Autographo apud Sorores Tertii Ordinis S. Dominici.

ALEXANDER P.P. VIII.

INDEX

INDEX

PARTIS PRIORIS

UNDECIMÆ DECADIS.

De Monaſterio Sanctorum Joannis & Pauli, ubi & de Sodalitio Sancti Marci Evangeliſtæ. Pag. 235

De Monaſterio Sancti Dominici de Caſtello. 304

De Monaſterio Sanctiſſimi Roſarii Sororum Tertii Ordinis de Pœnitentia Sancti Dominici. 353



INCI-

INCIPIT QUIDAM TRACTATUS (*a*)

Super informatione originis, & proceſſus, ac plenariæ approbationis, & confirmationis Fratrum, & Sororum Ordinis de Pœnitentia Sancti Dominici Fundatoris, & Patris Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Prima Pars principalis totius Tractatus.

AD evidentiam aliqualem habendam, & informationem ſtatus Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici, Patris Fratrum Ordinis Prædicatorum, pateat omnibus, præſentes literas inſpecturis, qualiter ego Fr. Thomas de Senis una cum Rev. Pat. & Magiſtro Bartholomeo (*b*) etiam de Senis, ambo de Ordine Prædicatorum, anno Dom. MCCCCII. (*c*) in Venetiis exiſtentes, & in quantum valuimus, diligentius inquirentes de dicto ſtatu, reperimus tam quantum ad initium, quam proceſſum ejusdem, taliter ſe habere hucusque, videlicet.

Siquidem in octavo Capitulo primæ partis Legendæ cujusdam Venerabilis Virginis Beatæ Catharinæ de Senis, Sororis ſupradicti ſtatus, & habitus (Quam Legendam compoſuit Rev.

(*a*) Nunc primum *Tractatus* iſte *De informatione ſtatus Fratrum & Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici*, in lucem prodit ex codice Membran. in Fol. quem ſervat Veneta SS. Joannis & Pauli Bibliotheca Ord. Præd.

(*b*) Utriusque Viri illuſtris *Thomæ Antonii*, & *Bartholomæi Dominici*, amborum *de Senis* Elogia refert Echardus inter Scriptores Ordinis Prædicatorum. In hocce unum conficiendum Opus ambo diligentiam, & induſtriam collocarunt.

(*c*) Adnotandus eſt *annus* MCCCCII. In Editionibus, quæ pluries curatæ ſunt, Conſtitutionum Fratrum Præd. proſtat *Regula Fratrum & Sororum Tertii Ordinis*, eidemque præmiſſa legitur breviſſima hujuſce Tractatus Epitome, quæ Incipit: *Patet omnibus &c.* Effertur *annus* MCCCCXXII. qui ſine dubio laborat vitio, Annus enim numerandus eſt MCCCCII. prout exhibet Codex noſter, & evidenter innoteſcit ex Serie Tractatus, & ex Documentis mox recenſendis.

Rev. Fr. Raymundus de Capua, Sacræ Theologiæ Profeſſor, & totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, & quod Capitulum incipit: *Cunctis volentibus legere* &c. ſic habetur.

„ Notum facio (*a*) quod prout legi pariter, & audivi a fi-
„ de dignis in diverſis Italiæ partibus, geſtaque Beatiſſimi
„ Patris noſtri Sancti Dominici teſtantur, ipſe glorioſus Fi-
„ dei Catholicæ pervigil, ac Chriſti athleta, Beatus Domi-
„ nicus, ſicut totus (*b*) zelator boni ſtatus Eccleſiæ Militan-
„ tis, quamvis per ſe, ac ſuos fratres, tam in Tholoſa, quam
„ in Lombardia hæreticos triumphaliter debellaſſet, ita ut,
„ ſicut fuit tempore Canonizationis coram Summo Pontifice
„ probatum legitime centum millia hæreticorum, & ultra
„ converſi fuerint in Lombardia tam doctrina, quam mira-
„ culis ſuis; Nihilominus tamen tam infecerat mentes ho-
„ minum dictorum hæreticorum doctrina venenoſa, quod fe-
„ re omnia jura Eccleſiarum erant per Laicos occupata, qui
„ poſſidebant quaſi hæreditario jure: ex quo cogebantur Pon-
„ tifices mendicare, nec ullam habebant potentiam, per quam
„ poſſent errori reſiſtere, nec etiam Clericos, aut pauperes
„ valebant ſecundum ſui officii debitum nutriendo juvare:
„ Quod Sanctus Pater zelotypa mente cernens, & ſuſtinere
„ non valens, qui pro ſe, ſuisque ſequacibus extremam ele-
„ gerat paupertatem, cœpit pro divitiis recuperandis Eccle-
„ ſiæ decertare (*c*). Advocans igitur aliquos Laicos, Deum
„ timentes, & ſibi præcipua devotione affectos, & notos, cœ-
„ pit cum eis tractare de ordinando quamdam Militiam, quæ
„ haberet jura Eccleſiarum recuperare, ſimul & defenſare,
„ nec non & reſiſtere fideliter hæreticæ pravitati, quod &
factum.

(*a*) Vide Acta Sanctorum ad diem xxx. Aprilis, in Vita S. Catharinæ Senenſis Cap. IV. primæ Partis n. 77.

(*b*) Totus zelator: lectio germana, & ſincera ex codice, pro qua apud Biographos Antuerpienſes legitur: *Sacer lator*.

(*c*) *Et ſuſtinere non valens, qui pro ſe ſuisque ſequacibus extremam elegerat paupertatem, cœpit pro divitiis recuperandis Eccleſiæ decertare*. Apud Bollandianos, qui ex viciato fortaſſe apographo tranſcripſerunt, ſic legitur. *Et ſuſtinere non valens, quam pro ſe ſuisque ſequacibus eximiam elegerat paupertatem, cœpit pro Eccleſiæ divitiis decertare*. Integrum expende locum, ac ſenſus erit: Beatum Dominicum ſuſtinere non valuiſſe, non extremam, quam cum ſuis ſequacibus paupertatem elegerat, ſed bona Eccleſiarum occupata ab Hæreticis detineri.

„ factum eſt. Nam illos, quos voluntarios reperit, ſic indu-
„ xit, quod juramentum præſtabant ſuper cuncta, quæ dicta
„ ſunt, facere juxta vires, & propter hoc exponere tam per-
„ ſonam, quam illa, quæ poſſidebant. Ut autem a conjugi-
„ bus in hoc opere ſancto impediri non poſſent, faciebat &
„ conjuges, ſeu uxores eorum jurare, quod viros non impe-
„ dirent, ſed potius juxta modum ſuum cooperarentur eis in
„ omnibus poſſibilibus ſibi; promittebatque Sanctus Pater
„ utrique parti copulæ ſervanti hoc ſecurus vitam æternam;
„ vocavit autem eos Fratres de Militia Jeſu Chriſti. Verum
„ ut per aliquod ſaltem ſignum ſecernerentur a cæteris Lai-
„ cis, & aliquid ſupererogatorium operis adderent ultra con-
„ ſuetudinem aliorum, dedit eis colorem habitus proprii, ut
„ ſcilicet tam viri, quam mulieres, quacumque figura ve-
„ ſtium uterentur, album tamen ſemper portarent, & nigrum,
„ ita quod uterque color exterius appareret ad innocentiæ,
„ ac humilitatis indicium. Inſuper aſſignavit eis quemdam
„ taxatum numerum Dominicæ Orationis, & Salutationis An-
„ gelicæ, quem pro qualibet hora canonica deberent quoti-
„ die orando perficere, ut a divino ſervitio non vacarent.
„ Hoc facto, poſtquam Beatus Pater relicto carceris onere,
„ migravit ad cœlum, crebreſcentibus ejus miraculis, Sedes
„ Apoſtolica ipſum Sanctorum Cathalogo adnotans, honoran-
„ dum, & adorandum exhibuit; Univerſi Fratres hi, & So-
„ rores, dicti de Militia Jeſu Chriſti, volentes Ordinatori
„ ſuo jam glorioſo ſingularem reddere gloriam, & honorem,
„ decreverunt mutare nomen, & vocari Fratres de Pœniten-
„ tia Sancti Dominici. Induxit autem eos ſatis ad hoc, quia
„ Beatiſſimi Patris meritis, atque miraculis, necnon & Fra-
„ trum ſuorum laborioſa doctrina jam peſtis hæretica pene
„ defecerat, & neceſſaria non videbatur multum amplius pu-
„ gna exterior, ſed reſtabat tamen, ut per pœnitentiam cum
„ Hoſte interiore pugnarent: propter quod etiam nomen pœ-
„ nitentiæ ſingulariter elegerunt. Demum, creſcente quoti-
„ die turma Prædicatorum fidelium, inter quos, velut ma-
„ tutinum aſtrum, reſplenduit Martyr, & Virgo Petrus, qui
„ occiſus plures hoſtium conculcavit, quam vivens, deleta
„ eſt quaſi totaliter turba vulpecularum, demoliri cupientium
„ vineam Domini Sabaoth, redditaque fuit pax, faciente

„ Domino, Eccleſiæ Sanctæ Dei, quamobrem cauſa illius Mi-
„ litiæ ceſſavit ex toto; ac per conſequens & effectus. Hoc
„ totum in Capitulo ſupradicto. In quodam autem antiquo
„ libello, habito de antiqua Libraria Conventus Senenſis Or-
„ dinis Prædicatorum, reperimus, prout ſequitur, videlicet:
„ Notum debet eſſe omnibus fidelibus Chriſtianis, quod
„ glorioſus Confeſſor Beatus Dominicus, Dux, & Inſtitutor,
„ & primus Magiſter, & Pater Ordinis Prædicatorum, Or-
„ dinem ſuum principaliter inſtituit contra hæreticam pravi-
„ tatem, quæ tam ultra montes, quam citra in multis re-
„ gionibus ita effuderat virus ſuum, & ita erat longe late-
„ que diffuſa, quod in multis locis quaſi videbatur jam ve-
„ ræ, & Catholicæ Fidei prævalere. Non ſolum private, &
„ occulte, ſed & publice, & patenter prædicabant hæretici, &
„ ſcholas habebant, in quibus manifeſte errores ſuos docebant.
„ Et erant multi, & magni falſi Chriſtiani, qui eos in ſua
„ perfidia defendebant. Et idcirco Beatus Dominicus inſtin-
„ ctu Spiritus Sancti cogitavit facere unum Ordinem Laico-
„ rum Catholicorum, in pœnitentia vere viventium, qui
„ eum juvarent ad eorum perfidiam abolendam, & Fidem
„ Catholicam defendendam. Et ideo eos primo appellari vo-
„ luit Fratres Militiæ Jeſu Chriſti, quia videlicet debebant
„ ad defenſionem Fidei Catholicæ contra Diabolum, & ejus
„ ſatellites non ſolum ſpiritualiter, ſed & temporaliter mili-
„ tare, & quando oporteret, militaribus armis, & gladiis Fi-
„ dem defendere Orthodoxam, & hæreticam perfidiam debel-
„ lare. Poſtea vero B. Dominico ad cœleſtia Regna trans-
„ migrante, & ipſo canonizato, & per totum Mundum mi-
„ raculis, & prodigiis corruſcante, placuit Fratribus Prædi-
„ catoribus, (& Summus Pontifex hoc acceptavit:) Quod
„ ille Ordo, qui primo vocabatur Ordo Fratrum Militiæ Je-
„ ſu Chriſti, ut modicum hic infra patebit, quia ſcilicet B.
„ Dominicus eos ſic primitus appellavit; quod etiam propter
„ reverentiam Beati Dominici, ſe appellarent de Militia Je-
„ ſu Chriſti, & Beati Dominici, prout reperimus in quodam
„ libro, in quo eſt Regula, ſecundum quam vivebant tem-
„ pore Militiæ actualis contra hæreticos, qui liber eſt in
„ Conventu Ferrarienſi, & Veneto Ordinis Prædicatorum.
„ In alio autem Privilegio Honorius Papa vocat eoſdem Fra-

tres

„ tres *de Pœnitentia Beati Dominici*, propter rationem ſuperius aſſignatam, comprehendendo etiam & Sorores.

Et quia poſſet quæri, quare nunc in partibus iſtis iſte Status maxime abundare videtur in mulieribus, quam in viris, & pro reſponſione ſciendum; quomodo in ſupradicto octavo Capitulo primæ partis dictæ Legendæ Beatæ Catharinæ ulterius ſic habetur de dictis Sororibus, videlicet: quomodo poſt exordium hujus Status, tempore procedente, & decedentibus hujusmodi Status viris, fæminæ remanentes, propter religioſam vitam, quam cum viris tenuerant, amplius nubere non audentes, ſtatum, quem ſervaverant, continuabant usque ad mortem, quod cernentes aliæ non hujus ſtatus viduæ, quæ decreverant viduitatem ſervare, cœperunt dictas Sorores de Pœnitentia Sancti Dominici velle ſequi, ac earum obſervantiam pro remedio ſuorum peccaminum imitari. Et ex hoc ſuccreſcente etiam fama B. Dominici, & vita ſancta pariter, & Doctrina Fratrum Prædicatorum filiorum ſuorum in diverſis Mundi partibus, paulatim iſte Status, & habitus ſingulariter ſuccrevit in mulieribus non ſolum maritatis, ſed etiam viduis usque ad virgines. Et confirmatur principale propoſitum etiam ex alio: Quoniam cum viri ab exordio hujus ſtatus, tempore videlicet Beati Dominici, principaliter aſſumpſerint dictum ſtatum, ut patet ex dictis, ad hæreticos debellandos, & ad militandum viriliter contra eosdem; hinc eſt, quod, ceſſantibus ex cauſis ſupradictis, hæreticis, non eſt ita conſequenter a multitudine virorum dictus ſtatus proſecutus generaliter, ſicut a mulieribus; & ex hac cauſa hic ſtatus amplius comparet in præſentialibus in mulieribus, quam in viris: quamvis in aliquo loco, vel locis, & ſignanter in Civitate Venetiarum e contra hic ſtatus magis eſt diffuſus in viris hucusque, quam in ipſis mulieribus.

Item ſciendum, quod in præfato libro valde antiquo etiam invenimus quandam regulam, ſeu vivendi formulam, concernentem hunc ſtatum, cum copia unius Privilegii ſupradicti Gregorii Papæ IX. ſive X. (Et hoc quantum ad tempus, quo dictus Status ſortitus eſt nomen Fratrum, & Sororum Militiæ Jeſu Chriſti.) Quæ regula includit, quare viri hujus Status deferebant arma, & deferre poterant cum certis ceremoniis, & exemptionibus, & multis aliis; quem poſtmodum

modum ſumpto alio nomine, videlicet Fratrum & Sororum de Pœnitentia B. Dominici vocaverunt. Eſt autem dicti Privilegii Gregorii talis tenor, videlicet:

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei. *Dilectis Filiis, & Fratribus Militiæ Jeſu Chriſti, per Italiam conſtitutis, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Egrediens &c. Datum Peruſii XI. Kal. Januarii Pontificatus noſtri anno I.* (*a*)

Item-

(*a*) Diploma hoc Gregorii IX. jam in Bullario Ord. Prædicat. relatum Tom. 1. datum fuit *Fratribus Militiæ Jeſu Chriſti per Italiam conſtitutis* XI. *Kal. Januarii Pontificatus anno Primo* ſcilicet æræ vulgaris anno 1227. ad finem vergente, eo enim anno electus fuerat Summus Pontifex Gregorius IX. die xx Martii. Annus Primus legitur in noſtro codice, & affertur quoque cum in exemplari Archivi Romani Ord. Prædic. tum (quod omni exceptione majus eſt) in Autographo quod adhuc in Cœnobio S. Dominici Senarum aſſervatur, ut notat ad ipſum Clariſs. Bremondus modo totius Ordinis Prædicatorum meritiſſimus Generalis Magiſter. Militiam iſtam nomine Pœnitentiæ crucesignatam *ad impugnandum hæreticos* jam pridem viguiſſe anno 1220, ex diplomate percipitur, quo Honorius III. die XXVI. *Julii Romano Epiſcopo Portuenſi* mandavit, ut *cuidam Savarico Militi, & ſociis ſuis Crucem quam defert nomine Pœnitentiæ in remiſſionem imponeret peccatorum, ſpecialiter ad impugnandum hæreticos ſecundum Obſervantiam Ordinis Fratrum Militiæ Templi*. Apoſtolicæ hæ Honorii epiſtolæ exhibentur Tom. VII. citati Bullarii. Sed & ibidem proſtat Innocentii III. Bulla anno 1210. Simoni de Montforti; eo nempe tempore, quo Divus Dominicus Albigenſium hæreſim per Toloſatium fines late graſſantem prædicationibus inſectabatur. Animadverſione dignus & titulus, quem ad hanc Bullam præfert Codex Vaticanus; *Commendatio Ordinis* (qui poſtea de Pœnitentia dictus eſt) *Prædicatorum* (eorum ſcilicet qui Sancti Dominici exemplo excitati Albigenſes concionibus vel convertere, vel profligare ſatagebant) & *illius* (Simonis de Montfort) *qui dictum Ordinem* (qui Militia Chriſti etiam nuncupabatur) aſſumpſit. Ex iis Romanorum Pontificum diplomatibus patet hanc Chriſti militiam jam tunc inſtitutam fuiſſe, quod confirmatur etiam teſtimonio ſynchroni Scriptoris Guillelmi de Podio Laurentii in Chron. de Rebus Francorum adverſus Albigenſes, qui cap. XV. mentionem ingerit *Confratriæ magnæ factæ Tholoſæ & Crucesignatæ contra Hæreticos & uſurarios*. *Confratriam* hanc ſeu *Militiam* inſtituit quidem Fulco Epiſcopus Tholoſanus ſed in ea fundatione (ut notant Antuerpienſes Hagiographi) maximam habere partem potuit Sanctus Dominicus, utpote Fulconi amiciſſimus, ejuſque in inſectandis hæreticis indefeſſus comes, proindeque veluti alter ipſius *Confratriæ* inſtitutor habitus fuit ipſeque Gregorius IX. quamvis nullam Sancti Dominici *veluti inſtitutoris Militiæ* Jeſu Chriſti in ſuo diplomate mentionem ingerat, tamen in ſua conſtitutione lata die XVIII. Maii anni 1235. Jordano Ordinis Prædicat. Magiſtro Generali mandavit, ut per ſe ſuique Ordinis alumnos ſacris diſciplinis inſtruat *Fratres & Sorores Militiæ Jeſu Chriſti*, ejuſdemque menſis die XXIV. dato *Fratribus & Sororibus Militiæ Jeſu Chriſti Parmenſibus* dato Apoſtolico Diplomate conſtitutiones quaſdam approbavit, quæ etiam in fuſiore habentur Regula a Munio de Zamora Ordinis Generali Magiſtro. Ex his omnibus

Item reperimus in eodem præfato antiquo libello, & in aliis locis quam pluribus quandam aliam vivendi formulam hujus Status, per manus cujusdam R. Magiſtri Munionis (*a*) ſeptimi generalis totius Ordinis Prædicatorum explicatam, & ſigillo dicti Magiſtri in Urbe Veteri ſigillatam, fore, juxta modum vivendi, eis convenientem pro tunc, & a B. Dominico in parte fuerat inſtituta; & etiam quoddam Privilegium Honorii Papæ Quarti, concernentia hunc Statum quantum ad tempus, quo idem Status ſortitus eſt nomen Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici. Quæ utique regula, ſive vivendi modus, ut plurimum usque hodie ubique ſervatur. Eſt autem tenor dicti privilegii Honorii talis, videlicet: Honorius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Univerſis tam viris, quam mulieribus de Pœnitentia S. Dominici ſub habitu religionis Domino famulantibus, per Italiam conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Congruum &c. Datum Romæ apud Sanctam Sabinam v. Kal. Februarii Pontificatus noſtri anno I. (*b*)

Habetur autem prædictum Privilegium inſinuatum in Venetiis, & ita dicitur eſſe in Peruſio, & in Civitate Caſtelli. Eſt etiam dictum privilegium inſinuatum in Conventu Placentino Ordinis Prædicatorum, cujus inſinuationis copia eſt in Venetiis. Et fuit dicta inſinuatio facta Romæ 1288. Pontificatus Nicolai Papæ IV. anno I. Alia vero inſinuatio ejusdem Privilegii, quæ etiam eſt Venetiis, fuit facta Reate etiam dicto tempore. Habetur etiam dictum Privilegium bullatum in Conventu Piſano Ordinis Prædicatorum.

Item

nibus ſimul collectis collatisque, & ex conſtanti traditione, quæ in Ordine Prædicatorum ſemper viguit, recte arguitur veriſimillimum eſſe *Militiam Jeſu Chriſti* Sancto Dominico potiſſimum excitante inſtitutam fuiſſe, quæ quidem Militia & tempore & loco diverſa omnino eſt ab ea, quam in Hæreticos armavit Sanctus Petrus Martyr, vir enim ſanctus Florentiæ degens circa annum 1234 *quibusdam de Rubeorum familia nobilibus, & aliis Catholicis vexillum exhibuit Cruce inſignitum*, ut in ejus vita legitur a Biographis Antuerpienſibus, allata ad diem xxix Aprilis.

(*a*) *Munio de Zamora* Ordinem Prædicatorum rexit ab anno 1281. ad annum 1291. Is priorem Regulam, Militibus datam qui Hæreticos impugnabant, reformavit, aptavitque Fratrum & Sororum ſtatui, qui pœnitentiæ operibus militiam agerent contra vitia.

(*b*) *Honorii IV.* Diploma datum anno Christi 1286. die 28. Januarii relatum eſt in Bullario Ord. Præd. Tom. II.

Item reperimus, quomodo tam ex dicto Privilegio Honorii IV. quam etiam ex alio Privilegio Bonifacii IX. quod incipit: *Ad perpetuam rei memoriam*, ubi eſt clauſula, de qua habetur hic infra, verſus finem hujus tractatus, Fratres Prædicatores poſſunt tempore interdicti admittere ad divina Fratres & Sorores de Pœnitentia B. Dominici: Quod non poſſunt Fratres Minores erga Fratres, vel Sorores de tertio Ordine, ſive de Pœnitentia S. Franciſci; & ſi facerent, incurrunt ſententiam excommunicationis, ut patet in Clementina de ſent. Exc. *Cum ex eo*, & in Summa Magiſtrucii ſive Piſanella V. *Excommunicatio*; niſi forſan poſt ſupradicta tempora Privilegium aliud impetraſſent.

Item reperimus in quodam alio libro a ſupradicto, antiquo & magno, in quo ſunt quam plura, inter alia copiam cujusdam determinationis factæ per quendam Doctorem, ſive Doctores Juris Canonici, declarantes ex privilegiis huic Statui conceſſis ab Apoſtolica Sede, hunc Statum, videlicet Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici fore tanquam Religionem quandam, ab Eccleſia, ſeu a Sede Apoſtolica approbatam, cujus determinationis tenor talis eſt, videlicet:

Religio Fratrum, & Sororum Ordinis de Pœnitentia Sancti Dominici, dicitur eſſe per Sedem Apoſtolicam approbata. Quod ſic patet. *Illa religio &c.* (*a*)

Item reperimus non ſolum in ſupradictis libris, ſed etiam in quampluribus aliis locis unum aliud privilegium Papæ Johannis XXII. cujus inſinuatum authenticum eſt in Venetiis, bullatum vero habetur tam in Conventu Florentino, quam in Conventu Piſano Ordinis Prædicatorum: In quo privilegio declaratur, quare quæ dicuntur in Clementinis de Beghinis nullatenus intelliguntur de illis Sororibus, quæ dicuntur de Pœnitentia S. Dominici, & quæ per odoramenta virtutum currentes gratiſſimum noſcitur Domino impendere famulatum: Cujus privilegii tenor talis eſt, videlicet:

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Provincias Lombardiæ & Tuſciæ conſtitutis, ad quos præſentes lite-

(*a*) Ne tædio afficiatur lector, cenſui, cætera (utpote nullius momenti) eſſe omittenda.

litteras pervenerunt ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. *Cum de Mulieribus* &c. Datum Avinioni Kal. Junii Pontificatus noſtri anno X. (*a*)

Item reperimus in ſumma de caſibus conſcientiæ, quæ dicitur Magiſtruccia, ſive Piſanella (*b*) & habetur ibidem. Religio 1. paragrapho finali, qualiter excommunicatio lata in Clementinis de Begardis, vel Beghinis in Alemania conſtitutis, non intelligitur de illis de Pœnitentia B. Dominici, ubi etiam allegatur dicta Decretalis Joannis XXII.

Item reperimus, in hujusmodi Statu, etiam poſtquam ſortitus eſt nomen de Pœnitentia Sancti Dominici, non ſolum, juxta quod in parte prætendit ſupradictus Summus Pontifex Johannes XXII. fuiſſe perſonas caſte, ſive continenter, & virtuoſe viventes, ſed adhuc quam plures præ aliis præcipuæ ſanctitatis, & vitæ exiſtentes, necnon & aliquas non tantum mentis, & corporis caſtitate, ſeu innocentia baptismali, quam etiam utriusque hominis virginitate, integritate, & puritate vigentes: inter quas in Civitate Urbeventana fuere duæ glorioſæ Virgines Innocentes, videlicet B. Vanna, & B. Daniella hujus Status Sorores, quæ in vita, & in morte, & maxime prima, miraculis quampluribus claruere. In Civitate Caſtelli fuit alia beata ſoror, Margarita nomine, quæ etiam in vita, & poſt mirabilibus, & inuſitatis miraculis coruſcavit; cujus etiam corpus integrum in eadem Civitate apud locum Fratrum Prædicatorum cunctis videre volentibus patenter oſtenditur. Et tam ſupradictæ B. Vannæ, quam B. Margaritæ in ſuis Civitatibus præfatis a ſuis compatriotis quamvis canonizatæ non ſint, memoria earundem feſtive & ſolemniter excolitur ſuo modo. Item in Civitate Florentiæ fuit alia continentis, & ſanctæ vitæ B. Soror Johanna nuncupata, de qua etiam conſtat ſingularibus miraculis claruiſſe. In Civitate etiam Piſana inter alias quædam Soror Domina Pina fuit eximiæ pie-

(*a*) *Joannis* XXI. dictus XXII. cujus conſtitutio habetur ibidem ad annum 1326. diemque 1. Junii.

(*b*) Laudatæ *Summæ* auctor eſt Bartholomæus a S. Concordio Ordinis Præd. alumnus, patria, & profeſſione Piſanus. Tum in editis, cum in Codicibus mss. titulum habet *Summæ Piſanæ*, *Summæ Piſanellæ*, *Summæ Bartholinæ*, & *Summæ Magiſtrucciæ*.

tatis, & ſanctæ converſationis, & famæ. Et in præſentialibus ſunt etiam ibidem quamplures non mediocris virtutis venerandæ Sorores. Et ſimiliter in Civitate Venetiarum inter perſonas iſtius habitus utriusque ſexus ſpecialiter fuit quædam Soror Maria vitæ (a) continentis, quæ ſingulari puritate refulſit, in tantum ut per alterum noſtrum, videlicet per me Fratrem Thomam ſupradictum, de dictæ Sororis vitæ proceſſu, & tranſitu ſpecialiter informatum, quædam licet compendioſa compoſita fuit Legenda. (b) Denique in Civitate Senarum, ubi a longævo tempore fuit, & eſt valde venerabile Collegium Sororum iſtius Status inter ejuſdem Collegii ſtellas micantes quædam mirabilis Virgo diebus noſtris, veluti matutinum ſydus, fulgore præcipuo coruſcavit, Catharina vocata, (c) cujus ſanctitatis fama tam in vita, quam poſt, jam per diverſas Provincias, & Mundi partes eſt usquequaque diffuſa. Siquidem, poſtquam mirabilem vitam, quaſi ſolitariam, in omni ſanctitate duxiſſet, & ex dominico præcepto exiiſſet in publicum, inter alia quodammodo innumera, & admiranda, quæ propter Deum, & proximum geſſit in corpore, hoc unum contingit, ut videlicet coram Papa Gregorio XI. in Avinione ſe præſentialiter, & perſonaliter inveniret: & hoc ratione zeli honoris Eccleſiæ, ac etiam ſalutis animarum, totaliter quibus ardebat, & ſpecialiter cauſa Communitatis Florentinæ, in contumacia cum dicto Summo Pontifice tunc exiſtentis, ut videlicet totis viribus, dante Deo, & Sponſo ſuo, operaretur, quatenus dicta comunitas rebellatrix ſuo Paſtori, reconciliaretur eidem. Unde multis mirandis ibidem videlicet in Avinione, & in itinere ab ipſa peractis nec non pro dicta reconciliatione obtinenda patratis, ac certis privilegiis, propriam devotionem, & animarum ſalutem concernentibus, gra-

(a) Hanc *Sororis Mariæ Venetæ* Vitam a Thoma Antonii Senenſi ſcriptam, exhibet Codex in Bibliotheca adſervatus Fratrum Prædicatorum Forojulienſium, (di Cividale del Friuli.) De ea etiam in Diario Ordinis Prædicatorum ad diem XXVIII. Julii, & apud Pium ſeu Plodium *Degl' Uomini Illuſtri* Par. 1. col. 476.

(b) Legendam hujuſce Virginis dabimus ad Monaſterium S. Mariæ Sororum Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Dominici.

(c) S. Catharinæ Senenſis annum Nativitatis, & ingreſſus in Ordinem Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici, diligenter expendit, ac definit Ambroſius Anſanus Tantuccius in Diſſert. Theologico-Critica, italice ſcripta, adverſus Abbatem Fleurium; Parte II. Cap. VI.

gratioſe a dicto Summo Pontifice impetratis; Cum ab eodem Pontifice diſceſſiſſet, & Florentiam rediſſet, multaque ibidem pro Eccleſia, & Fide Catholicica pateretur uſque ad mortis intemptationem, quam pro tali cauſa libentiſſime ſuſcepiſſet, nunquam tamen inde diſceſſit, quouſque Communitatem prædictam cum inmediato dicti Pontificis ſucceſſore, videlicet Papa Urbano VI. reconciliatam reliquit. Deinde Sacra Virgo, facto aliquanti temporis intervallo, per præceptum a dicto Urbano VI. ut ad Urbem, & ad ſe accederet advocata, tanquam veræ obedientiæ filia, ad dictum Pontificem Romam cum decenti ſocietate acceſſit. Et non ſolum dicto Pontifici etiam aliqualiter ſeorſum ad ejus requiſitionem ſe pluries præſentavit; ſed adhuc aliquando coram dicto Pontifice, & aſſiſtentibus Cardinalibus, aliiſque Prælatis Eccleſiæ ejuſdem Pontificis interveniente mandato, taliter in verba ſanctæ exhortationis erupit, ut nonnullos de præſentibus ad lacrimas devotæ compunctionis induceret, & ad ſanctam conſtantiam contra omnia mala tunc concurrentia provocaret. Et ſic omnes, qui prius ammirantes erant ſuper hiis, quæ dicebantur de illa, tunc longe amplius admirati ſunt ſuper verborum prudentia, & reſponſis ejus, vel potius Sancti Spiritus, qui loquebatur in illa. A quo etiam Summo Pontifice, propter ſchisma in maximis adverſitatibus conſtituto, aliqua privilegia ad ſtatum Eccleſiæ, & animarum ſalutem pertinentia impetravit, ac etiam apud eum uſque ad ſui tranſitum, qui fuit poſt aliquos annos ab ipſius Urbani VI. creatione, cum magnis laboribus, paſſionibus, & lacrimoſis, continuiſque orationibus inſatigabiliter perduravit, nec non pro eodem, ſanctaque Dei Eccleſia tot tandem, & tanta ſubſtinuit, ut ex hoc mundo tranſiens ad Patrem, & ſponſum ſuum, quod vitam corporalem ipſa Virgo traderet pro Eccleſia ſancta ſua coram cunctis circumſtantibus, ſibi in Domino Chariſſimis filiis, & filiabus, indubitanter, & firmiter ab iiſdem tenendum fore, aſſeruit. Quanta autem, ipſa vivente, ſcripſerit ſeu dictaverit, atque ſuaſerit, utpote Librum ſpecialem de divina Providentia, & de cunctis Statibus animarum per modum Dialogi, quaſi totaliter ſurſum apta, & a ſenſibus rapta, dictando innumeras quaſi epiſtolas per diverſas Mundi partes omnibus utriuſque ſexus, conditionis & ſtatus, uſque

ad ſupradictos Summos Pontifices dirigendo; veluti tota charitate diffuſa pro cunctorum ſalute tam verbaliter, quam perſonaliter ſe tradendo, nec lingua poſſet faciliter exprimere, neque calamus explicare. De quibus omnibus patet in ejus Legenda pro bona parte, quæ utique Legenda una cum Legendis ſupradictarum Virginum B. Vannæ, & B. Margaritæ in eodem volumine eſt in libraria Conventus Romani Sanctæ Mariæ ſuper Minervam Ordinis Prædicatorum, & conſimiliter tam in Conventu Senenſi, quam Veneto, multisque aliis Italiæ partibus. Et conſimiliter dicta Legenda ſola, ſcilicet B. Catharinæ habetur etiam in partibus Auſtriæ. Et ſupradictus liber ſuus cum dictis ſuis epiſtolis habetur tam ibi, quam in Senis, & in Venetiis ſignanter, licet etiam alibi habeantur.

Inter alia autem privilegia, quæ habuit a ſupradicto Gregorio XI. unum fuit iſtud, quod videlicet propter inenarabilem, quam habebat ad Corporis, & Sanguinis Domini Sacramentum, devotionem, poſſet etiam ante diei lucem ſibi facere celebrare, & ſecum, quocumque iret, habere altare portatile &c. Cujus privilegii tenor talis eſt, videlicet:

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectæ in Chriſto Filiæ Catharinæ Senenſi, ſub habitu Religionis Sororum de Pœnitentia B. Dominici Domino famulanti ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Sinceræ devotionis &c. (a)

Aliud fuit, quod poſſet ſecum habere Confeſſores, valentes per ipſam ad pœnitentiam converſos abſolvere &c. Cujus tenor talis eſt, videlicet:

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectæ in Chriſto filiæ Catharinæ, mulieri Senenſi, ſub habitu Religionis Sororum de Pœnitentia B. Dominici Domino famulanti ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, & animarum ſalutis fervor &c.

Aliud fuit, quod dicta Virgo ab eodem Pontifice pro ejus Genitrice, Domina Lapa nomine, & Sorore, una ſecum de Pœnitentia Beati Dominici exiſtente, & quibusdam aliis ſorori-

(a) Gregorii XI. Diploma ſpectat ad annum 1376. diemque 1. Julii Conſule Bullarii Ordinis Prædicatorum Tom. II. pag. 291. ubi etiam proſtant, quæ hoc loco memorantur, ejusdem Summi Pontificis Diplomata duo.

roribus ejusdem habitus impetravit, cujus tenor talis eſt, videlicet:

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Chriſto filiabus, Lapæ quondam Jacobi Benencaſa, Cecchæ quondam Clementis Ghori, Liſæ quondam Bartholomæi Jacobi, & Alexiæ quondam Bartholomæi Franciſci relictis Laicorum viduis Senenſibus, Sororibus de Pœnitentia B. Dominici ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Benigno ſunt &c.

Recepit etiam dicta beata Virgo a dicto Pontifice privilegium, quod poſſet unum Monaſterium monialium fabricare cum omnibus pertinentiis, nec non & auctoritate apoſtolica recipere pro dotatione ejus usque ad duo millia florenorum numeratorum. Et conſimiliter ab eodem recepit privilegia plenariæ Indulgentiæ in mortis articulo pro ſe, & perſonis quam pluribus diverſæ conditionis, & ſtatus.

Ab Urbano autem VI. ſimili modo impetravit, & obtinuit quam plura privilegia ſeorſum, tam de plenaria Indulgentia pro ſe, & pro cunctis ſororibus ſui Collegii de Senis, exiſtentibus numero circa centum, quam etiam pro quampluribus aliis ſeorſum diverſæ conditionis, & ſtatus: & quod quidam ſingulares ſervi Dei diverſarum religionum in ſubſidium, & favorem Eccleſiæ, & ipſius Summi Pontificis Urbani VI. per ipſum Urbanum convocarentur ad Urbem, ſicut & factum eſt, de quorum privilegiorum tenoribus hic aliter explicare, vel ponere dimittitur gratia brevitatis. Sunt autem de dictis privilegiis aliqua bullata, & inſinuata in Venetiis, aliqua vero in Senis, & forte etiam aliqua habentur in Roma, vel alibi. Concludentes igitur iſtam partem, Judicandum putamus, prædicta non parum decenter facere, ſed etiam quamplurimum conferre ad ſpecialem approbationem, reverentiam & devotionem Status hujusmodi, tum ſingularibus, & perſonis eximii Status ejusdem, tum operibus, quæ pro Eccleſia, Deo dante, facere, & facturæ ſunt diligenter attentis, nec non & in tam parvo terrarum ſpatio præter perſonas alias, nondum nobis notas, utpote ſolum in Tuſciæ, & Venetiis partibus principaliter, veluti floribus toti Eccleſiæ præcipue redolentibus, per nos, ut præfertur, repertis: addentes nihilominus ad præfata, qualiter de ſupradicta beata Catharina Senenſi, ex quo migravit ad Dominum, non ſolum a compatrio-

patriotis ſuis in Senis, vel etiam in Urbe apud Minervam, ubi ſepulta fuit, & eſt corpus ſuum, licet caput ejus in pulchro tabernaculo habeatur in ſua Civitate Senenſi; ſed etiam in Venetiis apud Conventum Sanctorum Johannis & Pauli a multis annis citra, & alibi annuatim in hucusque, prout licet, cum nondum ſit canonizata, eſt ejus memoria præcipua devotione ab Eccleſiæ fidelibus venerata.

Recepimus autem nuper, poſtquam ſupradicta ſcripſeramus literas, a quodam Domino Stephano, Venerabili Patre, ac etiam Generali totius Ordinis Carthuſienſis, (*a*) in partibus Auſtriæ reſidentiam facienti, quomodo propter quædam miracula, meritis dictæ Virginis in dictis partibus perpetrata, & propter famam odoriferam eximiæ ſanctitatis ipſius Virginis hinc inde divulgatam, etiam usque ad aures Illuſtriſſimi, & devoti Principis, Domini Alberti, Ducis Auſtriæ de quo multa virtutum præconia referuntur, idem magnificus Dux concepit, ad dictæ ſacræ Virginis canonizationem cum non parva devotione dare pro viribus operam. Et jam in parte ad ipſam, quantum ad informationem habendam circa hujusmodi negocium de modo, cœpit executioni mandare, quemadmodum in ſupradictis literis plenius continetur. Et ſic ad effectum finalem, quod dictum eſt, perducere dignetur ejusdem Virginis novæ Catharinæ Sponſus æternus Jeſus Chriſtus; qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen. Conſequenter etiam contigit, præfatum Ducem, & etiam Dominum Regem Ungariæ ſcribere pro canonizatione dictæ

(*a*) Has *Stephani* Maconi Senenſis, qui Ordini Carthuſienſi, hortante Sancta Catharina, nomen dederat, epiſtolas diſtingue ab iis litteris ad ipſum *Thomam Antonii* datis, quæ typis editæ ſunt apud Biographos Antuerpienſes poſt ejusdem Divæ vitam. Iſtæ namque datæ ſunt *ex Domo Sanctæ Mariæ de Gratia prope Papiam*, ſive Ticinum; illæ *ex partibus Auſtriæ, ubi reſidentiam faciebat*. Nimirum Ordini ſuo præfuit temporibus ob Eccleſiæ ſchismata affictiſſimis, *Generalis* adſumptus ab Italis aliisque contra alium in Majori Carthuſia reſidentem: atque tum Auſtriacas perluſtrabat Domus Ordinis in obedientia, Urbani VI. poſitas. Ejus conſule Elogium in Faſtis Sacris apud Carolum Joſephum Morotium in Theatro Chronologico Sacri Carthuſienſis Ordinis, & ſuperius laudatos Bollandianos in Additamentis ad Vitam S. Catharinæ Tom. III. Aprilis pag. *967*. Nota (*e*) ac Proceſſum Conſultationum de ſanctitate ejusdem B. Catharinæ apud Martene in Ampliſſima collectione Tom. VI. col. 1368.

dictæ Virginis literas Domino noſtro Summo Pontifici, & Dominis Cardinalibus, quarum copiæ ſive tenores ſunt in Conventu Sanctorum Johannis, & Pauli, & apud Sorores de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis. Eſt autem ſciendum, quod dictæ literæ nondum ſunt præſentatæ nec de dicta canonizatione pro nunc ſit alterius proſecutio: Et hoc propter ægritudinem Summi Pontificis, & propter quædam, quæ dictis Principibus occurrerunt, ac alias cauſas, propter quas judicatum fuit expectandum fore tempus, ad hoc congruentius, & magis aptum.

Item reperimus, quomodo, quemadmodum ex ſingulari privilegio, Deo ſpecialiter largiente, inter alias cauſas meritis Sancti Dominici, per excellentiam orthodoxæ Fidei ferventiſſimi zelatoris in Fratribus Prædicatoribus, & ſanctimonialibus eorundem, ex quo Ordo Prædicatorum extitit inſtitutus, hucusque reperta eſt plena munditia cujuscumque hæreticæ pravitatis, & per oppoſitum pro ipſius Fidei dilatatione accenſus zelus, etiam cum effectu ferventiſſimæ caritatis; ita etiam ſuo modo reperimus, extitiſſe in hujusmodi perſonis utriusque ſexus de Pœnitentia B. Dominici, utpote non ſolum a ſui exordio ob zelum Fidei contra hæreticos nomen aſſumentes Militiæ Jeſu Chriſti, ſed etiam poſt ſub nomine Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici procedentes, ſemper in eodem zelo juxta temporum congruentiam tam verbo, quam opere in omni Fidei ſinceritate hucusque perſeverare noſcuntur. Unde & ſupradicta B. Catharina, hujus habitus Soror, tempore, quo fuit in Florentia de mandato Domini Gregorii Papæ XI. ſupradicti, ut ſuperius fuit dictum, pro reconciliandа Communitate Florentina cum Summo Pontifice, ipſa quodam modo ſola, licet fœmina, ſui tamen quaſi ſexus oblita, tanquam vere in caritate, quæ foras mittit timorem, perfecta, non ſolum rebelles Eccleſiæ increpabat, & inobedientes Summo Pontifici ferventer, veluti plena Sancto Spiritu, arguebat, quousque, non obſtante quod voluerit occidi, dictam Communitatem cum Eccleſia conciliavit, ſed etiam, occurrente caſu, de quibusdam hæreticis, de opinione dictis, ibidem poſt multa verborum certamina mirabiliter triumphavit; propter quod merito dignum putamus, quod hic Status non tantum ab Eccleſia, & a cunctis

vere

vere fidelibus reddatur venerandus, ſed quod etiam ab Apoſtolica Sede ſit nedum privilegiis, ſed adhuc modis aliis approbandus.

Item reperimus in Venetiis unum Privilegium fore bullatum, & in multis aliis locis, & maxime Tuſciæ publice inſinuatum, in quo conceditur a Summo Pontifice generaliter Fratribus & Sororibus de Pœnitentia B. Dominici, quod poſſint generaliter ubique a Fratribus Prædicatoribus confiteri, & ab eisdem recipere Dominici Corporis Sacramentum, die ſolum Dominicæ Reſurrectionis excepto, cujus tenor talis eſt, videlicet:

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis, univerſis hominibus, & perſonis utriusque ſexus, de Pœnitentia Sancti Dominici nuncupatis, in Italia conſtitutis, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Humilibus &c. (a)

Item reperimus in Venetiis, qualiter quidam Dominus Leonardus Delphino (b) ibidem Epiſcopus, ſupradicto privilegio favit, illudque per ſuas literas approbavit &c. Et conſimiliter ejus ſucceſſor Dominus Franciſcus Bembo (c) idem etiam latius fecit per literas ſuas, ſigillo pendenti, & proprio ſigillatas, quarum tenor talis eſt, videlicet:

Fran-

(a) Bonifacii IX. Conſtitutio, *Humilibus*, extat Tom. II. Bullarii ſæpecitati pag. 410. pertinetque ad annum 1401. diemque 18. Januarii.

(b) Ex hujus codicis teſtimonio habetur primis anni 1401. menſibus adhuc Venetam Caſtellanam Eccleſiam adminiſtraſſe Leonardum Delphinum.

(c) Franciſcus Bembo, qui in Epiſcopatu Caſtellano ſucceſſerat Leonardo Delphino, Epiſtolas citat ejusdem prædeceſſoris ſui quas ex Archivo SS. Joannis & Pauli erutas, liber hic exhibere.

„ Leonardus Dei Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Caſtellanus Venerabi-
„ libus Viris & Dominabus, ſive mulieribus de Pœnitentia B. Dominici
„ nuncupatis; dominoque ſub habitu ejusdem S. Dominici famulantibus;
„ ac in noſtra Diœceſi Caſtellana, ſive in Venetiis commorantibus ſive exi-
„ ſtentibus Salutem in Domino. Quæ animarum ſalutem concernunt, tan-
„ to libentius proſequimur favoribus opportunis, quanto ex debito paſto-
„ ralis officii ad id fortius obligamur. Eapropter vestris juſtis petitionibus
„ benignum præbentes aſſenſum, cum per Sanctiſſimum in Chriſto Patrem
„ & Dom. noſtrum Dom. Bonifacium Divina Providentia Papam Nonum
„ ſit vobis indultum, quod poſſitis ubilibet, ſive ubique per totam Italiam
„ a Fratribus Ord. Præd. per ſuos Superiores ad hoc deputatis confiteri, &
„ Sacramentum Corporis Jeſu Chriſti recipere, cum opus fuerit, juxta vo-
„ tum, & veſtrum ſanctum vivendi modum, præterquam in feſto Reſurre-
„ ctionis Dominicæ, & jure Parochianorum ſemper ſalvo in omnibus. Et
„ hoc non obſtantibus juribus quibuscumque, quemadmodum in ejusdem

„ Dom.

Franciſcus Bembo, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Caſtellanus, Venerandis viris ac mulieribus, de Pœnitentia Beati, ſeu S. Dominici nuncupatis, dominoque ſub habitu religionis ejusdem S. Dominici famulantibus, ac in noſtra Dioceſi Caſtellana commorantibus, ſeu exiſtentibus, ſalutem in domino. Quæ animarum ſalutem concernunt, tanto liberius ſequimur favoribus opportunis, quanto ex debito paſtoralis officii ad id fortius obligamur. Eapropter veſtra devota, & ſancta deſideria cupientes benigne, ac pro viribus adimplere, cum per Sanctiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum Dominum Bonifacium, divina Providentia Papam IX. ſit vobis indultum, quod poſſitis ubilibet, ſive ubique, per totam Italiam a Fratribus Ordinis Prædicatorum, per ſuos Superiores ad hoc deputatos, confiteri, & Sacramentum venerabile Corporis Jeſu Chriſti recipere, cum vobis fuerit opportunum, præterquam in feſto Reſurrectionis Dominicæ, ac jure Parochianorum alias in omnibus ſemper ſalvo: Et hoc non obſtantibus juribus quibuscumque, quemadmodum in ejusdem Domini noſtri Papæ indulto vobis privilegio, ſub veræ bullæ papalis appenſione nobis exhibito, plenius continetur. Idcirco, prout devote, ac humiliter affectatis, & quemadmodum Reverendus in Chriſto Pater, & Dominus Dominus Leonardus

„ Dom. noſtri Papæ indulto vobis privilegio ſub veræ Bullæ Papalis appenſione nobis exhibito plenius continetur. Idcirco prout humiliter petitis, tenore præſentium rogamus omnes Plebanos, Priores, atque Prælatos noſtræ Diœceſis Caſtellanæ nobis ſubjectos, ac etiam mandamus eisdem, quatenus contra ſupradictos homines utriusque ſexus de Pœnitentia B. Dominici nuncupatos propter hujusmodi indultum ullatenus dedignentur, ſed potius congratulentur & contententur, cum ex hoc, ac etiam ex tenore & modo vivendi ipſorum non minus, imo amplius reddantur ad parochianorum reverentiam promptiores, quam in impetrando indultum ſupradictum apud Sedem Apoſtolicam oſtenderint de facto petentes hujusmodi gratiam cum conditionibus prætaxatis ad ſupradictam reverentiam debitam erga nos & parochianos humiliter conſervandam. In quorum teſtimonium præſentes noſtras literas fieri juſſimus, & noſtri Pontificalis ſigilli appenſione muniri.

„ Datum Venetiis in noſtro Epiſcopali Palatio Caſtellano Anno Nativitatis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo primo Indictione nona menſis Junii die ſexta Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Bonifacii Divina providentia Papæ IX. Anno Duodecimo.

„ Fulvius de Vicomercato Not. Cur. Epiſcop. Caſtell. ſcripſit.

nardus Delfino, nunc eadem Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarcha Alexandrinus, prædeceſſor noſter, ad veſtri fecit inſtantiam, ita & nos etiam amplius idem approbantes, & confirmantes, Tenore præſentium rogamus omnes exemptos noſtræ Diœceſis Caſtellanæ curam animarum habentes, nec non & omnes Plebanos, Priores, ſive Rectores ejusdem noſtræ Diœceſis Caſtellanæ nobis ſubjectos, ac etiam mandamus eisdem, quatenus contra ſupradictos homines utriusque ſexus, de Pœnitentia Beati Dominici nuncupatos, propter hujusmodi Indultum ullatenus dedignentur, ſed potius ædificentur, atque congratulentur, cum ex hoc ac etiam ex tenore, & norma vivendi ipſorum non minus, imo amplius reddantur ad Parochianorum reverentiam promptiores, quam in impetrando Indultum ſupradictum apud Sedem Apoſtolicam oſtendere de facto, petentes hujusmodi gratiam cum conditionibus prætaxatis ad ſupradictam reverentiam erga nos, & Parochianos humiliter conſervandam. In quorum teſtimonium has noſtras præſentes literas fieri juſſimus, & noſtri Pontificalis ſigilli appoſitione muniri. Datum in noſtro Epiſcopali Palatio Caſtellano. Anno nativitatis Dominicæ quadringenteſimo primo. Indictione nona, menſis Octobris die 16. Pontificatus ſcilicet in Chriſto Patris, & Dom. noſtri D. Bonifacii, divina providentia Papæ IX. Anno duodecimo.

Item reperimus tam in ſupradicto libello antiquo quam in certis aliis locis, qualiter hic Status non ſolum per ſupradictum Magiſtrum Munionem, Generalem totius Ordinis Prædicatorum, qui fuit, ut ſupra dicebatur, Septimus Magiſter Ordinis ejusdem; ſed etiam per plures Generales dicti Ordinis usque ad præſentem habuit favorem, directionem, fomentum, & correctionem. Unde idem Magiſter Munio cum expreſſiſſet, ut dictum fuit, ſupra formulam vivendi Fratribus, & Sororibus hujus Status, quæ hic infra tota in ſubſtantia, & explicite, Deo dante ponetur, etiam ſcripſit literas ſpeciales illis de Urbe veteri, gratioſe concedendo eisdem beneficia Ordinis, quarum literarum tenor talis eſt, videlicet:

In Jeſu Chriſto devotis, providis & honeſtis Confratribus, & Confratriſſis in honorem B. Virginis, & B. Dominici in Urbe Veteri congregatis Fr. Munio Fratrum Ordinis Prædicatorum Servus inutilis ſalutem cum augmento continuo cœleſtium

leſtium gratiarum. Ab Cœli civibus cœleſtia obtinere ſuffragia contra Mundi hujus damnoſa diſcrimina cupientes, B. Virginem & B. Dominicum Confeſſorem in patronos, & advocatos propitios vobis eligere provide procuraſtis, vel curaviſtis, in ipſorum honorem Societatem Deo gratam cum verorum meritorum cumulo ſtatuendo. Et quia Fratrum noſtrorum deſideratis ſubſidiis adjuvari; a me humiliter poſtulaſtis, ut bonorum Fratrum noſtri Ordinis vos facerem participatione gaudere. Ego igitur, veſtræ devotionis meritis debita recognitione penſatis, vobis, & cæteris, qui ſe veſtro pio conſortio in poſterum duxerint aggregandos, omnium Miſſarum, orationum, prædicationum, jejuniorum, abſtinentiarum, vigiliarum, laborum, cæterorumque bonorum, quæ per Fratres noſtros Deus per Mundum fieri dederit, univerſam participationem concedo tenore præſentium ſpecialem, & volo inſuper, ut poſt deceſſum veſtrum animæ veſtræ Fratrum totius Ordinis orationibus recommendentur in noſtro Capitulo Generali, ſi veſtri obitus ibidem fuerint nunciati, & injungantur pro ipſis Miſſæ, & orationes, ſicut pro Fratribus noſtris defunctis fieri conſuevit. In cujus conceſſionis teſtimonium ſigillum noſtrum duxi præſentibus apponendum. Datum Urbeveteri in feſto B. Ambroſii Anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſexto.

Invenimus etiam unam litteram antiquam Magiſtri Johannis de Vercellis, (*a*) qui fuit ſextus Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum ſimili tenoris ad ſupradictam cum ſigillo ejuſdem Magiſtri, & datam ſupradictis Fratribus, & Sororibus de Urbeveteri Anno Domini MCCLXXVI. quæ litera habetur Venetiis apud Sorores de Pœnitentia B. Dominici.

Conſequenter vero quidam Magiſter Hervæus, (*b*) in toto Orbe ſapientia, & ſcientia præditus, qui fuit quartus decimus Magiſter Ordinis, cum ſe in Florentia inveniret, Sororibus hujus Status de Pœnitentia B. Dominici, Senis commorantibus, quaſdam ordinationes per literas ſuas direxit. Quarum literarum tenor talis eſt:

(*a*) *Joannes de Vercellis*, Ordinem Prædicatorum rexit Magiſter Generalis ab anno 1264. ad annum 1281.

(*b*) *Hervæus Natalis*, electus eſt Magiſter Generalis anno 1319.

In Dei filio Dilectis, & in Chriſto devotis Priore, & cæteris Dominabus de Pœnitentia S. Dominici, Senis commorantibus, Frater Hervæus Magiſter Ordinis Fratrum Prædicatorum, licet indignus, ſalutem, & profectum in Chriſto cœleſtium gratiarum. Optans, ut in caritatis conſortio quiete, & pacifice famulemini Domino Jeſu Chriſto, ſicque abſque intermiſſione ad donorum ſpiritualium incrementa laudabiliter procedatis petitionibus veſtris duxi auctoritate præſentium favorabiliter reſpondere. Hinc eſt igitur. Cum de modo inſtitutionis, vel proviſionis Prioriſſæ veſtræ, hucusque pluries obſervato, vobis materia turbationis multipliciter ſit exorta; Nam in poſterum pax veſtra poſſit amplius conturbari, ſic ſtatuo, & futuris temporibus diſpono, & ordino obſervandum, quatenus Priora veſtra mortua, vel ab officio abſoluta, vos omnes, vel major pars veſtræ Societatis, tres, vel duas ex vobis eligant, devotione, & diſcretione præcipuas, quarum unam Prior ipſe Fratrum noſtrorum Senenſis Conventus, qui pro tempore fuerit, confirmare teneatur, nulla contradictione adjecta, & eam veſtro conſortio præficere in Prioram. Inſuper, cum debeatis Fratrum noſtri Ordinis ſedulis correctionibus, & cotidianis monitionibus corrigi, & moneri, volo, & mando, quod nulla in poſterum veſtro habitu induatur, quæ domicilium ſuæ habitationis non habet in Civitate, vel Caſtro, ubi Fratres noſtri Ordinis commorantur. Item quia mortuis feſtinanter ſubvenire oportet, & potiſſime Conſororibus defunctis ſpiritualia ſuffragia impertiri; ideo vos omnes moneo, & exhortor in Chriſto, quatenus quælibet Soror pro ſua Conſorore defuncta tres Miſſas poſt mortem ejus faciat, quam citius poterit, celebrari. Valete, & orate pro me. Datum Florentiæ Anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo primo.

Conſequenter vero penultimus Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum, Magiſter Raymundus (*a*) nomine, qui compegit legendam ſupradictæ B. Catharinæ, hujus Status Sororis & cujus fuit ultimus confeſſor, & in Domino filius, ultra conceſſionem beneficiorum Ordinis, ſpecialem omnibus dicti Sta-

(*a*) *Raymundum de Capua* Magiſtrum Generalem Ord. Præd. elegerunt ii Fratres, qui erant de obedientia, ut ajebant, Urbaniſtarum.

Status utriusque ſexus hominibus, etiam uni noſtrum, videlicet mihi fratri Thomæ de Senis, ſupradicto in Conventu Sanctorum Johannis, & Pauli de Venetiis tunc, & hucusque commoranti, conceſſit auctoritatem dictum Statum quo ad homines utriusque ſexus ibidem per ſuas inchoandi, dirigendi &c. quarum litterarum tenor talis eſt, videlicet:

In Dei Filio ſibi Chariſſimo fratri Thomæ Antonii de Senis Ordinis Fratrum Prædicatorum. F. Raymundus ejusdem Ordinis humilis Magiſter, & Servus Salutem, & Chriſtum Dominum efficaciter imitari. Cupiens, & affectans, noſtrum Ordinem, non ſolum quantum ad Fratres, & Sorores ſanctimoniales, ſed etiam quantum ad Fratres, & Sorores de Pœnitentia B. Dominici, non tantum quo ad meritum, & numerum, ſed etiam quo ad quæcumque mundi loca ad hoc diſpoſita, & ſignanter in Civitate famoſa Venetiarum, ad Dei gloriam, & animarum ſalutem, ad quæ Ordo noſter noſcitur principaliter inſtitutus, continue de bono in melius creſcere, & dilatari; Idcirco Vobis, de cujus ad cuncta præfata bono zelo, & affectione plene confido, concedo auctoritatem meam plenariam, quatenus poſſitis ſupradictam Religionem, ſeu Congregationem ſingulariter Sororum de Pœnitentia B. Dominici inchoare, dirigere, & gubernare, Dominas quasque juxta diſcretionem veſtram ad habitum dictarum Sororum recipiendo, Prioriſſas, & Suprioriſſas eis inſtituendo, capitula eisdem tenendo, nec non & in abſentia veſtra Vicarium inſtituendo, & omnia circa ipſas, quæ ego facere poſſem, ſi præſens eſſem, faciendo. Significando omnibus, præſentes literas inſpecturis, qualiter ultra omnia ſupradicta, etiam ſingulari intuitu B. Catharinæ de Senis meritis, & Magiſtræ meæ, quæ fuit de dictis Sororibus de Pœnitentia B. Dominici, ego peroptarem, ubique, & ſignanter in Civitate præfata, ut præfertur, Congregationem ipſarum adeſſe, & tam merito, quam numero augeri. Quapropter confidens ad plenum ſuper hoc de fratre Thoma ſupradicto, ſupradictam auctoritatem ei plene concedo: Nolens, quod aliquis, me inferior, eum in aliquo impedire præſumat, ſeu quovis modo de ſupradicta materia intromittere valeat, niſi quantum, & quomodo dictus frater Thomas una cum fratre Johanne Dominici duxerit acceptandum. In quorum teſtimonium ſigilla noſtra

ſtra duxi præſentibus apponenda. Datum Venetiis Anno Domini Milleſimo tercenteſimo nonageſimo ſexto. Die duodecima menſis Julii.

Denique vero præſens, & qui actualiter eſt generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum, videlicet Magiſter Thomas de Firmo, in primo ſuo Capitulo Generali, in quo in Magiſtrum Ordinis eſt creatus, (a) omnibus utriusque Sexus hujus Status, & habitus per ſuas literas beneficia Ordinis modo ſpeciali conceſſit. Quarum literarum tenor talis eſt, videlicet:

Univerſis Venerabilibus, atque in Chriſto dilectis, Chariſſimis tam viris, quam mulieribus, Fratribus, & Sororibus de Pœnitentia B. Dominici, tam Venetiis, quam in aliis partibus conſtitutis. F. Thomas de Firmo, Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter, & Servus, Salutem, & æternorum affluentiam gaudiorum. Veſtræ devotionis ſpecialis affectus, quem ad noſtrum Ordinem geritis, & conformitas atque reverentia ad præfatum noſtrum Ordinem præcipue, quæ per aſſumptionem dicti habitus præfati S. Dominici Patris noſtri omnibus innoteſcunt, exigentia digna requirunt beneficia, noſtro Ordini collata a copioſa clementia Redemptoris, veſtræ devotæ Fraternitati ſpecialius, & gratioſius impartiri. Ea propter, quamvis ex ipſa habitus ſumptione conſequimini prædictorum beneficiorum noſtri Ordinis participationem præcipuam; attamen ad majoris veſtræ ſpiritualis conſolationis cumulum, hoc idem renovans, approbans, & confirmans omni auctoritate, & affectione, quibus valeo melius, vobis omnium Miſſarum, Orationum, Prædicationum, jejuniorum, abſtinentiarum, vigiliarum, laborum, cæterorumque bonorum, quæ per Fratres noſtri Ordinis Dominus per mundum fieri dederit univerſum, partici-

pa-

(a) Utini in Provincia Forojulienſi *Thomam de Firmo* in obedientia Urbani VI. electum Generalem Magiſtrum, adnotat Echardus in Serie Capitulorum Generalium Tom. I. Scriptorum Ord. Præd. *anno* 1401. Sabbato Vigil. Pentecoſtes die XIII. Maii, Annus 1401. inſignitus currebat Aureo Numero XV. & Littera Dominicali B. unde Feſtum Paſchatis incidit in diem 3. Aprilis, dies vero Sacra Pentecoſtes in diem 22. Maii. Igitur Thomæ de Firmo electio ſpectat ad *diem* 21. *Maii*. Admiſſum errorem notavit inde correxitque Echardus in Elogio ipſius Thomæ de Firmo.

pationem concedo tenore præſentium ſpecialem in vita pariter, & in morte. Adjiciens etiam pro gratia ampliori, quod ſi veſtri obitus in noſtro Generali Capitulo fuerint nunciati, tantum pro unoquoque veſtrum fiat a fratribus noſtri Ordinis, quantum pro uno Fratre defuncto noſtri Ordinis prædicti in Ordine fieri conſuevit, ut multiplici ſuffragiorum præſidio hic augumentum gratiæ, & in futuro mereamini Regnum conſequi ſempiternum. In cujus conceſſionis, & confirmationis teſtimonium ſigillum mei officii duxi præſentibus apponendum. Datum Utini in noſtro Capitulo Generali Anno Domini milleſimo quadringenteſimo primo. Die vigeſima quinta menſis Maii.

Conſequenter de nobis duobus prædictus Magiſter Thomas mihi ſæpius nominato Fratri Thomæ Antonii de Senis curam omnium perſonarum dicti Status de Pœnitentia B. Dominici in Civitate Venetiarum, quemadmodum ejus ſupradictus prædeceſſor, commiſit per literas ſuas. Quarum tenor talis eſt, videlicet:

In Dei Filio ſibi Chariſſimo, Fratri Thomæ Antonii de Senis, Fratrum Ordinis Prædicatorum, Frater Thomas de Firmo Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac ejusdem Ordinis humilis Magiſter, & Servus, Salutem, & noſtræ Religionis augmentum. Deſiderans, & anhelans, noſtrum Ordinem in Civitate Venetiarum, non ſolum quo ad Fratres, & Sanctimoniales, ſed etiam quantum ad Statum Fratrum, & Sororum, de Pœnitentia S. Dominici, quemadmodum hucusque, ita & in poſterum ibidem de bono in melius promoveri, & quo ad numerum, ſicut ad meritum, augeri, & dilatari; Idcirco prout bonæ memoriæ B. Pater Frater Raymundus de Capua, Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, & prædeceſſor meus, ita & Ego vobis, de cujus bona diſcretione, affectione, & zelo erga dilatationem dicti Status Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis, quem vos ipſe inchoaſtis ibidem, merito plene confido, concedo eandem auctoritatem per omnia, quam prædictus totius noſtri Ordinis Magiſter, & prædeceſſor meus, vobis conceſſit ſuper inchoatione, directione, & gubernatione præfati Status, ſecundum quod apparet per ſuas literas, ſigillis Magiſterii Ordinis inſignitas, præficiens vos præfatis Fratribus, & Sororibus dicti Status in

eorum

eorum Magiſtrum, & patrem, nolensque, quod aliquis, me inferior, vos in aliquod negotium dicti Status concernens directe, vel indirecte impedire præſumat, nec quod ſe in aliquo hujusmodi intromittere valeat quovis modo, niſi prout, & quomodo duxeritis acceptandum. Suadens nihilominus vobis, ut quemadmodum hucusque laudabiliter feciſtis, requirendo conſilium R. Prioris Conventus Sanctorum Johannis, & Pauli, & quorumdam aliorum diſcretorum Patrum ſuper agibilibus dictum Statum concernentibus, ita & in poſterum, ſecundum quod opportunum judicaveritis, faciatis. In quorum omnium teſtimonium ſigilla noſtra duxi præſentibus apponenda. Datum Venetiis Anno Domini milleſimo quadringenteſimo primo, die ſecundo menſis Julii.

Ulterius vero idem ſupradictus Magiſter Thomas inter alia apud Sedem Apoſtolicam conſtitutus pro impetratione renovationis privilegiorum Ordinis, inter quæ plura privilegia unum impetravit, in quo poſt narrationem multiplicium gratiarum, Ordini Prædicatorum tam quantum ad Fratres, quam etiam Sanctimoniales hujus Ordinis ab Apoſtolica Sede conceſſarum, etiam de Fratribus, & Sororibus de Pœnitentia Sancti Dominici ibidem inſeritur per hunc modum, videlicet:

Quodque etiam ſingulæ utriusque ſexus perſonæ de Pœnitentia S. Dominici, alias beghini, ſeu beghinæ, ſeu alias qualitercumque nuncupatæ, regularem habitum dicti Ordinis portantes, in Eccleſiis Fratrum hujusmodi, ſcilicet Prædicatorum etiam tempore interdicti, dummodo ipſæ cauſam interdicto non dederint, Miſſas, & alia divina Officia audire, & eccleſiaſtica Sacramenta a Fratribus ipſis recipere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpeciali gratia & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine indulgemus. (*a*) Quod utique privilegium habetur bullatum apud dictum Magiſtrum Thomam; Inſinuatum vero habetur Venetiis, & habetur modo in Conventu SS. Johannis, & Pauli, ſive apud Sorores de Pœnitentia Beati Dominici de Venetiis; Copiatum autem habetur in multis locis. Et inſinuatum etiam eſt in Conventu Januenſi Ord. Prædic.

Item

(*a*) Allata Sedis Apoſtolicæ privilegia habentur Tom. II. Bullarii in Conſtitutione CCXII. Bonifacii IX. quæ lata fuit anno 1402. die 27. Aprilis.

Item reperimus quandam Regulam, ſive vivendi formulam iſtius Status Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, ordinationes & ſtatuta quædam continentem, & per Fratrem Munionem Generalem Magiſtrum Ordinis Fratrum Prædicatorum, ut dictum fuit ſupra, ſpecialiter reſpectu Sororum confectam, & per eundem Magiſtrum in Conventu Urbeventano dicti Ordinis Prædicatorum ſub ſuo proprio ſigillo relictam. Et quamvis dictus Magiſter Munio dictam Regulam taliter explicaverit, & etiam dictæ Regulæ aliqua poſtmodum ſuperaddita videantur; attamen talis Regula quantum ad principalem, & quantum ad ſubſtantiam ipſius Formulæ principalem originem a B. Dominico noſcitur habuiſſe. Hujus autem Regulæ, ſive Formulæ tenor talis eſt, videlicet:

Incipit Regula Fratrum, & Sororum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici Fundatoris, & Patris Fratrum Ordinis Prædicatorum. De Recipiendis, & eorum conditione Capitulum Primum. In primis ut hic Ordo &c. (*a*)

Item notandum, quod, licet Regula, ſive modus vivendi ſupradictus forſan non habuerit totaliter originem a B. Dominico, utpote quantum ad omnia capitula, & ſtatuta in ea contenta; non tamen ſequitur, quod iſte Status Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici non habuerit exordium, & originem ab ipſo B. Dominico, & etiam eorumdem Regula ſupradicta, ſeu modus vivendi. Et hoc ex eo, quia quantum ad principalia dictæ Regulæ, ſeu modi vivendi, originem a præfato B. Dominico convincitur habuiſſe, ut patet ex ſupradictis: & confirmatur hoc per ſimile; quoniam non eſt veriſimile, quod Regulam, vel modum vivendi Fratrum de tertio Ordine B. Franciſci, ipſe B. Franciſcus totaliter quoad omnia capitula, & ſtatuta, ſicut nunc eſt, ipſam ſic ordinaverit: quod oſtenditur ex duobus: & primo ex eo, quod in Legenda B. Franciſci, quæ incipit: apparuit gratia Salvatoris &c. circa principium, ubi ſit mentio de illis de tertio

 Ordi-

(*a*) Hæc Regula, quam Munio de Zamora ordinavit, inſerta legitur Conſtitutioni III. Innocentii VII. Vide Tom. II. Bullar. ad annum 1405. diemque 26. Junii.

Ordine, non ſit mentio de eorum Regula; prout nunc eſt ordinata, & capitulata. Secundo ex eo, quia ſecundum quod dicta Regula nunc ſe habet, publicata fuit tempore Nicolai Papæ IV. (*a*) qui fuit de Ordine Minorum, & præfuit Eccleſiæ poſt annos ſeptuaginta, vel circa a tranſitu B. Franciſci; & tamen ex hoc non tollitur, quin dicatur, quod Status, & Regula illorum de tertio Ordine originem habuerit a B. Franciſco: & ideo a ſimili conſtat, dicendum fore idem, vel eodem modo de Statu & Regula illorum de Pœnitentia B. Dominici: quod videlicet, non obſtante, quod non reperiatur authentice, dictam eorum Regulam fuiſſe perſonaliter a B. Dominico ſic ordinatam, & capitulatam per totum, ſicut modo eſt; attamen dicendum eſt, tam Statum prædictorum de Pœnitentia B. Dominici, quam eorumdem Regulam, ab ipſo B. Dominico omnino originem, & exordium habuiſſe; quemadmodum dictum eſt de illis de tertio Ordine B. Franciſci, quod videlicet originem, & principium habuerunt a B. Franciſco, prout apparet in Litera ſupradicti Nicolai Papæ IV. & in ſupradicta Legenda ipſius B. Franciſci.

Item reperimus Congregationum, & Fraternitatum plures Regulas, ſive vivendi formulas; cum Regulæ proprie dici poſſint niſi illæ, quæ ad tria vota ſolemnia ſuos obligant regulatos, quas tamen diverſi Romani Pontifices ſuis Apoſtolicis Literis approbarunt; quemadmodum Urbanus IV. illam Fraternitatis Militiæ Virginis; Nicolaus IV. illam de tertio Ordine S. Franciſci; & conſimiliter quamplures alii Romani Pontifices etiam alias hujuſmodi approbaſſe noſcuntur. Ex quibus vivendi formulis, per literas Apoſtolicas approbatis, inter alias aliquæ, quæ nunc venerunt ad manus noſtras, videlicet ſupradictæ duæ ſupradictorum duorum Romanorum Pontificum, videlicet Urbani IV. qui præfuit Eccleſiæ Anno Domini MCCLXII. & Nicolai IV. qui præfuit Eccleſiæ Anno Domini MCCLXXXVIII. Quarum Regularum,

ſive

(*a*) Inter Opuſcula S. Franciſci habetur *Regula Tertiariorum ſive Fratrum de Pœnitentia*. Ut refert Wadingus ad annum 1291. num. 107. Lege etiam Nicolai IV. Conſtitutionem Tom. 1. Bullar. Roman. in Editione Lutemburgenſi, (ſeu verius Genevenſi) pag. 159.

ſive formularum, taliter approbatarum, una ſic incipit, videlicet:

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. Sol ille verus perpetuo fulgore coruſcans, lux quidem clariſſima ſummæ lucis & fons luminis, defectum vel immutationem penitus neſciens, fidelium corda in hac via, & caliginoſa valle ſub carnis mole degentium infuſione inviſibili ſuæ admirabilis claritatis illuſtrat. Et ſæpe nobiles & potentes micantioribus contingens radiis, in eorum mentes lucem ingerit potiorem, & per quam iidem intuitu perſpicaciori ſublimius contemplantes, altiora liberius comprehendunt: celſiora etiam de hiis ſubtilius eligunt, & ardentius amplectuntur, & adeo quod ad ſuavem guſtum & amorem cœleſtium alios ſuo ſalutari exemplo vehementius animant, & inducunt. Hac ſiquidem luce perfuſi Nobiles viri Ludorencibiis de Andalo, Vivamons de Catinimitis de Bononia cives Bononienſes, Sclanca civis Reginus, Raynerius de Andelardis civis Mutinenſis, & alii plures de Civitatibus eorumdem, qui hujus ſeculi ſpretis vanitatibus, motivo dulcis contemplationis, divinis perſeveranter vacare laudibus, ferventi ſpiritu appetunt, Nobis devote ac humiliter ſupplicarunt, ut eis & omnibus, inclitum Chriſto cum ipſis cupientibus impendere famulatum, aliquam tertiam Regulam, ſeu vivendi regulariter formulam ſpecialem, & ſub ejus ſalubri obſervantia, virtutum domino magis placere valeat ſtatus re . . . . . curaremus. Nos itaque piis eorum ſupplicationibus, & ſalubribus deſideriis favorabiliter annuentes, infraſcriptam Regulam ſtudioſe compoſitam præfatis Nobilibus omnibus illam profiteri, & ſub ipſa divinis omnino ſe beneplacitis dedicare volentibus, concedimus, de Fratrum noſtrorum conſilio, perpetuis temporibus obſervandam, quam utique Regulam appellari volumus Ordinem Militiæ Beatæ Mariæ Virginis glorioſæ, ut qui profeſſi fuerint hanc Regulam, tanquam ſpeciali & perpetuo deſignato Ordine taliter nuncupentur, videlicet: Fratres Ordinis Militiæ Beatæ Mariæ Virginis. Regula vero talis eſt: Fratres Milites clerici & laici, qui in Conventualibus Eccleſiis dicti Ordinis fuerint, profeſſionem regularem ſecundum Regulam Beati Auguſtini faciant, prout

in forma inferius annotata expreſſum eſſe dignoſcitur, vivant ſub obedientia Prælati ſui in omnimoda caſtitate, & habitu honeſto &c. quæ habetur complete in pluribus locis, videlicet, in Peruſio, in Senis, in Bononia, & aliis Civitatibus Italiæ, in quibus aliqui de dicta Militia Virginis reperiuntur. Alia vero incipit:

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Fratribus, ac Dilectis in Chriſto Filiabus Sororibus Ordinis Fratrum de Pœnitentia B. Franciſci, tam præſentibus, quam futuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Supra montem catholicæ Fidei &c. *usque ad verba Cap. I.* recipi tute poterunt ad eandem &c. quæ habetur conſimiliter in pluribus Civitatibus, & locis.

Item ſciendum, quod, quia vivendi formula Fratrum, & Sororum Militiæ Jeſu Chriſti, & B. Dominici, ſupradicto Privilegio Gregorii IX. ſive X. aut Bullæ Papali non fuit inferta, quæmadmodum dictæ duæ nunc ſupradictæ, nec non & quia facta fuit mutatio nominis dictorum de Militia Jeſu Chriſti, & B. Dominici in nomine Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici; Hinc eſt, quod in formulis eorundem invenimus, hinc inde aliquam diverſitatem in verbis: quod ideo dicimus, ut ſi contingeret per aliquem, vel aliquos per diverſas Civitates, & loca quod in formulis ſupradictorum de Pœnitentia B. Dominici aliqua diverſitas, vel non omnimoda conformitas reperiretur; non admirentur de tali varietate, quæ per tempora retroacta contigiſſet hucusque.

Item reperimus, qualiter, facta computatione ex ſupradictis, Fratres & Sorores de Pœnitentia Beati Dominici non ſolum pro tempore, quo appellati ſunt de Militia Jeſu Chriſti, & Beati Dominici, ſed etiam poſtquam ſortiti ſunt vocabulum, ſive nomen de Pœnitentia Beati Dominici, fuerunt prius ab Eccleſia ſolepmniter, & publice privilegiati, quam illi de tertio Ordine Beati Franciſci, prout percipere poſſumus ex Chronicis ſupradictis Martinianis, & aliis: quod patet ex eo, quod Honorius Quartus, qui conceſſit Privilegium viris, ac mulieribus de Pœnitentia Beati Dominici, quod incipit: Congruum exiſtimantes &c.

&c. (*a*) & habetur ſupra in loco ſuo, præceſſit per plures annos Nicolaum IV. qui de Ordine Minorum exiſtens, approbavit per literas ſuas ſpecialem modum vivendi illorum de tertio Ordine Beati Franciſci, de quo Ordine nihil invenimus ante dictum Nicolaum fuiſſe per Eccleſiam publice authenticatum: Nam præfuit Eccleſiæ Honorius IV. 1284, (*b*) & dictus Nicolaus 1288. ſive 1289. (*c*) & Honorius conceſſit Pontificatus ſui Anno Primo. Et Nicolaus Pontificatus ſui Anno Secundo. Et notandum etiam, quomodo inſinuationes dicti Privilegii Honorii IV. de quibus ſupra facta eſt mentio, fuere factæ, quamvis tempore Nicolai IV. tamen Pontificatus ſui Anno primo; & ſic antequam dictus Nicolaus faceret literam, ſive bullam illis de tertio Ordine B. Franciſci, cum illa conceſſerit eis Pontificatus ſui Anno Secundo, ut dictum eſt. Patet etiam hoc idem, videlicet dicta præceſſio ex alio, videlicet quia reperimus, Magiſtrum Joannem de Vercellis, Sextum Generalem Ordinis Prædicatorum, qui præfuit Ordini 1264. ſcripſiſſe literas viris, & mulieribus de Pœnitentia B. Dominici, in Urbeveteri commorantibus, utpote eisdem beneficia Ordinis concedendo gratioſe. Et conſequenter invenimus, per ſequentem immediate Magiſtrum Munionem, Generalem Ordinis Prædicatorum Septimum, idem factum fuiſſe, nec non & Regulam, ſive vivendi Formulam eisdem declaraſſe, ſive explanaſſe, quæ ubique per Italiam ad præſens communiter obſervatur; & hoc 1286. Ex quo etiam concluditur, qualiter etiam ante tempus dictorum Generalium, & Magiſtrorum Ordinis Prædicatorum fuere de hujusmodi, videlicet de Pœnitentia Beati Dominici. Et ſi dicatur, quod fit mentio in Clementinis de illis de tertio Ordine B. Franciſci, ubi etiam appellantur continentes, & non de illis de Pœnitentia B. Dominici: Reſpon-

(*a*) *Honorii IV.* Conſtitutio legitur Tomo II. Bullar. Ord. Præd. pag. 10. Data eſt *Romæ apud S. Sabinam V. Kal. Februarii*, *Pontificatus anno primo*. Ideſt anno Chriſti 1286. die 28. Januarii.

(*b*) Corrigenda eſt Chronica anni nota, quæ ex Librarii inſcitia irrepſit, ipſe enim Honorius IV. electus fuit Summus Pontifex anno 1285. die 2. Aprilis: unde *annus* 1284. vitio laborat.

(*c*) Nicolaum IV. ſine dubio electum tene *anno* 1288. (non inſequente 1289.) die 22. Februarii.

ſpondetur, quod hoc nihil facit ad factum, ex eo quod Clemens V. qui fecit Clementinas, præfuit Eccleſiæ 1305. & in Concilio Lugdunenſi, (*a*) per ipſum celebrato 1312. conditæ ſunt Clementinæ prædictæ. Et poſtmodum per Johannem XXII. qui præfuit Eccleſiæ 1316. & ſedit in Papatu 17. annis, fuerunt dictæ Clementinæ publicatæ. (*b*) Ex quibus patet, quod fuere conditæ. per quam plures annos poſt Honorium IV. qui privilegiavit illos utriusque ſexus de Pœnitentia B. Dominici, & etiam poſt Nicolaum IV. qui per unam ſuam literam approbavit illos de tertio Ordine B. Franciſci. Unde licet in dictis Clementinis non fiat mentio de illis de Pœnitentia B. Dominici, cum non expediat; non tamen tollitur propoſitum. Nam cauſa, quare videlicet in Clementinis fit mentio de dictis de tertio Ordine B. Franciſci, & de Fratribus Minoribus, patet ibidem: & ſic, omnibus compenſatis, evidenter patet intentum, videlicet quod publica authenticatio per Eccleſiam illorum de Pœnitentia B. Dominici præceſſit authenticationem illorum de tertio Ordine B. Franciſci. Nec obſtat, ſi diceretur, quod D. Bonaventura Cardinalis Legendam B. Franciſci compegit, in qua fit aliqualiter mentio de dicto tertio Ordine; quoniam ſive fecerit dictam Legendam ante Cardinalatum, vel in Cardinalatu, (*c*) non tamen ex hoc redditur tertius Ordo B. Franciſci authenticatus. Et confirmatur, quia, ſi hoc eſſet, non fuiſſet expe-

(*a*) Lege *Viennenſe* Concilium pro *Lugdunenſe*. Inceptum vero Concilium Viennenſe anno 1311. die 6. Octobris, finem habuit anno inſequente 1312. die 6. Maii.

(*b*) Ad *Clementinas Decretales*, quod attinet, diligentius rem narrat Almericus Augerii in Sexta Vita Clementis V. apud Baluzium: *Anno quo ſupra* (1314.) XII. *Kal. Aprilis* ... *dictus Papa* (Clemens V.) *coram ſe in Conciſtorio publico ſuas Conſtitutiones decretales, quas in Concilio Viennenſi ordinaverat, publicari fecit: quæ hodie Clementinæ vocantur. Sed poſtea infirmitate præventus, ad ſtudia Generalia per eum tranſmiſſæ non fuerunt: ſed ſic publicatæ remanſerunt, donec per ſuum ſucceſſorem* (Joannem XXII.) *executioni demandatæ fuerunt*. Conſule Antonium Pagium, Franciſci Nepotem, in utriusque Pontificis Vita, in Breviario Hiſtorico-Chronologico-Critico Romanorum Pontificum.

(*c*) Inter Cardinales adnumeratum *Sanctum Bonaventuram* anno 1273. probatiſſimi teſtantur Scriptores. Longe ante ipſe Legendam *S. Franciſci* ſcripſerat.

expediens procuratio Bullæ Nicolai IV. ſupradicti. Præterea, etiamſi conſiderentur illi de Pœnitentia B. Dominici, ſecundum quod prius in Eccleſia militaverunt ſub vocabulo, & nomine de Militia Jeſu Chriſti & B. Dominici, ſequitur etiam, quomodo longe ante non ſolum Nicolaum IV. ſed etiam Honorium IV. fuerint in Eccleſia publice authenticati, utpote a Gregorio IX. vel X. qui ſupradictos Summo Pontifices præceſſerat.. Et hoc patet per Privilegium Gregorii, conceſſum Fratribus de Militia Jeſu Chriſti, & B. Dominici, quod incipit *Egrediens hæreticorum*, & cujus copia habetur ſupra in loco ſuo. Patet ergo ex omnibus ſupradictis propoſitum principale, niſi forſan tertius Ordo B. Franciſci habuiſſet aliquod Privilegium Papale tempore Gregorii IX. qui præfuit Eccleſiæ 1226. (*a*) vel Gregorii X. ſive Honorii IV. vel ante præfatos Pontifices, de quo non conſtat. Potuiſſemus autem, quod dictum eſt, adhuc efficacius confirmare, de dicta antiquiori publicatione authentica iſtorum B. Dominici, ſi ad manus meas occurriſſent Privilegia papalia, eis conceſſa, & ſignanter Alexandri IV. qui præfuit Eccleſiæ 1258. & Innocentii IV. qui præfuit Eccleſiæ 1238. & Innocentii V. qui præfuit Eccleſiæ 1256. Nam, ut patet ſupra in loco ſuo, ex Privilegiis papalibus dictorum, & aliorum Pontificum deducitur, Religionem illorum de Pœnitentia B. Dominici eſſe de Religionibus approbatis. Et ex eiſdem ſimiliter concludi poſſet prædicta præceſſio evidenter, ut de ſe patet: & confirmatur ex eo, quod non ſolum in præſens in partibus Italiæ, ſed etiam in Pera, & in Capſa, (*b*) & partibus Romaniæ, perſonæ de Pœnitentia B. Dominici ibidem a Magiſtro Tertio (*c*) extiterunt, prout

(*a*) Gregorius X. ad Summum Pontificatum evectus eſt anno 1227. die 19. Martii. Eo anno Paſcha incidit in diem undecimam Aprilis: unde in curſu erat annus 1226. juxta morem illum, quo initium anni, vel a Paſchate vel a die 25. Martii ſumebatur. Hunc morem hoc fortaſſe loco ſequitur Auctor.

(*b*) *Pera*, Suburbium Conſtantinopolis. *Capſa*, forte *Caffa*, Urbs Tauricæ Cherſoneſi in ora Ponti Euxini. *Romania*, pars Græciæ, alias *Thracia* dicta.

(*c*) *Tertius*, ut in codice ſcriptus videtur, Generalis Magiſter, fuit Sanctus Raymundus, anno 1239. electus. Sub hoc Magiſtro Fratres, & Sorores de *Pœnitentia*, ſeu *Militia Jeſu Chriſti*, in illis Orientis partibus floruiſſe, traditio ferebat.

prout eſt notum apud omnes, & maxime commorantes ibidem, ſeu venientes ab inde.

Item cum Congregatio, & Fraternitas, ſive Status Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici in omni ſinceritate Fidei orthodoxæ, & per virtutum odoramenta, non minus præficiatur aliis Fraternitatibus, ſed aliquo modo amplius etiam a tempore primitivo Sancti Dominici usque hodie, ut ſatis liquet ex dictis ſupra, per diverſas Mundi partes laudabiliter perſeveret, ſic quod eis condecens Regula, ſeu vivendi formula ſupradicta, ſub qua communiter hucusque vixerunt, & deinde efficacius optent, ſub eadem gratiſſimum Altiſſimo reddere famulatum; Idcirco nobis congruum videretur, & juſtum, quod quemadmodum hic Status, & perſonæ ejusdem per plura Privilegia Apoſtolica, ſuperius in parte expreſſa, eſt approbatus, ſeu approbatæ; ita etiam quod ad dicti Status promotionem, & permanentiam ſolidiorem Regula, ſeu vivendi formula ſupradicta ejusdem Status literis inſereretur Apoſtolicis, prout de ſupradictis vivendi formulis, & aliis per plures Romanos Pontifices extitit de Apoſtolica benignitate conceſſum, & gratioſe largitum; & ſic ex hiis omnibus ſupradictis ſatis evidenter apparet, qualiter Status Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici ſufficienter dici valeat approbatus, & quam ſit antiquus, ac etiam a diverſis Summis Pontificibus, tam antiquis, quam etiam modernis privilegiatus. Ex quibus ſequitur, quomodo eſt ſingulariter acceptandus, & venerandus, nec non eſt fovendus, ac etiam promovendus, & amplius approbandus. Et adhuc patere poteſt, qualiter de dicto Statu quilibet, qui ſupradictum Tractatum legerit, ſatis decenter hucusque remanere habeat informatus, prout intendebatur, etiam ſecundum quod in principio hujus Tractatus dabatur intelligi ad honorem, & gloriam Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Beatæ Virginis Mariæ, Matris ejus, & B. Dominici, ac Beatæ Catharinæ de Senis, totiusque cœleſtis Curiæ. Amen. Explicit Tractatus ſupradictus (*a*) quantum ad primam ejus partem principalem.

(*a*) Hæc verba, *Explicit Tractatus ſupradictus*, prima manu ſcripta ſunt: manu autem potentiore, verba alia quæ ſequuntur, *quantum ad primam ejus partem*

partem principalem, Hic idem vero *Tractatus* eſt, quem Thomas Antonii, & Bartholomæus Dominici communi ſtudio compoſuerunt. Quæ *duæ* ſequuntur *Partes*, ſecunda, & tertia, ad ipſum *Tractatum* minime ſpectant: quod etiam colligitur ex verbis, quæ paulo ſuperius habentur: *Qui ſupradictum Tractatum legerit*: & *in principio hujus Tractatus*. Rem perſpicue probat titulus ſecundæ, quæ dicitur, partis: *Incipit proceſſus plenariæ approbationis, & confirmationis Ordinis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Beati Dominici, faciens ad ſupplementum ſupradicti Tractatus, qui eſt de informatione dicti ſtatus & Ordinis*. Eo in Tractatu agitur de origine, & incrementis, ac Pontificiis privilegiis ejusdem Ordinis. Secunda in parte, de ſpeciali agitur confirmatione, quam Innocentius VII. largitus eſt, deque *Regula* olim per ſuperius laudatum Munionem de Zamora ſpecialiter approbata. Hæc *altera pars* itemque *tertia* Auctorem habent ſolum Thomam Antonii Senenſem.

Incipit proceſſus plenariæ approbationis, & confirmationis Ordinis, & Status Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, faciens ad complementum ſupradicti Tractatus, qui eſt de informatione, & communali approbatione dicti Status, & Ordinis.

Secunda Pars principalis totius Tractatus.

POſtquam per Nos ſupradictos fratres, Magiſtrum Bartholomæum, & Fratrem Thomam de Senis compoſitus, & ordinatus fuit ſupradictus Tractatas (*a*) in Venetiis exiſtentes; Cum quamplures utriusque ſexus perſonæ tam intuitu B. Dominici, & B. Catharinæ de Senis, quæ fuit, ut dictum eſt ſupra, hujusmodi Status Soror, quam etiam ex bona, & Sancta vita Fratrum Prædicatorum, in dicta Civitate commorantium, ac Sanctimonialium Corporis Chriſti de Venetiis, ſub cura eorumdem Fratrum degentium, fuiſſent allectæ ad ſumendum habitum dicti Status; contigit, ipſas audire, quod dictus Status non erat per Sedem Apoſtolicam approbatus. Quibus cum per nos reſponderetur eis, quod ſatis erat approbatus, conſideratis Privilegiis Apoſtolicis, & aliis quampluribus ſuperadditis de ipſis perſonis, aliquæ ſingulariter virtuoſæ, quæ jam dictum habitum aſſumpſerant, remanſerunt contentæ; aliquæ vero, quæ nondum dictum habitum aſſumpſerant, de hoc etiam bene contentæ, cum non parva devotione hujusmodi Status habitum ſuſceperunt; aliquæ vero ex auditu ſupradicto exiſtimantes, quod ſaltem non erat talis approbatio efficax, quemadmodum illa tertii Ordinis S. Franciſci, ſe a ſuſceptione dicti habitus retraxerunt. Quamplu-

(*a*) *Tractatum*, a duobus, quæ ſequuntur, ſejunctum partibus, ejusque Auctores duos, una collaborantes, evincunt hæc verba: *Poſtquam per nos ſupradictos Fratres, Magiſtrum Bartholomæum, & Fr. Thomam de Senis, compoſitus, & ordinatus fuit ſupradictus Tractatus, in Venetiis exiſtentes &c.*

plures etiam pro majori, & ſolidiori permanentia, ac augmentatione dicti Status, quod bonum eſſet impetrare unam literam Apoſtolicam, in qua formula vivendi ſupradicta hujus Status eſſet inſerta, nec non quod ſupradicta Privilegia per eandem Sedem innovarentur, & confirmarentur, propoſuerunt. Quod nos commendantes, & acceptantes hoc ipſum, & etiam conſiderantes, qualiter ſupradictum Tractatum compoſueramus, Reverendiſſimo Magiſtro Thomæ de Firmo Generali Ordinis Prædicatorum, cum tunc eſſet in Conventu Lucano Romanæ Provinciæ dicti Ordinis, totum curavimus intimare, & hoc de menſe Julii Anno Domini MCCCCII. (*a*)

Item, cum poſtmodum perveniſſet ſupradictus Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum Venetias eodem anno circa principium menſis Octobris, & reperiſſet ſupradictum Tractatum (*b*) ad Statum Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici pertinentem, taliter, ut patet ſupra, compoſitum per nos, & ordinatum, & duodecim, vel plures una cum Domino Antonio Superantio vidiſſet Fratres dicti Status, qui ipſum humiliter & ſimul viſitaverunt, & ſe eidem recommendaverunt, quatenus cooperari dignaretur, quod intentio eorum ſuper impetratione ſupradictarum literarum Apoſtolicarum intentum, ſeu optatum haberet effectum: Ipſe dictus Reverendiſſimus Magiſter ipſos gratanter vidit, & in dicto negotio, & aliis ſe eiſdem obtulit. Sed cum tunc accedere deberet verſus Alamaniam, ſicut & acceſſit, dimiſit in Venetiis literas ſuper dicto negotio Procuratori Ordinis ad Curiam transmittendas, videlicet fratri Ubertino de Albizis de Florentia S. Th. Magiſtro, ac ibidem Generali Procuratori, quorum tenor talis eſt, videlicet:

Chariſſime Procurator. Cum nuper Venetias adveniſſem,

 repe-

(*a*) De ſupradicto Tractatu veluti jam confecto Bartholomæus & Thomas certiorem fecere Thomam de Firmo Magiſtrum Generalem degentem in *Conventu Lucano Romanæ Provinciæ: & hoc de menſe Julii anno Domini* MCCCCII. Irrefragabile argumentum habes, quo vitium innoteſcit anni MCCCCXXII. quem affert brevis ejuſdem Tractatus epitome ſuperius memorata.

(*b*) Eadem Chronologia validiſſime confirmatur: ſiquidem Thomas de Firmo, cum Venetias adventaſſet anno 1402. Menſe Octobri, in Alemaniam profecturus, reperiſſe dicitur *ſupradictum Tractatum . . . . . compoſitum & Ordinatum.*

reperi, qualiter per dilectos Patres, Magiſtrum Bartholomæum, & Fratrem Thomam de Senis confectus eſt quidam tractatus (a) concernens Statum Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, Patris noſtri, quem vos ſi nondum vidiſtis, videbitis, Deo dante, ſicut & ego vidi: In quo, pluribus ordinate, & ſerioſe narratis, concluditur, qualiter non minus Regula præfatorum debet literis Apoſtolicis approbari, quam Regulæ ſive modi vivendi Fratrum, & Sororum de Militia Virginis per Urbanum IV. vel quam Fratrum, & Sororum

(a) In literis namque Thomæ de Firmo, quæ datæ fuerunt *Venetiis* ad Procuratorem Ordinis degentem Romæ die v. Octobris MCCCCIII. ſic legitur: *Cum nuper Venetias advenissem reperi qualiter per dilectos Patres Magiſtrum Bartholomæum, & Fr. Thomam de Senis, confectus eſt quidam Tractatus &c.* Illi ergo Tractatui jam die 5. Octobris, imo & Menſe Julio anni 1402. manum ultimam impoſuerant Bartholomæus, & Thomas. Chronologico anni 1422. errore deceptus Echardus, obitum *Bartholomæi Dominici* differendum cenſet ultra annum 1422. quo *vivum* ipſum, inquit in ejus Elogio, *habemus, & Venetiis agentem, & ſcribentem*. Sed plures jam ante annos illuſtrem Virum migraſſe de vita, teſtis eſt Joannes Dominici Cardinalis Raguſinus Ordinis Prædicatorum. *In Proceſſu conteſtationum de ſanctitate vitæ, & doctrina B. Catharinæ Senenſis*, qui ms. aſſervatur in Veneta SS. Joannis & Pauli Bibliotheca, ejuſdem Joannis Dominici literæ recenſentur, *Venetias* tranſmiſſæ, *ad Sororem Paulam*, (Matrem ejus,) *in Monaſterio Corporis Chriſti*, Dominicanæ Religionis votis obſtrictam. Datæ ſunt *Conſtantiæ*, ubi Concilio Œcumenico aderat, die XVI. Februarii MCCCCXVI. In his hæc habentur verba: *Venerabilis Magiſter Bartholomæus de Senis, qui modicum temporis eſt, ex quo ex hac luce migravit, Provincialis exiſtens Provinciæ Sancti Dominici*. Hanc epiſtolam Italice refert Antonius Maria Biſcionius inter Epiſtolas, quas Sancti & Beati Florentini ſcripſere, editas Florentiæ anno 1736. typis Franciſci Moucke. Data ibidem legitur *Conſtantiæ* die 22. Februarii ſine anno. Diem 16. Februarii exhibet Codex noſter, & annum 1416. Ex ea epiſtola innoteſcit jam multo ante annum 1422. mortem obiiſſe Bartholomæum Senenſem. Emortualem ejus annum Iſidorus Ugurgerius in Faſtis Senenſibus (*Pompe Saneſi*) Tomo I. Titulo VII. num. XXXVII. definit æræ vulgaris annum 1414. diemque notat 17. Decembris. Annum ſi reponas inſequentem 1415. diemque retineas 17. Decembris, conſonant omnia cum verbis Joannis Dominici, qui literas ſuas anno 1416. die 16. Februarii ſcribens, narrat, *modicum temporis* fluxiſſe, *ex quo* Bartholomæus *ex hac vita migravit*. Vincentius Maria Fontana in Theatro in *Epiſcopis Coronenſibus*, obitum ejus alligat anno 1417. dieique 3. Julii: notatque *Arimini* ipſum obiiſſe. Longe aberrat Chronologia. Illud fortaſſe verum, Bartholomæi obitum *Arimini* contigiſſe: namque Joanne Dominici teſte, vita migravit ille *Provincialis exiſtens Provinciæ S. Dominici*, ſeu Lombardiæ inferioris: ad quam ævo illo ſpectabat Cœnobium *Ariminenſe*. Hinc demum colliges perperam Bartholomæum inter Epiſcopos Coronenſes adnumerari.

rum

rum de tertio Ordine S. Franciſci per Nicolaum IV. fuerint approbatæ, ſed potius amplius, prout ibidem oſtenditur. Quia ergo talis approbatio, ut poſſet obtineri, cederet ad magnam reverentiam B. Dominici Patris noſtri, nec non ad noſtri Ordinis promotionem, & dilatationem non parvam, & hic quam devote dictus Status jam commendabile ſumpſit exordium; Unde & ab aliquibus nobilibus, qui jam dictum habitum ſuſceperunt, & ab aliis Ordini noſtro ſignanter affectis, pro dicta approbatione procuranda inſtantiſſime ſum rogatus, propter quod, ubi dicta approbatio obtineretur, præſumitur de non parvo augumento ipſius non ſolum hic in Venetiis, ſed etiam alibi; Idcirco rogo vos, & ita volo, & in meritum obedientiæ vobis impono, quatenus in hoc, quantum veſtra intereſt, apud Dominum noſtrum Papam & Cardinales, & ſignanter Bononienſem efficaciter laboretis; Et conſimiliter Frater Bartholomæus de Acerbis Vicarius Italiæ. Et eodem modo Prior hic, & Frater Thomas, quod eorum intererit, facient tam pro parte Venetorum, quam pro parte aliorum, & maxime Tuſchorum iſtius Status. Concludens, quod, quanto amplius circa hoc laborabitis, ut ad intentum deducatur effectum, tanto mihi amplius complacebitis. Nam, & ego, ſi haberem nunc Curiam viſitare, hoc ipſum facerem, & pro ſupradictorum tam pia, & devota petitione cum omni bona prudentia, & cautela indefeſſe laborarem uſque ad expeditionem. Et conſimiliter vos faciatis, procedendo tam prudenter, & caute, & per talia media, quod negotium prædictum commendabiliter ſuum optatum conſequatur effectum. Valete in Domino, & orate pro me. Datum Venetiis die quinta Octobris MCCCCII.

Veſter Frater Thomas de Firmo
Magiſter Ordinis Prædic.

Item dicto tempore venit ad dictum Generalem, & Ordinis Prædicatorum Magiſtrum, quidam Monachus Ordinis Carthuſienſis, Stephanus nomine, (*a*) Ambaſciator Sereniſſimi Prin-

(*a*) Intellige *Stephanum Maconum*, de quo ſupra. De hac *Alberti Ducis Auſtriæ* & *Sigismandi Regis Hungariæ* transmiſſa legatione vide excerptum vitæ ejusdem Maconi in actis Sanctorum Tom. III. Aprilis in Additamentis ad vitam S. Catharinæ pag. 970. num. 13.

Principis Domini Alberti Ducis Auſtriæ cum literis tam ad ipſum Generalem, quam ad Summum Pontificem, & Cardinales, ex parte dicti Principis, & etiam Regis Hungariæ ſuper Canonizatione ſupradictæ B. Catharinæ de Senis, de quo etiam dictum fuit in ſupradicto Tractatu. Quem Ambaſciatorem cum Dominus Generalis expediviſſet, feciſſetque nobis duobus, videlicet Reverendo Patri Magiſtro Bartholomæo, & Fratri Thomæ de Senis literas plures, de quibus partim in libro de Ortu iſtius Status in Civitate Venetiarum. (*a*) Et qualiter idem ſupradictus Magiſter Generalis Ordinis ſcripſit nobis præfatis aliquas literas ſuper materia canonizationis ſupradictæ. Conſequenter uni ex nobis, videlicet mihi prædicto Fratri Thomæ de Senis, fecit unam literam aliam, quæ habetur in ſupradicto Tractatu, confirmantem, meque per ipſum Vicarium ſuum ſuper illos de Pœnitentia B. Dominici, per totam Italiam exiſtentes, facientem, & quædam alia continentem cujus tenor, videlicet: In Dei filio ſibi Chariſſimo, Fratri Thomæ Antonii de Senis (*b*) Ordinis Prædicatorum, Frater Thomas de Firmo ejusdem Ordinis humilis Magiſter, & Servus Salutem, & noſtræ ſacræ Religionis augumentum. Cum vos alias per meas literas ſpeciales, tamquam ad id ſignanter idoneum, inſtituiſſem Vicarium ſuper Fratres, & Sorores de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis, & quod in abſentia veſtra poſſitis Vicarium, tam ipſis, quam vobis gratum, qui curam habeat de eisdem, relinquere: totum hoc ipſum, & quod in eisdem literis continetur, tenore præſentium approbans, & confirmans: quia ulterius non ſolum ſpecialiter, ſed etiam generaliter multa habeatis pertractare, Statum præfatum univerſaliter concernentia, & in Curia Romana, & extra Curiam per diverſas partes Italiæ, utpote tam canonizationem B. Catharinæ de Senis, quæ fuit

dic

(*a*) Alius indicatur *Tractatus* a Thoma compoſitus, *de propagatione* Fratrum & Sororum de Pœnitentia B. Dominici in Civitate Venetiarum, in quo & latiorem inſtituit ſermonem de Diſciplina Regulari inſtaurata in Cœnobiis Venetis Ord. Præd. Ex codice ms. qui adſervatur in Forojulienſi Fratrum Prædic. Bibliotheca & opera noſtra tranſcriptus mox prodibit in lucem.

(*b*) Reliquum hujus Operis concinnatum fuit a ſolo Thoma de Senis, & continet ea, quæ ab ipſo geſta ſunt, ut obtineretur ſpecialis adprobatio Sedis Apoſtolicæ.

de dictis Sororibus (ſuper cujus canonizationè pridie recepi literas ab Illuſtriſſimo Domino Domino Alberto Duce Auſtriæ, qui ad hoc videtur efficaciter velle intendere;) quam etiam approbationem Regulæ, ſeu modi vivendi præfati Status (ſuper quibus etiam per alias meas literas ſpecialem licentiam Reverendo Patri Magiſtro Bartholomæo de Senis, & vobis conceſſi) idcirco eodem tenore vos in partibus Italiæ univerſaliter, & generaliter ſuper omnes Fratres, & Sorores dicti Status Vicarium meum inſtituo per præſentes, & quod etiam eodem tenore poſſitis alium Vicarium eiſdem inſtituere in quibuscumque locis Italiæ, ſecundum quod neceſſitas exigit, & veſtra diſcretio judicaverit expedire. Valete in Domino, & orate pro me. Datum Venetiis die ſexta Menſis Octobris MCCCCII.

Conſequenter dicto anno & menſe, ſcilicet Octobris, diſceſſit de Venetiis ſupradictus Generalis Ordinis Prædicatorum, & Alamaniam, ſeu Teutoniam acceſſit, viſitaturus plures Provincias dicti Ordinis. Ulterius circa finem menſis Novembris ſcripſi cuidam Reverendo Magiſtro Ugolino de Camareno noſtri Ordinis, & Sacri Palatii Lectore (a) &c. & in Romana Curia longo tempore practico. Et inter alia ſic. Reverende Magiſter. Scripſi pluries tam vobis, quam aliis Patribus, Procuratori Ordinis, & Vicario Italiæ ſuper quadam gratia obtinenda, ſeu impetranda a Domino noſtro Papa pro Fratribus, & Sororibus de Pœnitentia B. Dominici in favorem ipſorum, & noſtrorum. Et ſi bene occurrit, in Capitulo Generali, Urbini Anno immediate præterito celebrato, fuit ſermo de impetratione plenariæ Indulgentiæ pro perſonis dicti Status, & illud non proceſſit. Fuit etiam ſermo ſuper impetratione cujusdam Bullæ Papalis, per quam Status & Ordo præfatorum redderetur plenarie approbatus, & confirmatus, quemadmodum

(a) Hugolinum de Camerino anno 1397. adlectum fuiſſe a Gregorio XII. ſacri Palatii Magiſtrum poſt Jacobum Arigonium refert Echardus in ejus elogio, quod tamen diligentius expendendum eſſe puto; etenim Thomas hic noſter recenſens epiſtolas ſuas ad Ugolinum datas *Venetiis in die S. Clementis* MCCCCII. ait *ſe ſcripſiſſe Rev. Magiſtro Ugolino de Camareno noſtri Ordinis & ſacri Palatii Lectori*. Cum autem non Magiſtrum vocet, ſed Lectorem Sacri Palatii, jure dubitandum eſt, num Ugolinus Jacobo Arigonio Sacri Palatii Magiſtro auxiliarem tantum operam conferret.

dum apparet de illis de tertio Ordine S. Franciſci, & de illis de Militia Virginis; & tunc dictum fuit, quod id foret proſequi nimis longum, ſed quod bonum eſſet, ut impetrarentur aliqua Privilegia ultra illa, quæ habet Ordo ille &c. Quæ per Reverendiſſimum Magiſtrum Ordinis, & per me jam impetrata ſunt, utpote quod poſſint absque alia licentia Superiorum recipere eccleſiaſtica Sacramenta a Fratribus Prædicatoribus, ad id deputatis &c. Sed breviter. Apud vulgum nihil videtur valere, niſi habeatur dicta approbatio per literam Apoſtolicam, expreſſe facientem de dicta approbationis, & confirmationis gratia mentionem. Propter quod Reverendus Magiſter Bartholomæus Dominici de Senis, & ego ſuper hoc recogitantes, compegimus unum Tractatum, quem ſi nondum vidiſtis, per latorem præſentium videre poteritis; in quo deducitur clare, & evidenter, quam congruum, & debitum ſit, quod Dominus noſter Papa præfatis conferat gratiam prælibatam, non minus, imo longe amplius, quam quod conceſſum ſit Congregationibus ſupradictis per Urbanum IV. & Nicolaum; unde judicamus, ubi adeſſet ſolers ſolicitudo, & prudens, quod dicta gratia impetrabilis foret de facili. Et ita videtur Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, qui pridie vidit præfatum Tractatum, & antequam hinc diſcederet, fuerunt ad ipſum quamplures de dicto Ordine de Pœnitentia B. Dominici, ſe eidem ſuper id ſuppliciter recommendantes: quod idem Magiſter hoc ipſum promittens eis, ſtatim ſcripſit ſuper materia Procuratori Ordinis efficaciter valde. Placeat ergo vobis velle videre dictum Tractatum, ut, ſi expediens fuerit, una cum Vicario Italiæ, vel Procuratore, vel per vos ſecundum quod inter vos ordinabitis, poſſitis D. Bonifacium diligentius informare; quia infallibiliter ſperamus, quod, ubi per vos, & præfatos circa id cura pervigil habeatur, obtinebitur omnino ſine fallo intentum, ex quo ſequitur non ſolum ſpirituale ſolatium, & honor præfatis, ſed toti Ordini noſtro; redditur ſiquidem ipſis non modicum grave, quod hinc inde per aliquas Mundi partes inſultentur ab æmulis; quod non ſint plenarie approbati; & nobis redditur non parum indecens, quod efficaciter non providetur. Nam in Viterbio, prout pridie Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis ſcriptum fuit, aliqui æmuli inſultant ibidem veſtitis noſtris, dicentes, quod Status eorum

rum non eſt ab Eccleſia approbatus, & quod non poſſunt ſalvari, & hujusmodi; & in tantum prævaluerunt, quod tam propter inſultationes tales, quam propter vitam ibidem Fratrum noſtrorum non, ut deceret, religione vigentem, una dimiſit habitum. Et conſimiliter hic in Venetiis contingit, quod aliqui hinc inde ſubmurmurant, idem dicentes: ſed non poſſunt ita obeſſe propter vitam, & famam Fratrum, & Sanctimonialium hic noſtrorum, & conſimiliter perſonarum de Pœnitentia B. Dominici. Et idem audivi, quod fit etiam alibi contra Statum prædictorum de Pœnitentia B. Dominici. Reſultat autem totum in non parvam confuſionem noſtri; cum habuerimus de dicto Statu tot perſonas ſanctas, ut patet in dicto Tractatu, & cum non ſolum per Fratres Prædicatores, aut per ſanctimoniales eorumdem, ſed etiam per dicti Status perſonas ſemper catholica Fides, & Romana Eccleſia fuerit pro viribus defenſata, ſecluſis ab eis erroribus quibuſcumque, quibus ſunt reſperſæ quædam aliæ Congregationes, & quidam Status per Eccleſiam approbati. Inſuper etiam dictus Status de Pœnitentia B. Dominici, prout habetur ex ſupradicto Tractatu, exordium habuit a Patre noſtro S. Dominico ob cauſam defenſandæ Fidei contra hæreticos, ac etiam violatores Eccleſiaſticæ libertatis. Et ſemper, ut experientia docet, hucusque perſonæ dicti Status fuerunt directæ, & regulatæ per Generales Ordinis Prædicatorum, aut Provinciales dicti Ordinis, ac per hoc ipſis ſubjectæ quantum ad illa, quæ Statum illorum concernunt. Unde non poteſt apparere ratio, quare Summus Pontifex, ubi ſuper hoc informetur, atque ſollicite, nolit hoc facere, vel quare etiam quicumque alius Prælatus non debeat nedum conſentire, ſed etiam id ipſum Summo Pontifici ſuadere. Et præſertim expoſcit ratio, ut hoc fiat per nos, & per Ordinem noſtrum. Quapropter cum, diſponente Domino, iſthic ſitis in Romana Curia, & in illa a diu practicus, & expertus, placeat pro Deo, una cum Vicario Italiæ, & Procuratore Ordinis, pro hujusmodi obtinenda gratia laborare quantum in hoc; & quæ Jeſu Chriſti, & quæ veſtra ſunt, pariter requiretis, utpote Ordinis veſtri. Et ſi quid circa id per nos judicatis fiendum, intimetis; & fiet libenter. Poterit etiam prodeſſe non parum frater Johannes Dominici, & etiam Provincialis Romanus, cum

in Romana Provincia ſint plura Collegia dicti Status, quare &c. Venetiis in die S. Clementis 1402. Item dicto tempore, vel circa, recepi unam literam a Vicario Italiæ per ipſum ſcriptam Romæ die 10. Octobris, in qua ſignificat, qualiter eſt Romæ, & bene ſperat, & quod debeamus ſibi mittere aliquod corporale mundum &c. Et ita poſtea feci.

Item dicto tempore, videlicet circa finem Menſis Novembris, ſcripſi dicto Vicario Italiæ, & inter alia ſic. Scripſit mihi Frater Antonius Contis de Luca, (*a*) qualiter detulerat vobiſcum Tractatum, pertinentem ad Statum Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, quem vobis, & Fratri Johanni Dominici Lucam transmiſeram. Et quia mihi non conſtat, an ipſum apud vos habeatis, decrevi per latorem præſentium transmittere vobis alium ſibi ſimilem, in quo, prout videre potuiſtis, ſive poteritis, deducitur, qualiter Summus Pontifex habet merito inclinari ad concedendum, quod modus vivendi ipſorum ſuis literis inſeratur, quemadmodum eſt ille Fratrum, & Sororum de Militia Virginis, & de tertio Ordine S. Franciſci. Item ſcripſit ſuper hoc Reverendiſſimus Magiſter Ordinis iſthic Procuratori Ordinis, & conſimiliter Prior Venetus & ego quampluries, quatenus ſuper id taliter provideret, & procuraret, quod obtineretur intentum. Et etiam ſuper idem ſcripſimus Domino Ugholino de Camareno. Cum igitur vos ſitis iſthic perſonaliter, oportet, quod diſponatis vos ad ſollicitandum, & adjuvandum pro viribus tam circa hoc, quam circa alia, quæ honorem Dei, & noſtri Ordinis dilatationem concernunt, & per conſequens animarum ſalutem, ad quæ Ordo noſter principaliter noſcitur inſtitutus. Super qua materia Prior hic Fratrum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici vobis ſcripſit, & cum pridie eſſet hic Reverendiſſimus Magiſter Ordinis ſe cum Confratribus præſentavit. Et hic eſt Dominus Frater Antonius Superantio, ſingularis filius veſter in Domino, qui etiam ordinavit, quod dictus

(*a*) Intellige *Antonium de' Conti d' Elci* Senenſem, inſignem Prædicatorum Ordinis alumnum; qui pluribus præfuit Romanæ Provinciæ Cœnobiis. Hinc *de Luca* ſcripſiſſe ad noſtrum Thomam Antonii dicitur. Cognomine *Contis*, ſicuti apud Thomam, inſignitus legitur in *Proceſſu* ms. *conteſtationum de ſanctitate vitæ & doctrina Beatæ Catharinæ Senenſis*, qui in Veneta SS. Joannis & Pauli Bibliotheca adſervatur.

dictus Magiſter Ordinis encæniaretur ex parte ſua, & ſuorum Confratrum; unde reportavit de eis non parvam ædificationem, ac etiam promittendo eiſdem omnem gratiam, & favorem ſibi poſſibilem; Scribendo conſequenter Procuratori Ordinis, prout eſt ſupradictum, imponendo ſibi in meritum obedientiæ, quatenus ſuper obtinenda præfatis gratia ſupradicta tam prudenter, quam etiam efficaciter laboraret. Item cogitavimus, quia bonum foret, quod, habito iſthic apud vos ſupradicto Tractatu, correcte, & clare reſcripto, & de ipſo plenarie informato, conſequenter per vos, & Procuratorem Ordinis, & Magiſtrum Ugolinum, vel alterum veſtrum præſentare Domino Bononienſi, (u) & cum hoc eundem informare oraculo vivæ vocis de dicto Tractatu, & de minuta copiæ impetranda, quam etiam mittimus cum Tractatu præfato, & de omnibus, prout expedire V. P. judicarent. Et ſic principaliter totum tractare cum dicto Domino Cardinali Bononienſi, cum reputetur majoris Sanctitatis, & practicæ, quam aliquis aliorum, & etiam fuerit noſtræ Religionis ſingularis reformator, & fautor. Item, quemadmodum Magiſtro ſcripſimus Ugolino, noveritis, qualiter quædam Venerabilis Domina Eliſabeth de Viterbio Soror Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, ſcripſit pridie Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, quomodo aliqui æmuli dogmatizant in Viterbio, quod Status ipſarum de Pœnitentia B. Dominici non eſt approbatus, & quod Dominæ, quæ illum aſſumunt, non ſunt in ſtatu ſalutis. Et in tantum eſt proceſſum, quod una dimiſit, ſeu depoſuit habitum in verecundiam Ordinis, & dicti Status; propter quod, & etiam propter malum Statum ibidem noſtri Conventus, ſupplicat humiliter dicto Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, quod dignaretur ſuper talibus providere pro Deo. Propter quod ipſe Reverendiſſimus Magiſter mihi impoſuit, quod debemus eidem reſpondere, atque ipſam in Domino ſingulariter confortare in ſpe bona remedii opportuni. Et ex hoc ipſe Magiſter etiam provocatus extitit ad ſcribendum Procuratori Ordinis efficaciter, ut fuit dictum. Dico etiam vobis,

 quod

(u) *Dominus Bononienſis*: ideſt Coſmas Melioratus, dictus *Cardinalis Bononienſis* ob Epiſcopatum Bononiæ, ad quem primum aſſumptus fuerat. Bonifacio IX. ſucceſſit, dictus *Innocentius Papa* VII.

quod aliqui videntes hic iſtos de Pœnitentia B. Dominici debere hinc inde multis intelligere, qualiter Status eorum non eſt approbatus, non audentes tamen ulterius procedere propter præſentiam noſtræ hic reformatæ Religionis; propter quod ad ſedandum omne ſcandalum in futurum eſſet ſupradicta impetratio opportuna omnino, quæ cum ſit juſta, & rationabilis, putamus firmiter, quod, ubi adſit ſollicitudo, debeat infallibiliter obtineri, Domino concedente, in quo ad votum pariter valeamus. Amen.

Conſequenter recepi unam litteram a Fratre Johanne Dominici per ipſum ſcriptam Arimini de Menſe Decembris die 20. in qua ſic. Heri ſero per Fratrem Nicolaum recepi, & legi litteras veſtras, & die Dominico mihi præſentatæ fuerunt litteræ tres ſimul Vicariatus Italiæ noſtri Fratris Bartholomæi de Acerbis. Video labores veſtros, & non minus primo videbam, & utrum ſit victoria; timeo enim, quod laboravimus in vacuum quoad fructum ſperatum, gradientem ſuper terram, ſed non quoad mentes noſtras, quas in abſcondito videt Deus. Ego quidem dilatavi Fratres, ſed non magnificavi lætitiam, & Conventu Cortonenſi excepto, & aliqualiter Fabriani ſi non ruerunt, cæteri ruunt: Vos autem eſtis ſub ſarcina gravi non multi ad onus portandum. Sed ſemper credidi, omnia fore Deo committenda orationibus, & humili vita. Litteras vobis transmiſi dirigendas Domino Bononienſi. Et Vicario, atque Procuratori Ordinis ſcribam libenter, ſed & vos non differatis. Nam Paſcha Reſurrectionis non videbit Procuratorem in Roma, debentem ad Capitulum Generale (*a*) tranſire, primo non per paucos dies Florentia viſitata. Litteræ, quæ diriguntur Domino Bononienſi, bene ſtant judicio meo; ſed melius, ſi forent breviores. Multis intentos brevia verba inveniunt melius Dominos, quam prolixa. Sed ego non corrigo, vel abbrevio, quia puto, me iſto mane hinc receſſurum, feſtine verſus Fabrianum &c.

Item de Menſe Januarii, quemadmodum ſupradictam, ita & aliam recepi a fratre Johanne Dominici per ipſum ſcriptam Ari-

(*a*) *Capitulum Generale*, quod celebrandum innuitur, ad annum 1403. ſpectat Habitum fuit, Præſide Thoma de Firmo, Luſordiæ in Saxonia in obedientia Urbaniſtarum.

Arimini circa finem Menſis Decembris. In qua poſt aliqua ſic. Scribo Procuratori Ordinis, & Vicario Italiæ. Et credebam mittere litteras per Lectorem Ariminenſem, euntem Romam, ſed Longus eſt nimis. Valete cum omni recommendatione, & Salute &c. Siquidem ſcripſeramus Domino Fratri Johanni Dominici, ut ſcriberet præfatis, & quod videret minutam ſupplicationis, per nos transmittendæ Domino Bononienſi, ſi quid circa illam addendum, vel diminuendum &c. Et ideo mihi de præfatis reſpondet, & etiam qualiter mittit nobis litteram unam Domino Bononienſi dirigendam, de qua infra poſt recitationem ſupplicationis transmiſſæ Domino Bononienſi, fit mentio.

Item circa finem Menſis Januarii 1403. recepi litteras a Vicario Italiæ de Roma per ipſum ſcriptas ibidem die 10. Januarii, in qua inter alia ſic. Reverende Pater. Recepi hodie unam litteram veſtram ſimul cum litteris Domini Archiepiſcopi Soltanienſis (*a*) directis Domino Cardinali Bononienſi &c. ſignificando de litteris directis Procuratori &c. Et quare nondum receperunt Tractatum ſupradictum, ſine quo bene non poteſt eſſe proceſſus ad finem &c. De quibus dimittitur gratia brevitatis. Siquidem dictus Archiepiſcopus cum Venetias de Menſe Januarii in principio perveniſſet, vel circa finem Menſis Decembris, ſcribere procuravit Domino Bononienſi, & conſequenter pro materia impetrationis intente per nos ſcripſit eidem Domino Bononienſi de Menſe Februarii.

Item conſequenter fuit ordinatum Anno Domini 1403. de Menſe Februarii per me ſupradictum Fratrem Thomam Antonii de Senis, quod ſupradictus Tractatus iterato cum quibusdam aliis copiis mitteretur Romam ſupradictis Procuratori Ordinis Prædicatorum, & Vicario Italiæ ejusdem Ordinis: & ita factum eſt cum effectu, quæ non fuerunt impedita, quemadmodum ſupradicta.

Item dicto Anno, & Menſe Februarii ordinavi de quadam ſupplicatione fienda Domino Cardinali tunc Bononienſi ſuper impetratione per ipſum obtinenda de littera ſupradicta approbato-

(*a*) Hunc *Archiepiſcopum Soltanienſem* in Armenia majori, appellatum *Joannem* ex ordine Prædicatorum, infra videbimus.

batoria dicti Status ad plenum ab Apoſtolica Sede. Et hoc tum propter ſpecialem Sanctitatis famam dicti Domini, tum proter ſpecialem affectionem, quam habere videbatur erga Religionem Fratrum Prædicatorum & ejus reformationem, quæ per ipſum Dominum in Venetiis non parvum recepit favorem, atque profectum: unde ex hoc per Fratres Prædicatores, & Fratres de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis ſpecialiter potius dicto Domino Cardinali, quam alteri tunc eſt directa. Cujus tenor talis, videlicet:

Humillima recommendatione præmiſſa. Reverendiſſime Pater, & Domine, ac totius Sacræ Religionis zelator, præcipue, & ſignanter noſter, videlicet fratrum Ordinis Prædicatorum, cujus inſtitutor extitit Pater eximius S. Dominicus, cujus corpus Sacrum in alma Civitate Bononienſi a cunctis fidelibus reconditum fore dignoſcitur. Et qui S. Pater nedum Religionis ſuæ, ſed quam totius univerſalis Eccleſiæ ac fidei orthodoxæ zelator pariter, & defenſor admirandus extiterit, nec non & qualiter tam contra hæreticos, & hæreſes univerſas, quam contra quævis alia, contra fidem, vel Eccleſiæ reverentiam militantia, viriliter se opponens, tam per se, quam per ſuæ Religionis alumnos præcipuos, triumphum mirificum reportaverit, per quamplures Romanos Pontifices, id ipſum per ſuas litteras propalantes, ad cunctorum notitiam Chriſtifidelium eſt deductum; ac etiam quomodo per diverſas Mundi partes in ſuis ſuccedentibus filiis hucusque, Domino largiente, perſeveret, hoc idem poteſt eſſe omnibus manifeſtum. Propter quæ inter alias cauſas, prout merito firmiter eſt credendum, ita præcipue reformationem, & promotionem hujus ſacræ Religionis noſtræ zelare videmini, quemadmodum usque in præſens evidenter rei probavit eventus: vere in hoc veluti Eccleſiæ Sanctæ Dei legitimus princeps, & in præfato zelo ſupradicto Patri S. Dominico ſpeciali affectione, ac etiam imitatione conformis. Unde cum præſertim in Civitate Venetiarum a quodam tempore citra, utpote jam ſunt novem anni elapſi, & ultra procuratione veſtra cum præſenti Summo Pontifice Bonifacio IX. Religio Prædicatorum tam in Fratribus, quam in Sanctimonialibus ſpecialiter, Deo dante viguerit, & continuum de bono in melius recipiat incrementum, ſecundum quod ex re, & nomine, ſeu fama poteſt toti

Mun-

Mundo patere; Et propter id etiam conformiter Status Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici ibidem continuo proficiat per incrementa virtutum (de quo Statu pro veſtræ Reverendæ Dominationis informatione quamplura in unum collecta in quodam Tractatu, eidem veſtræ Reverendæ Dominationi per manus Procuratoris Ordinis Prædicatorum, vel Vicarii Italiæ ejusdem Ordinis oſtendentur, & inter alia quomodo Fratres, & Sorores prædicti Status tam alibi, quam etiam Venetiis exiſtentes, devote affectant, quod Regula ſive modus vivendi ipſorum, quemadmodum Fratrum, & Sororum de Militia Virginis, & Fratrum, & Sororum de tertio Ordine B. Franciſci, per Apoſtolicas litteras approbaretur, ſeu Apoſtolicis litteris insereretur, & quod etiam eorumdem privilegia confirmarentur. Et hoc propter rationes, quæ in dicto Tractatu continentur, & plures alias, quæ hic omittuntur gratia brevitatis) hinc eſt, quod ad Reverendam Dominationem Veſtram, tamquam totius hujus noſtræ Religionis Fratrum Prædicatorum maxime zelatricem, recurrimus confidenter, ſupplicando eidem, quantum poſſumus humiliter, & inſtanter, quatenus in ampliorem favorem totius habitus dictæ Religionis Fratrum Prædicatorum taliter providere Veſtra Reverenda Dominatio dignetur, ut illud, quod per Fratres, & Sorores de Pœnitentia B. Dominici, vel per nos Fratres Prædicatores de Venetiis pro ipſis petitur, bonitate veſtra ab ipſo Summo Pontifice de ejusdem benignitate, & gratia concedatur, parati ſemper ad omnia Veſtræ Reverendæ Dominationi grata, & præſertim pro Sanctitatis Suæ, & Reverentiæ Veſtræ felici ſtatu quotidie orationibus, ſive precibus aures Dominicas propulſare. Addendo adhuc pro aliquali evidentia majori præfatis, qualiter, cum quamplures utriusque ſexus perſonæ ſanctis doctrinis, ac etiam exemplis tam Fratrum, quam ſanctimonialium ſint ad ſancte, & religioſe vivendum commotæ, atque diſpoſitæ, nec tamen valeant habiliter Ordinem Prædicatorum, ſeu ſanctimonialium eorumdem intrare; libenter ſaltem ſatagerent, & affectarent aſſumere præfatum Statum Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, & ſignanter ubi appareret, quod regula, ſive modus vivendi ipſorum, quamvis ſit multis privilegiis Apoſtolicis communitus, attamen etiam eſſet, quemadmodum

ſupra-

ſupradictorum de Militia B. Virginis, & de tertio Ordine S. Franciſci, litteris Apoſtolicis inſertus, ſeu per litteras Apoſtolicas ſpecialiter approbatus, prout etiam ſuperius dicebatur, & in ſupradicto Tractatu, qui Veſtræ Reverendæ Dominationi per ſupradictos, vel alterum ipſorum præſentabitur, plenius continetur. Venetiis die quintadecima Menſis Februarii 1403. Veſtri in Domino humiles Oratores Fratres Prædicatores, & de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis.

Item cum per me Fratrem Thomam ſupradictum ordinaretur de ſupplicatione ſupradicta, ut præfertur, etiam curavi ſcribere Fratri Johanni Dominici de Florentia, tamquam bene noto apud Dominum Bononienſem ſupradictum, quatenus eidem Domino dignaretur per ſuas litteras ſupplicare pro cauſa ſupradicta; quod ipſe Frater Johannes, cum tunc eſſet in Conventu Ariminenſi noſtri Ordinis, fecit; & literam dicto Domino transmittendam mihi in Venetiis deſtinavit. Cujus tenor talis, videlicet: Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Domino Coſmato, &c. (*a*) Reverende Pater, & Domine, poſt recommendationes humiles & devotas. Cum Venetiis, & aliis pluribus locis poſtquam ſanctæ Religionis flores apparuerunt amæni, quorum radices Reverenda Paternitas Veſtra multis favoribus irrigavit, utriusque ſexus perſonæ diverſæ remanentes in ſeculo ſub habitu, quem almus Pater S. Dominicus non paucis tradidit viris, & fœminis, appellans eos tunc de Militia Jeſu Chriſti, & a tempore Honorii Papæ IV. de Pœnitentia B. Dominici nuncupantur, licet a vulgaribus vulgari nomine Bighini, ſeu Bighinæ, quemadmodum perſonæ de tertio Ordine B. Franciſci, dicuntur, Domino virtutum amplius ſolito gratum videantur reddere famulatum; & qui Summorum Pontificum antiquis indultis ſatis roborari videntur, nec non quia inferiora cuncta paulatim cum tempore ruunt, & magis nova placent, quodque quia ſemel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum. Supplico fiducia grandi, quatenus per eandem Reverendam Paternitatem Veſtram auxilium pium efficaciter apponatur, ordine requirente, ut præfatis perſonis præteritis, & futuris Regula confirmetur antiqua corrigenda, mutan-

da,

(*a*) *Coſmas* appellabatur, itemque *Coſmatus*.

da, dilatanda, innovandaque juxta beneplacitum Rêverendæ Paternitatis præfatæ, ſicut olim extitit approbata Regula tertii Ordinis S. Franciſci. Merito enim qui prior eſt tempore, prior eſt jure, atque quæ a jure non exorbitant, fortaſſis in conſequentiam ſunt trahenda. Cæterum, quod non eſt mihi minus jucundum, obſecro per miſericordiam Dei noſtri tantæ Reverentiæ occupari obſequiis, quam Deus attollat &c. Datum Arimini 8. Decembris 1402. R. P. V. Humilis orator, & ſervus Frater Joannes Dominici de Florentia.

Dictam autem literam cum habuiſſem, ſupradicto Procuratori Ordinis tranſmiſi, qui ipſam dicto Domino Bononienſi præſentaret. Et licet ante fuerit ſcripta per ipſum Fratrem Johannem, quam ſupradicta ſupplicatio; per nos tamen fuit poſterius Domino præfato tranſmiſſa, videlicet Anno Domini 1403. de Menſe Februarii.

Item, cum dicto tempore ad Conventum Venetum quidam Dominus Frater Johannes Archiepiſcopus Soltanienſis perveniſſet, eſſetque ſingulariter notus dicti Domini Bononienſis, ordinavi, quod eidem Domino unam literam ſupplicatoriam pro ſupradicta cauſa ſcribere dignaretur; & ita fecit, & gratanter. Cujus tenor talis, videlicet:

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & D. D. Coſmato &c. Reverendiſſime Pater, & Domine præmiſſis humilibus recommendationibus, Reverendæ Veſtræ Paternitati notifico, qualiter, cum nuper de partibus Romaniæ perveniſſem Venetias, ſicut eidem in parte per alias literas notum feci, ita & nunc idipſum magis ad plenum confirmo, quomodo, ut ibidem per multos dies moram contrahens ego adverti de ſpeciali augumentatione, & promotione tam re, & facto, quam nomine, ſive fama hic noſtri Ordinis Prædicatorum: & hoc tam quantum ad Fratres Prædicatores, & Sanctimoniales eorundem, quam etiam quantum ad Fratres & Sorores, qui, & quæ dicuntur de Pœnitentia Beati Dominici. Quia vero tam dicti Fratres Prædicatores, quam etiam de Pœnitentia B. Dominici videntur, jam ſcripſiſſe Reverendæ Veſtræ Dominationi, ac etiam Vicario Italiæ, & Procuratori Ordinis Prædicatorum ſuper impetratione cujuſdam literæ Apoſtolicæ, per quam Regula, ſive vivendi formula ipſorum de Pœnitentia B. Dominici roboretur, & confirmetur, quemadmodum vivendi for-

mulæ, ſive Regulæ Fratrum de Militia Virginis, & de tertio Ordine S. Franciſci olim per Urbanum IV. & Nicolaum IV. approbatæ fuerunt; & per quam dictam literam etiam eorumdem privilegia refirmentur: Addentes ego de ipſorum quam juſta petitione, quemadmodum a ſupradictis Patribus noſtri Ordinis Veſtra Reverenda Dominatio ad plenum potuit, aut poterit informari; Et conſiderans etiam, qualiter de dictis de Pœnitentia B. Dominici, in partibus noſtris orientalibus tam Fidem catholicam, quam etiam Ordinem noſtrum Prædicatorum zelantibus; idcirco tam ex me, quam etiam ad ipſorum inſtantiam cogor ex conſcientia, Reverendæ Dominationi Veſtræ pro viribus eorumdem ſupradictam cauſam commendare. Et ita facio precibus, quibus poſſum, quatenus Veſtri procuratione & interventu, dicta ipſorum juſta, & ſancta petitio ſuum ſortiatur effectum, ut quemadmodum Ordo Prædicatorum ſpecialiter in hac Civitate Venetiarum, & alibi, tam quo ad Fratres, & Sanctimoniales, veſtri bonitate profecit, & proficit; ita & quo ad dictos de Pœnitentia B. Dominici continue de bono in melius per virtutum odoramenta, veſtris intervenientibus piis favoribus, tam in ſupradictis partibus Orientalibus, quam etiam in iſtis Occidentalibus, & ubique, merito, & numero augeatur, & creſcat. Nam licet iſti de Pœnitentia B. Dominici ſint quampluribus privilegiis Apoſtolicis communiti tam antiquorum Summorum Pontificum, & præſertim Gregorii X. Honorii IV. Johannis XXII. & modernorum Gregorii XI. Urbani VI. & Bonifacii præſentis Papæ IX. (Quæ privilegia ego perſonaliter tam in copiis, quam in inſinuationibus, & Bullis Papalibus vidi, & ita teſtimonium de ipſis veridicum perhibeo per præſentes) attamen quamplures ipſarum perſonarum de Pœnitentia B. Dominici non videntur ad plenum contentari, & in Domino conſolari, niſi, prout dictum eſt, etiam eorum vivendi formula, ſive Regula, ſub qua communiter hucuſque vixerunt, & vivunt, & quæ per ſupradictos Patres noſtri Ordinis Prædicatorum Reverendæ Veſtræ Dominationi, ſi non eſt præſentata, præſentabitur revidenda, & corrigenda, per literas Apoſtolicas confirmetur, ſeu literis Apoſtolicis inſeratur, quemadmodum vivendi formulæ, ſive Regulæ ſupradictorum; & conſimiliter, quod eorumdem Privilegia refirmentur,

tur,

tur, quatenus per hoc ipſorum Status ſolidior reddatur, & in Dei Eccleſia compareat plenius approbatus. Cæterum, ſicut per alias literas, ita per iſtam replico, videlicet: quod, poſtquam fuero in Janua, ubi me nunc ire oportet, quam citius ex tunc potero, Reverendæ Veſtræ Dominationi, atque Sedi Apoſtolicæ me, Deo dante, præſentare curabo; & tunc de pluribus plene eamdem Reverendam Dominationem Veſtram, & Sanctitatem Domini noſtri Papæ potero informare. Altiſſimus Reverendam Dominationem Veſtram nobis Chariſſimam conſervet per tempora longiora. Venetiis die 27. Februarii 1403. Per Veſtrum humilem, & devotum Oratorem Fratrem Johannem Archiepiſcopum Soltanienſem, ſive totius Orientis, Ordinis Prædicatorum.

Item ulterius recepi quaſdam literas a Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, per ipſum ſcriptas in Colonia die 23. Febr. 1403. in quibus inter alia ſic. *Chariſſime Frater Thoma Regulam illorum de Pœnitentia B. Dominici, & ea, quæ circa ipſam materiam collegiſtis, ad Generale Capitulum mihi tranſmittere minime negligatis* &c.

Item, cum conſequenter dicto anno Domini 1403. de menſe Madii invenirent ſe duo Nobiles Viri de Venetiis, videlicet: Dominus Petrus Ajemo vel Emmo Miles, & Dominus Petrus Piſano in Urbe, Ambaſciatores miſſi (*a*) ibidem per Ducale Dominium ad Dominum noſtrum Papam; ſuaſu Fratris Bartholomæi de Acerbis de Peruſio, ibidem tunc exiſtentis, Vicariatusque Italiæ ex parte Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis exercentis officium, dicti Ambaſciatores, cum eſſent in procintu diſceſſus ab inde, ſupplicaverunt pro eadem cauſa ſupradicta ipſi ſupradicto Domino Bononienſi oraculo vivæ vocis. Et reſponſum ſuper petitione ſua gratiſſimum dedit eisdem, ſubinferens, quod videlicet deberent taliter ordinare, quod ad ejus mentem præfatæ petitionis cauſa reduceretur aliquando: propter quod cum poſtmodum Venetias rediiſſent, & Domino Epiſcopo Caſtellano id inter alia retuliſ-

 ſent,

(*a*) Oratores Veneti Romam miſſi ad Bonifacium IX. fuerunt *Petrus Piſano*, & alter *Petrus Aiemo* vel *Emmo* ut in ſupplici libello *ad Coſmatum Melioratum* dato, aliiſque litteris a Thoma recenſitis legitur ſubſcriptus *Petrus Emmo*.

ſent, & etiam mihi, ſollicitare curavi dictos Ambaſciatores, quatenus dicto Domino Bononienſi deberent ſuper id ſcribere, & idipſum ad mentem ejus reducere juxta condictum. Et conſimiliter ſollicitavi dictum Dominum Epiſcopum Caſtellanum, quod eidem Domino Bononienſi pro dicta cauſa ſcribere dignaretur. Et ſic facere tam dictis Ambaſciatoribus, quam etiam mihi promiſit. Et ita utrique ſcripſerant. Quarum literarum, tenor primæ ſcilicet Ambaſciatorum prædictorum talis eſt, videlicet:

„ Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Domino „ Coſmato &c. poſt humiles recommendationes. Noverit Re„ verendiſſima Dominatio Veſtra, qualiter, poſtquam perve„ nimus Venetias, Deo dante, incolumes, viſitato noſtro Du„ cali Dominio, cum etiam viſitaremus Dominum noſtræ Ci„ vitatis Venetiarum Epiſcopum, inter alia ſibi retulimus, „ quomodo ſuper ſupplicatione, quam Reverendiſſimæ Domi„ nationi Veſtræ porrexeramus pro illis de Pœnitentia B. Do„ minici, eadem Reverendiſſima Veſtra Dominatio reſponſum „ dederat gratioſum. Quod audiens, idipſum, ſicut & reli„ qua, habuit ſingulariter charum, & gratum, ex eo quod „ ipſe Dominus Epiſcopus prælibatus ad ipſos de Pœniten„ tia Beati Dominici, & Fratres Prædicatores hic noſtros „ propter commendabilem vitam, doctrinam, & famam eo„ rundem ſpeciali in Domino affectu devotionis afficitur: un„ de, prout nobis retulit, decrevit ſuper hoc Reverendiſſi„ mæ Dominationi Veſtræ efficaciter ſcribere, & de dictis „ Fratribus, eidem teſtimonium commendabile perhibere. „ Quapropter etiam nos moti ſumus ad ſcribendum Reve„ rendiſſimæ Dominationi Veſtræ, & ad memoriam reducen„ dum, ac etiam iterum ſupplicandum, ut gratiam, ſive li„ teram, quam ſupradicti de Pœnitentia B. Dominici obti„ nere intendunt, è Domino noſtro Papa eisdem Veſtra Re„ verendiſſima Dominatio impetrare dignetur. Ad quod etiam „ tanto amplius Veſtram Reverendiſſimam Dominationem „ compellimur aſtringere, quanto ex hoc nedum ipſis Fratri„ bus, & nobis complacentiam ſpecialem, ſed etiam noſtræ „ Civitatis Dominio ſpirituali faciet, & temporali. Inſuper, „ quia nuper accepimus, quomodo totius Religionis prædi„ ctorum, ex qua in hac noſtra Civitate tam laudabiliter cœ-

„ perunt

„ perunt vivere, ſemper fuiſtis eorumdem præcipuus Pater,
„ & Dominus, nutritor & fautor, non minus in præſentiali-
„ bus eſſe debetis, ſive in poſterum, imo longe amplius;
„ Cum ſupradicto favore veſtro hucusque uſi fuerint, & utan-
„ tur, ac uti pro ſemper velint in continuum ſpiritualem
„ profectum, & eorumdem Religionis Sacratiſſimæ augumen-
„ tum, prout ſanctiſſimæ intentionis veſtræ in Domino fore
„ dignoſcitur per quamplura. In quo valeat ſæpedicta Reve-
„ rendiſſima Dominatio Veſtra per tempora longiora. Et nos,
„ ſi qua poſſumus eidem grata, prointerim parati ſumus ad
„ illa, ſecundum quod duxerit imperandum. Venetiis die quin-
„ tadecima Junii 1403. Veſtri humiles Oratores, Petrus Em-
„ mo, & Petrus Piſano de Venetiis.

Secundæ vero litteræ, ſcilicet Epiſcopi Caſtellani (*a*) ad eumdem Dominum Bononienſem tenor talis eſt, videlicet:

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Domino Coſmato &c. Reverendiſſime Pater, ac ſingulariſſime Domine mi, poſt humilem, & devotiſſimam recommendationem cum animo, ad cuncta placita eidem Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ ſemper parato. Ex relatione Dominorum Ambaſciatorum, nuper deſtinatorum per Ducale Dominium Venetorum ad Sanctam Sedem Apoſtolicam, ac charitatis coram eodem Domino noſtro Summo Pontifice patenter, ac omnibus Reverendiſſimis Patribus Dominis Cardinalibus, ut pro devotiſſimo filio affectuoſiſſime impendiſſe, ut poſt recitationem ejusdem Ducalis Dominii, factam de me per ipſos Ambaſciatores coram eodem Sanctiſſimo Domino noſtro, veſtra Reverendiſſima Paternitas, non minus ex ardentiſſimo zelo charitatis, quam veritatis, de me laudes plurimas contuliſtis, (pro quo opere tanto ferventius eidem Reverendiſſimæ Veſtræ Paternitati obligor, quanto devotius irrequiſita eadem Veſtra Reverendiſſima Paternitas laudes effudit) non valeo gratias, nec retributiones condignas impendere; ſed exoro Retributorem omnium bonorum, ut mihi gratiam conferat, ut valeam erga eamdem Reverendiſſimam Paternitatem Veſtram recompenſationem condignam afferre. Cæterum, Reverendiſſime

(*a*) *Caſtellanam* Eccleſiam regebat *Franciſcus Bembo*, qui ſubſcriptus litteris legitur.

ſime Pater, Fratres Prædicatores Ordinis B. Dominici in Venetiis devotiſſimis, ac ſuis laudabilibus moribus, & vita accepta Deo, & hominibus, allexerunt certos Deo devotos, in ſtatu nihilominus ſeculari induentes ex antiqua ordinatione dictorum Fratrum Prædicatorum tunicam albi, & capuceum, & mantellum nigri coloris, (*a*) quos appellant Fratres de Pœnitentia B. Dominici: Qui pariter cum Sororibus ejusdem Status multis privilegiis Apoſtolicis ſunt muniti, ſub certa Regula, & obſervantia degentes, ad inſtar tertii Ordinis S. Franciſci, ipſique principaliter tam timorati viri de Civitate iſta, quam ipſi Fratres Prædicatores, & ego ſimul cum eis appetimus ſummopere totis viribus, ipſum dictum Ordinem de Pœnitentia B. Dominici per Sedem Apoſtolicam approbari eo modo, & forma, quibus approbati fuerunt Fratres de Militia Virginis per Sanctæ Memoriæ Papam Urbanum IV. & Fratres de tertio Ordine B. Franciſci per ſanctæ memoriæ Papam Nicolaum IV. dicti Ordinis B. Franciſci profeſſorem. Quare eidem Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ humiliter, & devotiſſime ſupplico, ut cum effectu operam dare placeat, quatenus ſecundum deſideria rationabilia, juſſa, & ſancta ſua in impetratione approbationis prædictæ, mediante veſtra charitate meis precibus, & amore, prout optant, obtineant. Iterum ad omnia veſtra beneplacita, & mandata ſemper paratus, ut fideliſſimus filius ejusdem Veſtræ Reverendiſſimæ Paternitatis. Venetiis die vigeſima ſexta Junii Indictione XI. 1403. Veſtræ Reverendiſſimæ Paternitatis humilis ſervulus, & Orator F. Bembo Epiſcopus Caſtellanus.

Cum contigiſſet, Romam accedere quemdam Fratrem Thomam de Reate, Priorem Clugienſem, Ordinis Prædicatorum Anno Domini 1403. de menſe Julii, ſibique plurimum recommendaſſem negotium literæ impetrandæ pro illis de Pœnitentia B. Dominici apud Dominum Bononienſem; conſequenter die tertia menſis Septembris mihi de Fabriano per literas, & inter alia ita reſpondet dicens: Fui Romæ cum Magiſtro Bartholomæo Thebaldi viceprocuratore apud dictum Dominum Bononienſem cum litera una Fratris Johannis Dominici, qui, lecta præfata litera, dixit dulciter, & pie: facia-

(*a*) Nota habitum virorum tertii Ordinis.

ciatur fieri ſupplicationem. Et cum dictus Magiſter, & Ego vellemus eidem dicere quædam verba, de quibus ad invicem, contuleramus, non curavit multum audire, ſed ter iteravit idem verbum, dicens, faciatur fieri ſupplicationem, ſatis benigne.

Item, cum aliquas literas ſcripſiſſem ſupradicto Viceprocuratori, tunc Procuratore Ordinis abſente, a Curia Romana, die vigeſimaſeptima Septembris, inter alia mihi de Roma ſcripſit, videlicet: Reverende Pater, poſt affectuoſas, ſalutem. Plures veſtras recepi literas, informativas ſuper facto illorum de Pœnitentia B. Dominici, quod ego æque vobiſcum affecto, ſed non poſſum cogere Dominos plus, quam velint; & non video, quod poſſit aliquid fieri, quouſque factum Imperatoris ſit determinatum ex toto, licet ſit concluſum. Dominus Bononienſis promittit infallibiliter facere, & pluries repetivit. Et quia ipſe eſt unus de Commiſſariis ſuper Imperio, ideo dicit mihi, quod habeam patientiam, quia omnino intendit facere, & ita ſcribo vobis habeatis patientiam; quia hic per me nulla committitur negligentia, nec remaneo ex ſollicitudine. Sitis firmæ ſpei, ſicut & ego ſum, niſi decipiar. Procurator Ordinis adhuc non venit, ſed expecto eum quotidie &c. Datum Romæ die Dominica. Veſter totus, ut eſt Frater Bartholomæus Thebaldi.

Item, cum dictus Procurator Ordinis perveniſſet Romam, deinde ſcripſit noſtro Priori Veneto, Fratri Johanni Benedicto die vigeſima nona menſis Septembris; Et inter alia ſic. Item dicatur Fratri Thomæ Antonii de Senis, quod ordinavi cum Ambaſciatoribus Florentinis; qui modo hic ſunt, inter quos eſt Dominus Maſius de Albizis, (*a*) conſanguineus meus, quod tempore congruo præſentabunt ſupplicationem pro illis de Pœnitentia B. Dominici Domino meo Papæ pro parte mea &c. Et jam ordinavi de ſupplicatione fienda. Et ſit ſecurus, quod nulla fiet Simonia, ſed ſolum expenſæ pro Bullis, quæ aſcendent, ut puto, ad bonam ſummam, unde provideo, in caſu quod exponerem pecuniam aliquam, taliter faciam.

(*a*) Hunc *Maſum Albitium* Florentinum, vocat *virum equeſtris ordinis, & ingenti virtute*, Poggius Bracciolinus Libro IV. Hiſt. apud Muratorium in collectione Scriptor. Ital.

ciatur, quod non ſim deluſus. Ego enim faciam, quam melius potero, & ſciam. Interim vero ipſe provideat, quia cito extraham manus, ut credo, & ſi vellet, poſſet ſaltem partem mittere huc; & eſſet ſecura, quia non exponetur, niſi facto negotio, niſi, prout ſibi dixi, apud Peruſium. Si aliqui laborarent. Vale &c. veſter Frater Ubertinus &c. Procurator Ordinis.

Item a Reverendo Patre Fratre Bartholomæo de Acerbis de Peruſio Vicario Italiæ recepi unam literam, ab ipſo ſcriptam Romæ die decimaquarta menſis Octobris; in qua inter alia ſic mihi ſcribit, videlicet: Item notifico vobis, quod Procurator Ordinis, qui pervenit Romam, jam ſunt quindecim dies, & venit cum Ambaſciatoribus Florentinis, inter quos eſt Dominus Maſius de Albizis, dixit mihi, quod intendit facere porrigi ſupplicationem de confirmatione illorum de Pœnitentia B. Dominici per dictos Ambaſciatores Florentinos Domino Papæ, quia ſperat, quod, mediantibus eis, melius obtinebit gratiam. Et ego confortavi eum ſuper hoc. Magiſter Bartholomæus Thebaldi fuit infirmus, & adhuc non eſt plene liberatus, & intendebat etiam porrigere ſupplicationem ſuper prædicta materia. Sed ex quo Procurator aſſumpſit, volumus videre, quam reſponſionem habebit &c. Et poſt multa de aliis materiis, ſubjungit ſic. Videlicet: Procurator Ordinis dixit mihi, quod expectabat, quod Dominus Papa eſſet in bona diſpoſitione, ad hoc ut porrigeretur ſibi ſupplicatio, quam petitis. Ipſe Dominus Papa eſt ſemper infirmus aliqua infirmitate, quia multas habet infirmitates, licet minus gravetur una vice, quam alia. Et ideo frequenter non poſſunt homines ſibi loqui; & quando loquuntur, oportet loqui breviter. Et quando non eſt bene diſpoſitus, non dat gratas reſponſiones; & ideo oportet captare horam aptam. Et propter hoc non miremini, ſi res differtur; quia ſit, ne habeamus repulſam propter indiſpoſitionem, vel propter horam ineptam. Et poſtea recitat de approbatione novi Imperatoris, obtenta die prima Octobris, dilata per dimidium annum, & ultra.

In dicto Menſe Octobris ſcripſit mihi de Senis huc Venetiis ſuper multiplici tædio & dolore, quod negotium canoni-

zatio-

zationis B. Catharinæ non proſequebatur, prout ſperabat; & de guerris circumſtantibus.

Item conſequenter recepi literas a ſupradicto Vicario Italiæ, ſcriptas Romæ die prima Novembris; in quibus inter alia dicit ſic. Chariſſime Frater, poſt cordiales, ſalutem. Scripſi vobis pluries, & noviter ſcripſi circa medium Menſem Octobris, & adhuc ſcribo, quod Procurator Ordinis propoſuit facere porrigi ſupplicationem de confirmatione illorum de Pœnitentia Beati Dominici Domino Papæ per Dominum Maſium de Albizis, Ambaſciatorem Florentinorum, qui eſt hic Romæ, & promiſit porrigere, poſtquam erit expeditus de negotiis ſuis, quæ nondum ſunt expedita; & ideo ſupplicatio nondum eſt porrecta, expectamus finem rei. Et ulterius facit mentionem de novis habitis de Pariſius ſuper reſtitutione Ordinis quo ad omnia, & de multis aliis &c.

Item recepi a Procuratore Ordinis literam unam, per ipſum ſcriptam Romæ die ſexta Novembris; cujus tenor eſt, videlicet: Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Scripſi pridie Priori veſtro, quomodo negotium, mihi per vos impoſitum, intendebam facere ſignari per Dominos Ambaſciatores Florentinos; & ita faciam: & jam ſupplicatio eſt formata. Ipſi autem jam per viginti dies non ſunt locuti Domino noſtro Papæ, niſi pridie, quando habuerunt nova de Bononia. Hodie eſt tertia dies, ex quo a Reverendo Provinciali Franciæ Frater Bartholomæus Thebaldi unam literam veſtram recepit, quam de Clugia mihi ſcripſiſtis de illa particula addenda; quod fiet juxta deſiderium veſtrum &c. Datum Romæ, quando, & ubi ſupra. Veſter Frater Ubertinus de Albizis Procurator Ordinis.

Item recepi aliam literam a Vicario Italiæ, per ipſum ſcriptam Romæ vigeſima ſeptima die Novembris; in qua inter alia dicit ſic, videlicet: Item de confirmatione Fratrum de Pœnitentia B. Dominici nihil factum eſt, quia Procurator Ordinis cogitaverat facere porrigi ſupplicationem Domino Papæ per Dominum Maſium &c. & nunc eſt in receſſu, & taliter ſunt Ambaſciatores Florentini licentiati, quod non debent amplius redire ad eum, ſed recedere. Et non fuit, qui ſollicitaret dictum Dominum Maſium prius expeditionem ſuam, & ſuorum. Credo, quod proceſſit ex oblivione. Nunc autem

dicit Procurator, quod faciet per aliam viam, ſcilicet, per Protectorem Ordinis, qui porriget dictam ſupplicationem. Quando hoc erit factum, notificabo vobis. Ita autem indebito, & injuſto modo fiunt modo negotia in Curia, quod ego non ſpero, quod aliquid fiat ad petitionem meam, & nullus habens conſcientiam vult aliquid obtinere per iſtum modum. Dimittam Procuratori Ordinis ea, quæ habeo in ſcriptis, pertinentia ad materiam confirmationis &c. Magiſter autem Bartholomæus Tebaldi rediit ad Urbemveterem &c. Et infra dicit ſic, videlicet: Item dixit mihi Procurator Ordinis, cujus literam vobis mitto, quod credit firmiter, ante nativitatem Domini facere porrigi ſupplicationem, & habere reſponſionem, utrum Dominus Papa velit concedere gratiam illam, vel non. In eadem etiam litera narrat de quampluribus, utpote de electione Provincialis Romani ad Epiſcopatum Fulginatenſem, (a) & inſtitutione Vicarii Romanæ Provinciæ, & pace Civitatis Paruſinæ, & de multis dimittendis hic gratia brevitatis.

Item recepi literam Procuratoris, de qua hic ſupra immediate fit mentio, per ipſum ſcriptam Romæ die vigeſima prima Novembris; cujus tenor: Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Heri a Reverendo Vicario Italiæ veſtras recepi literas duplicatas ejuſdem tenoris, & nullam aliam ante iſtas a vobis recepi, ex quo Romæ huc redii de Menſe Septembris immediate præterito; ſalvo quod poſt feſtum omnium Sanctorum Viceprocurator Ordinis Magiſter Bartholomæus Thebaldi dedit mihi unam, quam, ut dicit, habuit, antequam huc pervenirem. Qua habita, ſtatim addi feci illam particulam, concernentem ſpecialem iſtorum de Pœnitentia B. Dominici filiationem ad B. Dominicum, de qua particula mihi

(a) Is eſt *Fridericus Frezzius* de Fulgineo Ordinis Prædicatorum. Bulla aſſumptionis ejus ad Epiſcopatum *Fulginenſem* proſtat Tomo II. Bullarii pag. 452. Data legitur *Romæ apud S. Petrum* xvi. *Kal. Decembris Pontificatus* (Bonifacii IX.) *quartodecimo anno*: æra vulgaris 1403. die 16. Novembris. Apud Ughellum alligatur ejus electio *anno* 1403. *die* 15. *Menſis Octobris*. In Diſſertatione Apologetica, quæ habetur Tomo II. Quadriregii, typis edito Fulginei anno 1725. refertur Bonifacii Bulla de Friderici electione, data *Populo Civitatis, & Diœceſis Fulginatenſis . . . Romæ apud S. Petrum* xvi. *Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno quintodecimo*: Chriſti 1403. An hic, an in ſuperiore Bulla extet error, in anno Pontificatus, meum non eſt inquirere.

mihi ſcribitis, & ita reſcripſi vobis. Scripſi etiam Reverendo Priori veſtro unam literam ſuper materia. Quantum vero ad factum, prout etiam in alia vobis ſcripſi, credebam perficere negotium per manus Ambaſciatorum Florentinorum; ſed jam illa via evanuit: faciam ego per aliam viam. Et ſtatim poſt primam Dominicam Adventus aggrediar negotium: per ante non poſſum, quia illo die habeo facere Sermonem (*a*). Et ſitis boni animi, quia ante feſtum Nativitatis Domini ego ſpero perfeciſſe, ita quod eritis contenti. Ego habeo promiſſa, quæ feci Venetiis tam Deo, quam B. Catharinæ Sorori iſtius Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, quam etiam vobis, magis cordi, quam credatis, & niſi quod credidi facere per medium dictorum & melius, & ſecretius, jam eſſemus expediti; ſed, ſicut ego dico, ante iſtum Adventum ego extraham manus de materia. Alia non ſcribo ad præſens. Vale in Domino &c. Datum Romæ die qua ſupra. Veſter Frater Ubertinus de Albizis Procurator Ordinis &c.

Item poſt hæc Reverendus Pater Frater Johannes Dominici, exiſtens in Conventu Ariminenſi, de infirmitate gravi curatus, die . . . . . . mihi direxit unam literam, per Vicarium Italiæ ſcriptam Romæ Dominica prima Adventus, & ſic in principio menſis Decembris. Et inter alia ſic, videlicet: Item ſcripſi vobis, quomodo de confirmatione Fratrum de Pœnitentia B. Dominici nihil fuit factum usque nunc, & Ambaſciatores Florentini jam receſſerunt hinc de Roma. Sperat autem Procurator Ordinis, per aliam viam procurare gratiam illam etiam ante Nativitatem Domini. Et hodie dictus Procurator fecit ſermonem in Capella Domini noſtri; & ideo amodo erit magis expeditus ad negotia peragenda. Replicat etiam in eadem litera quamplura, de quibus hic dimittitur gratia brevitatis.

Item conſequenter recepi unam literam a Procuratore Ordinis, ſcriptam Romæ die quinta menſis Decembris; cujus tenor talis eſt, videlicet: Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Die tertia præſentis Menſis recepi unam literam veſtram, Venetiis datam die quintadecima Novembris, & re-

H 2 cepi

(*a*) Etiam hoc tempore nempe 1403. erant ſoliti Procuratores Generales Ordinis Prædicatorum prædicare in Capella Papali.

cepi ab illis de Medicis promiſſionem de decem ducatis, quos, vel quorum partem accipiam, & expendam, prout oportebit, in negotio veſtro, & prout per aliam ſcripſi vobis, quam dedi Reverendo Vicario Italiæ. Spero cum adjutorio Dei expedire ante feſtum Nativitatis Chriſti. Particulam vero illam, de qua mihi ſcripſiſtis, jam a diu feci addi in Regula, quam mecum portavi. Sitis boni cordis, & permittatur me facere, & ſufficit. Vale. Datum quando, & ubi ſupra &c.

Item ulterius recepi unam literam a Reverendo Vicario Italiæ ſupradicto, ſcriptam Romæ per ipſum die duodecima dicti Menſis Decembris, in qua ſic: Chariſſime Frater, poſt cordiales, Salutem. Notifico vobis, quod hodie recepi & literas veſtras ſimul &c. Et ſequitur. Item notifico vobis, quod Procurator Ordinis dixit mihi pluries, quod intendit, ut ſupplicatio de confirmatione &c. porrigatur per unum Cardinalem Domino Papæ ante Nativitatem Domini, & petatur in ſupplicatione, quod hoc committatur Domino Protectori Ordinis, ut examinet ea, quæ expediunt pro illa cauſa: & ſperat Procurator, quod ante Nativitatem Domini ſciet intentionem Domini Papæ, an velit, vel nolit concedere &c. In eadem etiam litera narrat, qualiter Magiſter Bartholomæus Dominici non acceſſit Romam pro negotio canonizationis B. Catharinæ, ſed bene venerunt literæ ad Procuratorem Ordinis de partibus Auſtriæ ſuper hoc, & etiam quidam Sacerdos, habens commiſſionem a ſuo Præpoſito ex parte Ducis Auſtriæ, ut inquireret diligenter de geſtis dictæ Beatæ. Narrat, quomodo dictus Dux intendebat eam facere canonizari, & quod vellet, ut corpus Virginis transferretur apud ipſum &c. Item dicit de Vicariatu Provinciæ Romanæ, & electione Provincialis fiendæ de menſe Januarii, & ex hoc non poſſe venire Venetias usque poſt factam electionem, & alia plura &c. Et de multis literis ſcriptis per eum Priori Veneto, & Superiori, & aliis &c.

Item conſequenter recepi a Procuratore Ordinis unam literam, ſcriptam Romæ die decimanona dicti Menſis Decembris, cum copia ſupplicationis factæ die dicta Domino noſtro Papæ: cujus literæ tenor eſt: Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Ecce vobis ſervavi promiſſum: iſto namque die feci per Dominum Protectorem Ordinis noſtri præſentari Domino

mino

mino noſtro Papæ ſupplicationem pro plenaria confirmatione habenda illorum de Pœnitentia B. Dominici. Et commiſſum eſt negotium, & examinatio Regulæ Domino Cardinali Bononienſi, qui ſe externo die, quando ſibi cauſam commendavi, oſtendit ſe ſatis inclinatum ad confirmationem optatam, ſicut illam, quam habent Fratres Minores; & credo, quod vos aliud non vultis. Sollicitabo jam negotium, licet jam grandis mihi reſtet labor, & ſollicitudo ratione tot occupationum, quas habet Dominus Bononienſis. Sed ſpero, quod Deus meritis B. Catharinæ, & aliarum perſonarum de dicto Ordine præſentium, & præteritarum negotium deducet ad optatum effectum. Sitis nimis boni cordis, e viva Criſto, e S. Domenico Barone. Vos autem ſtatim ſollicitetis aliquas literas ad dictum Dominum Bononienſem, quas videritis expedire, licet forſan non erit opus; & mihi eas mittatis dandas, & præſentandas, ſecundum quod oportebit, & mittatis mihi expedientia pro expeditione Bullarum, vel alteri, de quo magis complacebitis, quod ipſe expendat. Neſcio adhuc, vos adviſare de quantitate, quia materia eſt extranea, & rara in Curia. Recepi usque modo ab illis de Medicis pro vobis ducatos decem, de quibus, & aliis, qui mittentur, fidelem computum aſſignabo. Mitto vobis copiam ſupplicationis, ut videatis, ſi bene omnia comprehendantur. Alia ad præſens non ſcribo &c. Tenor vero dictæ copiæ talis eſt: Beatiſſime Pater (*a*). Exponitur Sanctitati veſtræ pro parte humilium ejusdem, ſcilicet Fratrum, & Sororum Ordinis de Pœnitentia S. Dominici, quod, cum olim dictus Ordo per eumdem S. Dominicum ſub vocabulo de Militia Jeſu Chriſti inſtitutus fuiſſet, tandem poſt multorum annorum curricula, debellatis hæreticis in Tholoſanis, & Italiæ partibus, Ordo prædictus, hujusmodi vocabulo mutato, de Pœnitentia S. Dominici, præſidente tunc Sanctæ memoriæ Honorio Papa IV. titulum ſuſcepit; ac Fratres & Sorores hujusmodi quamdam Regulam, ſeu religioſe vivendi formulam obſervarunt, & obſervant de præſenti. In qua quidem Regula non nulla

(*a*) Bonifacio IX. porrectus fuit ſupplex libellus, ut Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſpecialem, & plenariam Ordinis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Beati Dominici impertiri confirmationem dignaretur.

nulla honeſta, & rationabilia, ac regulari diſciplinæ congruentia, videlicet: de Recipiendis in ipſo Ordine, & eorum conditione; de habitu Fratrum, & Sororum; de benedictione veſtium; de profeſſione; de ſtatuto permanentiæ; de horis canonicis dicendis; de ſurgendo ad matutinas; de Confeſſione, & Communione; de ſilentio obſervando; de reverentia exhibenda Eccleſiarum Prælatis; de jejunio; de Cibo; de Diſcurſu; de armis per Fratres non portandis; de infirmis viſitandis; de Obitu Fratrum, & Sororum; de inſtitutione Prioris, ſeu Prioriſſæ; de officio Prioris, & Prioriſſæ; de correctione Fratrum, & Sororum; de congregatione eorumdem; de diſpenſatione fienda, & de obligatione Regulæ; ſtatuta fuerunt, & ordinata, prout ordinate, & diſtincte clarius deſcribuntur. Et licet, Pater Beatiſſime, exponentes, & Ordo præfati variis Sedis Apoſtolicæ fuerint privilegiis communiti; tamen pro ſolidiori eorum ſubſiſtentia diu deſiderarunt, prout deſiderant, Regulam, ac ſtatuta, & Ordinationes hujuſmodi cum earum expreſſa inſertione per Sedem eamdem approbari. Supplicant igitur Sanctitati Veſtræ ipſi exponentes, quatenus alicui ex Reverendis Patribus Dominis Cardinalibus, vel aliquo honeſto Prælato in Romana Curia, quod Regulam, ſtatuta, & ordinationes, prædicta Auctoritate Apoſtolica rimari, inſpicere, & diligenter examinare, procuret committere, ipſiſque ſic rimatis, & inſpectis, & examinatis, ſi honeſta, rationabilia, & Religioni congruentia reperiantur, ea ad inſtar felicis recordationis Urbani IV. & Nicolai IV. Romanorum Pontificum, prædeceſſorum ejusdem Sanctitatis, qui de Militia Virginis, & de tertio Ordine S. Franciſci Regulas approbarunt, cum plena, & expreſſa inſertione earumdem, ex certa ſcientia, autoritate prædicta, approbare & confirmare, ac perpetuis futuris temporibus obſervari mandare dignemini, de gratia ſpeciali, cum omnibus non obſtantiis, & clauſulis oportunis.

Item conſequenter recepta a Procuratore Ordinis litera ſupradicta cum Copia ſupplicationis, conſequenter recepi a ſupradicto Vicario Italiæ unam literam, per ipſum ſcriptam Romæ die vigeſima dicti menſis Decembris, in qua ſic: Chariſſime Frater, poſt cordis ſalutem. Notifico vobis, quod iſto mane Dominus de Brancatiis, Protector Ordinis noſtri, ad in-

inſtantiam Procuratoris Ordinis porrexit ſupplicationem Domino noſtro Papæ de confirmatione Ordinis illorum de Pœnitentia B. Dominici, continentem, quod Dominus noſter dignaretur committere examinationem Regulæ, ſeu formulæ vivendi ipſorum Fratrum, & Sororum alicui de Dominis Cardinalibus. Et Dominus noſter Papa commiſit Domino Cardinali Bononienſi. Hæc notifico vobis ad gaudium, & ad conſolationem veſtram, & aliorum Fratrum. Oportet ergo amodo ſollicitare Dominum Bononienſem, qui dicitur eſſe multum longus in agendis: tamen eſt habenda bona ſpes, ex quo commiſſum eſt ſibi. Bonum erit, quod faciatis ſcribi ſibi per Dominum Epiſcopum Caſtellanum, & per alios, qui ſunt ſibi grati, rogando, quod laboret ſuper hac materia, ut deducatur ad concluſionem. Et provideatis vobis de pecunia neceſſaria &c. Scribit iterum de adventu ſuo Venetias, qui non poteſt habere locum uſque ad electionem factam de Provinciali Romano in Paruſio circa finem Januarii. Item dicit, mittantur literas dirigendas Domino Bononienſi per quemcumque, dirigantur Procuratori Ordinis, & ipſe judicabit, utrum ſit expediens dare vel non.

Item ulterius venerunt ad manus meas literæ duæ Fratris Johannis Dominici, quarum una Procuratori Ordinis, & alia Vicario Italiæ dirigebantur, concernentes materiam literæ impetrandæ, & per ipſum ſcriptæ in Ariminio die vigeſima tertia menſis Decembris, quarum primæ tenor talis eſt, videlicet.

Reverende Magiſter, & Pater. Propter multa, quæ audio, fide digna ammulis charitatis, operantibus male; duxi Paternitatem veſtram fiducialiter ſupplicare, quatenus inſtare debeatis apud Summum Pontificem, & totam Curiam, ut Fratres, & Sorores de Pœnitentia B. Dominici Apoſtolicis privilegiis tueantur, regulentur, & confirmentur cum debitis circumſtantiis, per veſtram Paternitatem prudentius requirendis, cum omnibus, quæ ſequuntur ad iſta. Sum veſter. Si viſitaveritis Dominos meos Bononienſem, Aquilejenſem & Conſtantinopolitanum, ſupplico recommendetis me ipſis, & Magiſtro Ugolino, paratum ad omnium veſtrum mandata. Vos autem conſervet Altiſſimus ſemper ad vota. Amen. Da-

tum

tum Arimini die, qua ſupra 1403. Filius veſter Frater &c. Ordinis Prædicatorum Johannes Dominici.

Secundæ literæ tenor talis eſt, videlicet: Reverende Pater. Dominica Secunda Adventus recepi literas Vicariatus veſtri, exiſtens Arimini, & ſtatim tradidi eas mercatori Florentino ſcilicet, Maſio de Agholnatis, vobis tranſmittendas. Cæterum oro, quod ſitis ſollicitus ſuper facto Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, prout etiam eſt de intentione Reverendiſſimi Patris noſtri Magiſtri Ordinis. Ego quidem puto, fore neceſſarium, aut dictos exuere, aut Bullis Papalibus confovere. Aliud non occurrit novitatis ſcribendum. Rogate pro me, & rogemus pro invicem, ut ſalvemur, quia janua Paradiſi olim lata, facta eſt arcta, noſtris demeritis exigentibus. Et non dicitur lata, vel arcta ex ſe; ſed quia aut multi, aut pauci vadunt per illam. Quando videritis Dominos Bononienſem, Aquilejenſem, & Conſtantinopolitanum, recommendetis me &c. Recommendo me Magiſtro Ugolino, & eum vobis & ego. Valeat veſtra Paternitas &c. Datum Arimini, ut ſupra 1403. Filius veſter Frater Johannes Dominici. Qui tunc non ſciebat adhuc de ſupradicta commiſſione, facta in Dominum Bononienſem.

Item cum ſupradicti, Procurator Ordinis, & Vicarius Italiæ in ſuis ſupradictis literis mihi ſuaſi fuiſſent, quod poſt commiſſionem, factam in Dominum Bononienſem, ego deberem procurare literas ſollicitatorias a dicto Domino gratis, ſeu gratioſis; jam cogitare cœpi ſuper id. Interim recepi unam literam a Vicario Italiæ ſupradicto, per ipſum ſcriptam Romæ die tertia Januarii, quæ dicit ſic: Chariſſime Frater, Cordiali ſalutatione præmiſſa. Scripſi vobis jam plures literas de menſe Novembris, & Decembris. Et in ultima per quendam Epiſcopum barbatum Ordinis Minorum ſcripſi vobis, quomodo ſupplicatio de confirmatione &c. fuit porrecta Domino Papæ per Dominum de Brancatiis, Ordinis Protectorem, ad procurationem Procuratoris Ordinis; & Dominus Papa commiſit informationem, & relationem Domino Bononienſi. Et quia fuerunt feſtivitates ſolemnes, Procurator Ordinis noluit moleſtare dictum Dominum Bononienſem. Sed heri ſero fuit Procurator locutus dicto Domino Bononienſi, & por-

& portavit ſibi Regulam, ſive formulam vivendi; & ipſe reſpondit, quod videret eam. Dicit Procurator, quod eſſet contentus, ut iſtud negotium eſſet expeditum in Paſchate, & ipſe deberet omni hebdomada ſollicitare Dominum prædictum tribus vicibus: & hoc dicit, quia ſcit mores Curiæ. Tamen ex quo eſt commiſſum negotium, habenda eſt bona ſpes. Ad hoc autem perficiendum, bonum eſt, quod faciatis ſcribi aliquas litteras efficaces per perſonas ſolemnes, & amicos Domino Bononienſi, perſuaſivas dicti negotii, & mittatis eas Procuratori Ordinis; & ipſe judicabit, utrum ſint præſentandæ, vel non. Et ſint literæ etiam efficaces, ut non videatur, quod rogati rogent, ſed quod a ſe ipſis moveantur propter honorem Dei, & ſalutem animarum, & augmentationis honoris Eccleſiæ Dei. Item, quia hoc non poteſt fieri ſine expenſa, ordinetis, unde poſſint fieri; proteſtando tamen, quod non fiat Simonia &c. Scribit autem plura alia, videlicet, de electione futuri Provincialis Romani dilata propter cauſas quasdam uſque ad poſt Paſcha, & de pluribus, quæ dimittuntur gratia brevitatis, & quia non ſunt de præſenti propoſito. Datum quando, & ubi ſupra. Veſter Frater Bartholomæus de Acerbis Vicarius &c.

Item recepit Prior noſter Conventus Sanctorum Johannis, & Pauli, videlicet: Frater Johannes Benedicto (*a*) unam literam a Fratre Johanne Dominici, per ipſum ſcriptam Florentiæ, die quinta Januarii 1404. cujus tenor talis eſt: Scitis, mi Frater dilecte, me menſem tranſiſſe ſine literis veſtris contra promiſſum; cum tamen in cauſa conſimili fuerim obediens vobis, voſque pro bono Conventus veſtri mihi debueritis reſpondere: ſed amodo jam tempus tranſivit, & inutilis fuit omnino Tractatus, volente Vicario Italiæ electionem Provincialis futuri circa finem præſentis menſis Paruſii celebrare; unde ante quadrageſimam nemo poſſet Venetias applicare. Adhuc tamen eſt Romæ, unde literas heri ſuſcepi narrantes, quod Protector Ordinis Summo Pontifici ſuppli-

(*a*) *Joannes Benedictus* ſeu de Benedictis e Patricia olim Venetiarum gente, Ordinis Prædicatorum alumnus Patriarcha Gradenſis anno 1400. electus, dignitatem recuſavit. De quo operis hujus Tom. III. pag. 36. Ad inſulas Tarviſinas anno 1423. promotus eſt.

plicationem porrexit de confirmandis illis de Pœnitentia B. Dominici, quam commiſit Domino Bononienſi, ſive Coſmato, Ordinis Patre, atque zelatore: propter quod puto, negotium habiturum optatum effectum. Fortaſſis hodie ſcribam eidem venturo ex præcepto Legati mox poſt actam Epiphaniam Bononiam, ſicut credo, prædicaturus ibidem: vos autem habebitis Fratrem Barotium, (*a*) qui propter carentiam ſocii moratur in Lucca. Valete cum omnibus Sanctis, & orate pro me. Datum quando, & ubi ſupra. Veſter Frater Johannes Dominici.

Item volens executioni mandare de aliquibus literis dicto domino Bononienſi, ut eſt tactum ſupra, dirigendis, & Procuratori Ordinis transmittendis tam per nos, quam per alios, dicto Menſe Januarii inter alias ordinavi de tribus, de quibus tenor primæ talis eſt. Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Domino Coſmato, Miſeratione Divina tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali digniſſimo in Romana Curia in Urbe. Reverendiſſime Pater, & Domine, humillima recommendatione præmiſſa. Iſtis diebus recepi literas a Reverendo Patre Fratre Johanne Dominici de Florentia, in quibus mihi inſinuat, qualiter Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ cauſa plenariæ approbationis, & confirmationis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici eſt a Domino noſtro Papa commiſſa: ſubjungit in eisdem, quomodo ex hoc reputat dictum negotium expeditum; & hoc propter præcipuam charitatem, quam una nobiſcum credit, & reputat Reverendiſſimam Paternitatem Veſtram ad noſtrum Ordinem generaliter, & ad nos ſpecialiter hic habere. Quare ex quo, diſponente Domino, cauſa Devotorum veſtrorum veſtris eſt in manibus recommiſſa, compulſus ſum ad ſcribendum Reverendiſſimæ Dominationi Veſtræ, ſupplicando eidem, quatenus dictam cauſam taliter recommendatam habere dignetur, ut juxta pia, & ſancta dictorum Fratrum, & noſtrum vota, Bonitate Veſtra ad ultimum deducatur effectum: prompte parati ad beneplacita, & man-

(*a*) *Barotius Abbas de Burgundionibus Torcellanæ Diœceſis*; ejus habetur *Conteſtatio* in Proceſſu jam memorato de Sanctitate Beatæ Catharinæ Senenſis. De eo fuſe verba faciemus ad Monaſterium S. Thomæ Torcellani.

mandata ejuſdem Dominationis, & Paternitatis Veſtræ, quam Deus Eccleſiæ Sanctæ ſuæ, & nobis conſervet per tempora longiora. Venetiis die vigeſimatertia Januarii 1404. Veſtræ Reverendiſſimæ Dominationis humilis in Domino Frater, & Servitor Johannes Benedicto, in Conventu SS. Johannis, & Pauli de Venetiis Prior indignus Ordinis Prædicatorum. Alterius tenor talis eſt:

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Domino Coſmato. &c. ut ſupra. Reverendiſſime Pater, ac ſingulariſſime Domine mi, poſt humilem, & devotiſſimam recommendationem cum animo ad cuncta placita eidem Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ ſemper parato. Cum alias ſcripſerimus, ac ſuppliciter recommendaverimus dictæ Reverendiſſimæ Veſtræ Paternitati cauſam plenariæ approbationis, & confirmationis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, etiam de commendabili vita eorumdem eidem teſtimonium perhibendo; & nunc ad auditum meum pervenit, mediante devoto in Chriſto filio Reverendiſſimæ Paternitatis Veſtræ, videlicet, Fratre Johanne Dominici de Florentia Ordinis Prædicatorum, qualiter eidem Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ dicta cauſa approbationis prædictorum eſt noviter commiſſa a Domino noſtro Papa: idcirco iterum, atque iterum ipſe Reverendiſſimam Paternitatem Veſtram humiliter, & devotiſſime ſupplico, ut cum effectu operam taliter dare dignetur, quod juxta rationabilia, & ſancta deſideria prædictorum in finali impetratione plenariæ approbationis ſupradictæ, bonitate, & charitate Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ, meiſque precibus intervenientibus, ut optant, obtineant. Ad omnia veſtra beneplacita, & mandata ſemper paratus, ut fideliſſimus filius ejuſdem Veſtræ Reverendiſſimæ Dominationis, & Paternitatis; quam Deus promovere, & conſervare dignetur ad vota. Venetiis die vigeſimaquarta Januarii. Veſtræ Reverendiſſimæ Paternitatis, & Dominationis humilis Servitor, & Orator F. Bembo Epiſcopus Caſtellanus. Tenor alterius talis eſt, videlicet:

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Domino Coſmato &c. ut ſupra. Reverendiſſime Pater, & Domine. Recommendationibus humilibus antemiſſis. Quemadmodum novit eadem Veſtra Paternitas Reverendiſſima, cum iſthic apud

eamdem in præcedenti eſſemus æſtate pro Ambaſciatis noſtri Ducalis Dominii Venetiarum expediendis, & ſupplicaſſemus eidem Reverendiſſimæ Dominationi Veſtræ, quod recommendatam habere dignaretur cauſam plenæ approbationis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, gratiſſimum reſponſum ab eadem recepiſſemus, ita tamen quod deberemus ordinare, ut, diſcedentibus nobis de alma Urbe, Dominationi Reverendiſſimæ Veſtræ ad memoriam reduceretur per aliquem; & hoc tunc iſthic ordinaverimus cum Reverendo Patre Bartholamæo de Paruſio, Vicario Italiæ Ordinis Prædicatorum, nec non & cum diſcreto, ac provido viro Domino Bartholamæo Capua, Secretario veſtro, ut ita facerent, ut præfertur; & cum hoc etiam poſtquam huc Venetiis redivimus, plures literas circa idem Reverentiæ Veſtræ ſcripſerimus: contigit nuper nos audire, qualiter cauſa Confirmationis plenariæ ſupradictæ eſt Veſtræ Reverendiſſimæ Dominationi commiſſa per Dominum noſtrum Papam. Quapropter tam ex generali charitate, quam etiam ex ſpeciali affectione, quam ad ipſos Fratres gerimus propter commendabilem vitam, atque doctrinam ipſorum, cogimur ſupplicationem, alias factam, per literas replicare, nec non & dictam cauſam eidem Veſtræ Reverendiſſimæ Dominationi totis niſibus commendare, ut bonitate veſtra, pia, & ſancta poſtulatio ſuum ſortiatur effectum. Ad cuncta mandata nos ſuppliciter offerentes veſtræ Reverendiſſimæ Dominationi, quam Deus Eccleſiæ ſuæ Sanctæ conſervare dignetur. Venetiis die vigeſima ſexta Januarii 1404. Veſtri humiles Oratores, Petrus Emmo Miles, Petrus Piſano de Venetiis.

Item conſequenter recepit Prior Conventus SS. Johannis, & Pauli, videlicet: Frater Johannes Benedicto literam unam a ſupradicto Vicario Italiæ, per ipſum ſcriptam Romæ die decima Februarri 1404. in qua inter alia ſic ſcribit: Item dicatis Fratri Thomæ de Senis, quod ſupplicatio pro confirmatione illorum de Pœnitentia B. Dominici porrecta fuit Domino Papæ, qui primo, ſecundum quod per plures literas ſcripſi, commiſit Domino Bononienſi, ut videret Regulam prædictorum, & referret: & ſic factum eſt. Sed poſtmodum commiſit ſecundo Domino Bononienſi ſcilicet, & Domino de

Bran-

Brancatiis (*a*) noſtri Ordinis Protectori, ut examinent Regulam, & referant ipſi Domino Papæ, quod & factum eſt. Et prædicti Domini Cardinales ſunt diſpoſiti facere relationem prima ſexta feria juridica: puto, quod erit prima ſexta feria Quadrageſimæ, ſcilicet decimaquinta Februarii (*b*). Habemus bonam ſpem, ex quo ſumus ad illum primum punctum. Erit autem neceſſaria pecunia pro Bulla fienda, quam oportet fieri, antequam Dominus Papa recedat de Roma, cujus diſceſſus ad balnea dicitur eſſe futurus de Menſe Martii. Scribit etiam in eadem littera, qualiter electio Provincialis Romani oportet ut differatur usque ad poſt Paſcha; ac per hoc vult remanere in Roma pro tempore Quadrageſimæ: Et quod ex hoc, & ex aliis habeatur pro excuſato, ſi non venit Venetias &c. Datum quando, & ubi ſupra. Veſter Frater Bartholamæus &c.

Item recepi & ego unam literam ab eodem ſupradicto Vicario Italiæ, per ipſum ſcriptam Romæ, etiam ſupradicta die, videlicet decima Februarii; in qua inter alia ſcribit, qualiter expectatur unus Vicarius Magiſtri Ordinis pro Provincia Romana; & propter id, & propter alia expectat in Roma usque ad Paſcha &c. Poſtea adjungit: Item notifico vobis, quomodo Procurator Ordinis fecit porrigi ſupplicationem Domino noſtro Papæ pro confirmatione &c. ad literam, prout in ſupradicta Prioris. Et poſtea concludit, dicens: Speratur, ſi Deo placebit, quod habebimus intentum. Rogate Deum, & faciatis rogare, quod perducat negotium ad bonum finem. Et ſequitur ibidem. Scripſimus vobis Procurator, & ego, quod mitteretis aliquas literas favorabiles ſuper hac materia aliquarum notabilium perſonarum, & quod mitteretis etiam pecuniam; & adhuc nihil recepimus. Et ſubdit: Non reputo, quod ſit expediens, quod amodo mittatis literas pro confirmatione intenta, quia tarde amodo portarentur, forte quod negotium interim erit expeditum. Etiam narrat ibidem, qualiter

(*a*) *Rainaldus Brancacius*, ab Urbano VI. creatus Cardinalis, & Bonifacio IX. acceptiſſimus. De eo Ciaconius Tomo II.

(*b*) Annus Chriſti 1404. inſignitus erat littera Dominicali EE; unde *Feria ſexta* ante primam Dominicam Quadrageſimæ incidebat in *diem* 15. *Februarii*. Currente vero Aureo Numero XVIII. Sacrum Paſcha celebratum fuit die 30. Martii.

liter Provincialis Romanus vult tenere Provincialatum usque ad conſecrationem ſuam, & de multis aliis hic dimittendis gratia brevitatis. Datum ubi, & quando ſupra. Veſter Frater Bartholomæus de Acerbis Vicarius &c. Ordinis Prædicatorum.

Item conſequenter recepi unam literam a Procuratore Ordinis, per ipſum ſcriptam Romæ die quintadecima Februarii, ſed inde miſſa die ſecunda Martii 1404. cujus tenor talis eſt, videlicet: Reverende Pater, poſt Salutem in Chriſto. Heri recepi literam veſtram, Venetiis ſcriptam die converſionis S. Pauli, quo die credidi habere finalem, & favorabilem expeditionem ſuper facto illorum de Pœnitentia B. Dominici &c. Sed Dominus noſter, non bene ſe habens in perſona, noluit pro illa vice audire facta Fratrum: reſervamus ergo in proximam ſeptimanam. Literas etiam directas Domino Bononienſi recepi, quas congruo tempore præſentabo; & ſatis credimus, quod omnia puncta, in veſtra minuta contenta, ponentur in Bulla. Circa ſtatuta vero expreſſe mihi dixerunt Dominus Bononienſis, & Protector Ordinis, quibus eorum examinatio eſt commiſſa, quod juſtiſſima ſunt, nec in uno verbo, quantumcumque parvo, calumniata fuerunt; ita quod finaliter bene ſpero juxta promiſſionem iſtorum duorum Dominorum, qui habent referre, licet non reputem negotium expeditum, quouſque non habeam in manibus meis Bullam, ſciens, quomodo talia tranſeunt in Curia. Sed de uno miror, quod mihi non reſcribitis, primo an ſupplicatio ſit bene formata. Juxta veſtram intentionem ego feci eam formari de minuta, quam mihi dediſtis, ab uno, qui eſt valentior abbreviator, qui ſit in Curia, & nihilominus ipſam Advocato oſtendi ſimul cum minuta veſtra; & ambo dixerunt, ipſam peroptime eſſe conceptam; & juxta ipſam fiet poſtea (*a*).... minuta, ita quod in hoc non dubitetis; faciam enim diligentiam meam. Item ſuper facto expenſarum fiendarum nihil mihi ſcribitis. Ego non habeo pecuniam ad ſufficientiam, quod ipſam poſſim expedire; & Dominus Papa .... vadit Neapolim; & ſi ibi remanebit, neſcio, quando ipſum habere poterimus: ſed, ſi potero, conabor ſub mutuo pecuniam acci-

(*a*) Hæ lacunæ habentur etiam in Originali.

accipere, & vos mihi non faciatis verecundiam. Scitis, quæ mihi promiſiſtis, & nollem ſub verbis veſtris remanere deceptus. Dixit mihi Dominus Bononienſis, præſente Domino Patriarcha Gradenſi de Venetiis da Ca Quoquo, (*a*) quod Bulla cum Statutorum inſinuatione conſtabit mihi circa ducentos ducatos, licet non credam; habui enim alias colloquium cum uno Cortigiano, in talibus experto, & credit, quod ſola Bulla aſcendet ad octuaginta, vel circa: neſcio, quid erit. Agite pro parte veſtra, quod convenit; & ego de contingentibus nihil obmittam. Deus ſolum bene diſponat mentem Domini noſtri, quia alia ſunt in optima diſpoſitione. Non oportet autem, iſtam materiam multum propalare, quia inter...

. . . .

. . . . . faciatis ut ego, qui non credo, quod, omnibus computatis, ſint in Curia ſex . . . . . qui ſciant, nec forte quatuor. Valete in Domino, ut optat Scriptor. Ubi, & quando, ut ſupra 1404. Veſter Frater Ubertinus &c. Et ſequitur infra. Scripſi iſtam literam a diu, & cogitabam miſiſſe eam: poſtea vero recepi duas alias veſtras ejuſdem ſententiæ, & non oportet, quod me de facto ſollicitetis, quia habeo cordi, plusquam credatis. Nihil eſt tamen adhuc ſecutum tum propter tarditatem Domini Bononienſis, & inſtantiam occupationum; tum propter aliqua nova, quæ fuerant in Curia. Romæ ſecunda die Martii. Procurator Ordinis.

Item recepi inter alias unam literam a Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, per ipſum Scriptam Lubich die decimaſeptima Januarii 1404. in qua inter alia mihi imponit, quatenus ſibi debeam ſcribere ſaltem quolibet Menſe ſemel, & ita quouſque rediit ad partes Italiæ; quod fuit de Menſe Madii 1407. Executioni mandare decrevi.

Item conſequenter recepi unam literam a ſupradicto Vicario Italiæ, per ipſum ſcriptam Romæ die prima Martii; in qua inter alia conqueritur aliqualiter, quod non recipit reſponſiones de literis ſuis, ſicut a me deberet recipere; & ex hoc infert, recapitulando. Notifico vobis, quod Dominus Papa commiſit examinationem Regulæ Fratrum, & Sororum &c. Domino Bononienſi, & Domino de Brancatiis, Ordinis Protecto-

(*a*) Petrus Canche de quo Operis hujus Tom. III. pag. 36.

tectori, qui voluerunt facere bonam relationem Domino Papæ. Sed D. Papa noluit illo mane ipſam audire, dicens: Non incipiamus hoc mane cum Fratribus: & ex hoc non fuit facta pro tunc relatio. Poſtea Procurator Ordinis ſollicitavit pluries Dominum Bononienſem, quod faceret ipſam relationem Papæ, cui ipſe reſpondit: ego cognoſco conditionem Domini Papæ: non eſt bonum moleſtare eum: ego captabo mihi horam congruam; & tunc faciam relationem. Et tunc Procurator commiſit diſcretioni ſuæ, ut videlicet illam faceret, quando videretur prudentiæ ſuæ; & ſic ex hac cauſa dilata eſt relatio, non ex negligentia alterius, ſed ex prudentia, ne habeamus reſponſionem negativam, ſi relatio fieret tempore incongruo, videlicet quando Papa non eſt bene diſpoſitus. Alia etiam cauſa dictæ dilationis fuit propter quædam nova, quæ ſupervenerunt in Roma, propter quæ Dominus Papa fuit occupatus in arduis, & ſic non fuit tempus loquendi de factis noſtris. Non ergo curetis de dilatione, dummodo perveniamus ad intentum noſtrum. Frater Johannes Dominici ſcribit vobis, quod habet hoc pro facto, ex quo commiſſum eſt Domino Bononienſi. Nos autem, qui ſumus in Curia, non habemus pro facto, quouſque habeamus Bullam; quia multa impedimenta poſſunt occurrere, quæ homo non cogitat: & poſtea finaliter dicit, qualiter Provincialis Romanus Dominica prima in Quadrageſima conſecratus eſt in Epiſcopum Fulginatem &c. Datum ubi, & quando ſupra. Veſter Frater Bartholomæus &c.

Item conſequenter recepi unam literam a fratre Johanne Dominici, per ipſum ſcriptam Florentiæ die octava Martii 1404. cujus tenor talis eſt, videlicet: Negotium illorum de Pœnitentia B. Dominici puto expeditum in bonum, vel prope, prout de Roma ſcribitur mihi. Nulli Sororum conſuevi ſingulariter ſcribere, ne invidia ſurgat mulierum ſodalis; quapropter parce tu Scriptor, & Domina patienter hoc ferat &c. Datum ubi, & quando ſupra. Frater Joannes Dominici.

Item recepi unam literam a ſupradicto Italiæ Vicario, per ipſum ſcriptam Romæ die decimaſeptima Martii, in qua ſic: Chariſſime Frater. Hodie recepi unam literam veſtram, datam die vigeſima ſeptima Februarii; in qua inter alia ſcribitis, quod ſollicitetur Dominus Bononienſis. Ad quod dico,

quo-

quomodo fuit ſollicitatus abundanter per Procuratorem Ordinis; & voluit dictus Dominus pluries facere relationem, ſed Dominus Papa noluit eam audire. Et ſingulariter iſto mane, in quo Domino Bononienſi, volenti facere relationem, dixit Papa. Non loquamini mihi hoc mane de factis Fratrum. Et dixit Dominus Bononienſis, quod credebat, ut Dominus Papa vellet aliquid habere, ut concederet gratiam illam, ſed ego nihil darem ſibi; & ſi daretur illa de cauſa, reputaretur ſimoniacus; & per conſequens nihil valeret (*a*). Dominus Bononienſis promittit facere ex parte ſua, quod ſuum eſt: neſcio, quid ſequetur. Non eſt ita facile obtinere gratias in Curia Romana, ſicut credebatis; & maxime nos Fratres Prædicatores, & alii Mendicantes non appretiamur in Curia, nec curatur de nobis. Et ideo nos, qui ſumus Romæ, non reputamus ita facile &c. ſicut reputatis vos. Fiat voluntas Dei, cito ſcietur, quid fiendum. Dominus Papa adhuc non eſt in receſſu, quia nondum galeæ pervenerunt ad portum Romanum &c. Datum ubi ſupra, & quando, & per quem.

Item recepi unam a Procuratore Ordinis, per ipſum etiam ſcriptam Romæ die decima ſeptima Marti; cujus tenor talis eſt: Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Iſto die literam veſtram, ſcriptam Venetiis vigeſima octava Februarii, ſimul cum copiis literarum Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis recepi. Et de eo, quod idem ordinat, contentiſſimus ſum, & dabo operam efficacem; ita quod ſufficiet. Circa factum vero noſtrum &c. Vos nunquam creditis, videre diem expeditionis; & multo magis ego, qui ultra deſiderium, habeo corporales labores, & tædia quaſi infinita, & Dominus Bononienſis, licet ſit multum occupationibus occupatus, eſt tamen bonæ mentis. Sed Dominus Papa jam bis dedit ſibi repulſam; non quod non velit facere, ſed dicendo, non dicas mihi modo aliquid de factis fratrum; & ita non vult audire relationem. Et iſto mane dixit mihi Dominus Bononienſis: ego

(*a*) Coſmæ Meliorati, *Cardinalis Bononienſis*, integritatem animadverte. Bonifacium IX. de nimia in pecuniis congerendis aviditate accuſant illius ævi Scriptores: quem tamen ipſa rerum neceſſitate in difficillimis temporibus excuſatum habent alii.

credo, quod ipſe velit aliquid habere propter hoc: tamen promiſit, ſe facturum ſuam diligentiam: & credo, quod dicat verum; & credo, quod ſine aliquali pecunia cum magno labore obtinebitur. Vos forte creditis, quod ego committam hic negligentiam: credatis, quod non: ſed ego laboravi tantum; quod, ſi ſciretis, miraremini; & tamen libenter facio, & faciam, non propter hoc dimittendo. Si deliberatis redimere veſtram vexationem, (*a*) & dare aliquid pro iſto facto; forte non eſt Simonia, cum ex iſto nullum vendatur, vel ematur donum Spiritus Sancti, ſi bene conſideretur. Et ideo deliberate, & reſcribite, & mittatur, quod fieri debet; & ego interim non ceſſabo &c. Datum ubi, & quando, & per quem, ſupra. Reſpondi autem, quomodo non eram diſpoſitus ſubſtinere quovis modo, quod daretur aliquid, ut præfertur.

Item ulterius recepi aliam literam a ſupradicto Vicario Italiæ, per ipſum ſcriptam Romæ in die Dominicæ Reſurrectionis. Et inter alia dicit: Item Dominus Bononienſis voluit pluries facere relationem; ſed Papa noluit eum audire dicens: Non loquamur nunc de factis Fratrum; & ſic nondum facta eſt relatio: & dubitatur, an fiat amodo ante receſſum Domini Papæ, de quo ignoratur, quando erit (*b*). Tamen jam galeæ venerunt pro eo; ſed guttæ, ſupervenientes in eum, impediunt receſſum ejus. Eſt opinio, quod vellet pecuniam: ideo non vult audire relationem, niſi prius detur. Et ſic puto, quod opinio mea erit vera, quia dicebatur, quod dictus non vult, quod iſto tempore malo fiat canonizatio Beatæ Catharinæ, nec approbatio Regulæ &c. cujus ſignum eſt, quia ſumus in fieri de approbatione &c. & non poſſumus perficere. Procurator Ordinis fecit, & eſt valde ſollicitus, & laboravit multum, & vellet libentiſſime perducere opus ad finem, & non poteſt. Committatur Domino, cujus voluntatem debemus omnes fieri Cortonæ, vel Caſtellum, prout ſcribit Johannes Dominici, & de multis aliis &c.

Item recepi unam literam a fratre Johanne Dominici, per ipſum

(*a*) Notandus venit modus, quo ſimoniacæ labis vitio detergitur erogatio pecuniæ, quæ expoſcebatur.

(*b*) *Boniſacius IX.* cum adverſa corporis valetudine laboraret, Medicorum conſilio, cogitabat Puteolana Balnea adire.

ipſum ſcriptam Florentiæ vigeſima ſeptima Aprilis, cujus tenor eſt. De Roma recepi, nihil factum eſſe de negotio Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, niſi quod, volente Dominus Bononienſis referire circa materiam, prœventum eſſe a Pontifice Summo, ut nil ſibi de Mendicantibus loqueretur: quod Scriptor gloſſabat accidiſſe, quoniam æs non promittebatur viriliter ſonans. Quapropter duo ſunt attendenda, ſi cupitis opus pro voluntate finire: primum eſt, quod alius zelans illuc accedat, ſicut eſt Dominus Antonius Superantio, quem ſaluto, vel alius melior eo, aut ipſe ad Legatum Bononienſem accedatis, ſi eſt Venetiis ſub legatione ſua, & pie ſine expenſis ab eo poteritis obtinere. Demum facillime Dominus Papa confirmabit univerſaliter, quod ab illo fuerit particulariter inſtitutum. Cæterum ſcripſi per famulum præcedentem: tentate *recluſe* prout devotius ſuadetis: Item ut cuncta, quæ ſcire vultis, complectar, noveritis, ſine fallo Fratrem Bartholomæum, Vicarium Italiæ, noſtræ Romanæ Provinciæ Priorem futurum, ad cujus electionem cum Capitulo ordinandam Cortonii ſeptima Junii ante Menſem mittor per plura præcepta, & ecce vado, & vobis omnibus læte dico in Chriſto valete. Datum &c.

Item conſequenter recepi aliam a dicto Fratre Bartholomæo, Vicario adhuc Italiæ, per ipſum ſcriptam Romæ die ſeptima Madii, ubi ſic: Chariſſime Frater. Jam reſpondi litteris veſtris datis die ſeptima Aprilis, poſt quas ſcripſi, & iterum ſcribo, ut unam de duabus ſaltem obtineatis præſentari Domino Bononienſi literam chari ſui de Venetiis, & ipſe legat. Et heri fui eidem Domino locutus, & interrogavi, an relatio poſſet fieri ante receſſum Procuratoris, & mei: Qui Dominus Bononienſis ſubriſit, dicens: quod ſtetit aliquando per duos annos, quod non potuit dicere Domino Papæ illud, quod voluit; & hoc eſt propter infirmitates Domini Papæ, quibus continue gravatur, licet magis uno tempore, quam alio; & ideo, ut dicit Dominus Bononienſis, oportet cum multo ingenio loqui ſibi, ne gravetur, vel turbetur. Et dixit, quod bis, vel ter voluit facere relationem, & Dominus Papa noluit aliquid audire de factis Fratrum, & mandavit ſibi, quod non loqueretur de Fratribus, ſive de factis Fratrum. Dicit tamen Dominus Bononienſis, quod omnino in-

tendit facere relationem, & non dicit quando, quia ipſemet neſcit, quando poterit. Frequenter enim contingit, quod omnes Cardinales vadunt ad palatium, nec poſſunt loqui Domino Papæ; ita quod difficile eſt habere unam gratiam ſpiritualem iſto tempore. Et illi, qui ſunt extra Curiam, non cogitant, neque credunt, quod ſit tantum tædium, & tam laborioſum, & tam longum, obtinere aliquid in Curia; ſicut eſt. Procurator Ordinis ſollicite ſe habuit circa negotia veſtra, & nondum profuit totaliter ſollicitudo ſua; dat tamen Dominus Bononienſis bonam ſpem. Oportet expectare patienter voluntatem Dei, ut adimpleatur. Procurator, & ego, cras forſan hinc diſcedentes verſus Cortonam, ſed primo Paruſium, acceſſuri ad Capitulum Provinciale &c.

Item conſequenter recepi aliam a dicto adhuc Vicario, per ipſum ſcriptam in Paruſio die trigeſima Madii, in qua ſic: Chariſſime Frater &c. Recepi unam literam veſtram per quemdam Fratrem Ludovicum, & nunc per iſtam ſciatis, quod, antequam recederem de Roma, præſentavi per meipſum quaſdam literas Domino Bononienſi, quas legit coram me; poſtea etiam viſitavi eum, interrogando, an relationem poſſet facere ante diſceſſum noſtrum de Roma, qui ſubriſit, dicendo: quomodo aliquando per duos annos contigit ipſum expectare &c. Et quia non diligit Mendicantes, non poteſt ſibi fieri ſermo de nobis, niſi quando eſt bene diſpoſitus; & hoc raro contingit; Itaque ſi habebimus ab eo, quod intendimus, hoc erit de raro contingentibus, & imputandum erit Deo, & non ſibi. Procurator fecit totum, quod potuit; & non ſuffecit &c. poſtea ſubdit, qualiter eſt iturus in hebdomada ſequenti Cortonam ad Capitulum, & quomodo ſentit, quod intentio Magiſtri Ordinis eſt, quod ſit Provincialis Romanus, & quod omnino intendit reſiſtere &c. ubi etiam eſt, & erit Frater Johannes Dominici &c.

Item conſequenter recepi aliam a ſupradicto Vicario, ſed non amplius Vicario, ſed Provinciali Romano noviter creato, per ipſum ſcriptam in Conventu Cortonenſi die quintadecima Junii, in qua innuit, ſcripſiſſe Priori noſtro Veneto totam ſeriem ſuæ electionis & confirmationis, & de caſu terribili Magiſtri Laurentii de Urbeveteri, & qualiter Capitulum

lum fuit numeroſum, videlicet 160. Fratrum, & bene tractatus, licet ipſe in illo fuerit non modicum tribulatus &c.

Item recepi, inter alias, unam literam a Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, per ipſum ſcriptam Lubile Provinciæ Saxoniæ die ultima menſis Julii 1404. in qua inter alia ſic: Chariſſime Frater, cordiali ſalutatione præmiſſa, & ſequitur infra ſic. Diligentiam autem veſtram circa confirmationem Ordinis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia S. Dominici plurimum commendo &c.

Item conſequenter aliam recepi a dicto Provinciali Romano, per ipſum ſcriptam Paruſii die vigeſimaquarta Septembris, in qua ſic: Chariſſime Frater, & amice dilectiſſime poſt &c. Recepi in Vigilia S. Matthæi literam veſtram, in una Fratris Parutæ (*a*) incluſam &c. Data decima ſeptima Julii; & quia tarde illam recepi, ideo citius vobis non ſcripſi, ſive reſpondi: & inter alia ſuadet, quod ſcribere faciam Legendam B. Catharinæ, ut de ipſa prædicet in Paruſio, quemadmodum prædicavit in Roma, & ſubdit. Item non miremini, ſi non habuiſtis: jam eſt *di nova* de Curia. Nam Procurator Ordinis fuit in Roma infirmus a feſto S. Jacobi citra, & receſſit de Roma, & ivit Viterbium; & credo, quod adhuc ſit ibi. Et ſic propter infirmitates D. Papæ, & propter infirmitatem propriam, non mirum, ſi non potuerit aliquid obtinere, nec ego habui ab eo de hoc aliquod novum, licet ſcripſimus ſibi. Puto, quod Dominus Papa ſit modo occupatus in arduis propter Ambaſciatores Antipapæ, (*b*) & aliorum, qui ſunt Romæ occaſione ſchismatis removendi. Fiat voluntas Dei &c.

Item conſequenter, cum veniſſet Venetiis quidam Dominus Johannes de Bononia, Domini Papæ Secretarius, & habitaret in Conventu Cruciferorum de Venetiis bene per Menſem cum dimidio, & forſan ultra; ego fui pluries ad ipſum, informando eum de materia literæ impetrandæ, & qualiter Do-

(*a*) *Fr. Thomas Thomaſinus*, qui & *Paruta*, Ordinis Prædicatorum inſignis alumnus, qui tunc Venetiis degebat. De quo verba fecimus Operis hujus Tom. I. pag. 117. 121. & Tom. II. pag. 255.

(*b*) De his Petri de Luna ſeu Benedicti XIII. Oratoribus ad Bonifacium Papam miſſis, agit Raynaldus ad annum 1404. num. 6.

Dominus noſter erat aliqualiter informatus, & Dominus Bononienſis ad plenum dando ſibi copiam, ſive minutam unam, & oſtendendo ſibi Tractatum de Statu illorum de Pœnitentia B. Dominici, & ordinando, quod aliqui nobiles Veneti idipſum dicto Domino efficaciter recommendarent: & ita factum eſt. Inter hæc autem innotuit de morte Papæ. Qua audita, ſtatim dictus Dominus Johannes diſceſſit de Venetiis de Menſe Octobris. Et conſequenter per multas literas circa finem dicti Menſis innotuit Venetiis, qualiter die decimaſeptima ipſius Menſis Octobris 1404. Dominus Bononienſis adſumptus eſt ad apicem Summi Pontificatus, & Innocentius VII. appellatus. (*a*)

Inter alias autem litteras, id intimantes, recepi unam a Procuratore Ordinis, cujus tenor talis eſt, videlicet: Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Heri ſero Reverendiſſimus, olim Cardinalis Bononienſis, fuit electus in Papam concorditer, & vocatur Innocentius VII. Et ſic negotium illorum de tertio Ordine, ut ſpero, facillime poterit expediri, & ſine vitio Simoniæ, ſuper quo, poſtquam liberatus ſum gratia Dei a quadam infirmitate mea, dabo circa negotium præfatum operam efficacem. Poſtea ſubdit de quibusdam literis, Magiſtro Ordinis mittendis, & concludit. Valete in Domino. Datum Romæ decima octava Octobris 1404. Veſter Frater Ubertinus de Albizis, Procurator Ordinis. Propter quod ordinavi de quibusdam literis, habendis ad aliquos, & ſingulariter dicto novo Summo gratos Pontifici. Unius autem dictarum literarum, dicto Domino Johanni de Bononia directarum, tenor talis eſt, videlicet:

Reverendo Patri, Domino Johanni de Fuſchis de Bononia, Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Secretario, præcellenti Domino ſuo præcipuo. Reverende mi Pater. Ad me fuit Pater ille venerandus Frater Thomaſius de Senis Ordinis Prædicatorum S. Dominici, zelo Dei fervens, aſſerens in receſſu Veſtræ Reverentiæ dediſſe memoriale cujusdam pii operis obtinendi in Curia. Quare ſuis pretioſis precibus exoratus, pre-

cor

(*a*) Mortem obiit Bonifacius IX. anno 1404. die 1. Octobris Coſmes ſive Coſmatus Melioratus *die 17. ejusdem Menſis* electus fuit ipſius ſucceſſor ſub Innocentii VII. nomine.

cor eandem Reverentiam Veſtram ſecum, ut dignemini negotium ſuum, imo Chriſtiferi Dominici perficere, & complere, Bullamque talis obtenti mittere, prout totus ſuus de hic Conventus, & ego in benignitatem Veſtram plene ſperamus, hiis eſt animalibus etiam inſiſtendum, quæ ſaturant animas. Per alios Veſtræ Reverentiæ ſcripſi, Domino Priori placeat me recommendare, & D. Dominicum ſalutare. Venetiis penultima Octobris. V. R. P. F. de Pavonibus Kyronenſis Epiſcopus. (*a*)

Alterius tenor eſt. Egregio, & inſigni viro, Domino Johanni de Bononia, Fratri honorandiſſimo.

Egregie, & inſignis Frater honorande: Chariſſimus meus Frater Thomas de Senis Ordinis Prædicatorum mihi dixit, ſe vos informaſſe de quodam negotio in Curia expediendo in favorem, & ob reverentiam B. Dominici; de quo Sanctiſſimus Dominus noſter ad plenum, ipſo exiſtente in minoribus, eſt informatus, hortatusque eſt me, ut vos rogarem, quatenus dictum negotium taliter ſollicitare placeat, quod bonum ſortiatur effectum. Quamobrem Charitatem veſtram precor affectuoſe, quatenus partes veſtras apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum, & alios, qui prodeſſe poſſent, taliter interponere placeat, quod dictum negotium bonum, & celerem ſortiatur effectum. Nam indubie ſperat prædictus Frater Thomas, adveniſſe tempus, quo, mediante favore veſtro, ſuum obtinebit intentum. Si quæ autem vobis grata poſſum, precor, ut ſcribere non pigeat. Vale feliciter. Datum Venetiis die trigeſima prima Octobris 1404. Epiſcopus Vicentinus. (*b*).

Alterius vero tenor ad eundem eſt:

Venerabili, & egregio viro Domino Johanni de Bononia, Fratri Chariſſimo, ac Domini noſtri Papæ Secretario Romæ: Venerande Frater, & quamplurimum dignis honoribus extollende. In Domino mihi ſingulariſſimus Frater Thomas de Senis

(*a*) Iſte eſt *Franciſcus de Pavonibus* Venetus, Epiſcopus *Kyronenſis*, ſeu *Chironenſis*, & *Cheronenſis* in Inſula Creta: ubi urbs dicta primum videtur *Cherſoneſus*, poſtea *Spinalonga*. Vide Lequienii Orientem Chriſtianum Tomo III. col. 917.

(*b*) *Vicentinam* Eccleſiam anno 1404. regebat *Joannes Caſtillioneus*, nobili genere apud Mediolanenſes natus.

nis Ordinis Prædicatorum mihi retulit, qualiter, Reverentiam Veſtram informaverat de quadam materia, continente confirmationem ampliorem, quam hactenus fuerit, Regulæ & Status de Pœnitentia B. Dominici, ut videlicet: quemadmodum per Apoſtolica privilegia, ita, & illis refirmatis, etiam per quasdam literas Apoſtolicas amplius approbaretur, & confirmaretur. Super qua materia ego etiam pluries ſcripſi noſtro novo Summo Pontifici, cum adhuc eſſet in minoribus conſtituto, ſupplicando eidem, quod ob reverentiam B. Dominici, & ſalutis ſolidioris quamplurium animarum, nec non & intuitu Fratrum Ordinis Prædicatorum, & præſertim de Conventibus Venetiarum dicti Ordinis, quibus ex eorum laudabili vita, & doctrina, prout a fide dignis accepi, Reverentia ipſius Domini noſtri fuit, & eſt ſignanter affecta, deberet eadem Reverentia ſua taliter providere, ut ſupradicta, a diu petita, gratia tam pia, quam juſta a Domino Bonifacio Papa IX. obtineretur; & præſertim cum non ſolum ſuper hoc ſcripſerimus ſibi per antea, ſed & poſtquam a dicto Bonifacio ſupplicatio ſuper dicta cauſa eidem Domino tunc Bononienſi commiſſa in Conſiſtorio Apoſtolico fuerat. Nunc autem cum Miſeratione divina ipſe dictus Dominus Bononienſis novus Summus Pontifex ſit creatus, & bene ſit de dicta cauſa informatus, placeat ob reverentiam ſupradictorum, & mei intuitu taliter apud Dominum noſtrum Innocentium Papam VII. operari, quod optatus effectus non amplius differatur. Cum amodo ſint anni duo, vel circa tres, ex quo iſtud negotium habuit in Romana Curia pertractari. Et propter multas occupationes hinc inde, & Domini Papæ præteriti languores, ac denique mortem huc usque fuerit prolatum. Ego autem, ſi quæ poſſum, Veſtræ Reverentiæ grata, intimare dignemini. Vale feliciter. Datum Venetiis die ſecunda Novembris 1404. F. Bembo Epiſcopus Caſtellanus.

Conſimiliter etiam tam per me, quam per quamplures alios dicto Domino Johanni de Bononia literæ & privilegiorum copiæ ſunt directæ, quarum tenores hic dimittuntur gratia brevitatis.

Item cum ad auditum noſtrum perveniſſet, quod in Bononia apud locum Fratrum Prædicatorum reſidentiam feciſſet, & face-

faceret Archiepiſcopus Ravennas, (a) nepos dicti Domini Coſmati, Cardinalis Bononienſis, & poſtmodum Innocentii VII. & eſſet ſumme affectus non ſolum Ordini Prædicatorum, ſed etiam ad B. Catharinam de Senis, Sororem Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, cujus etiam Legendam apud ſe habebat, & habet; ordinatum fuit, quod eidem Archiepiſcopo tam per nos, quam per aliquos alios ſcriberetur, quatenus accedere debens ad Summum Pontificem, opus ſupradictæ impetrationis haberet efficaciter commendatum. Ex quibus literis unius, ſibi per nos transmiſſæ, tenor talis eſt:

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Domino Jo. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopo Ravennati, Domino, & Patrono ſuo præcipuo. Humillima recommendatione præmiſſa. Reverendiſſime Pater, & Domine, noſtri Ordinis Prædicatorum zelator præcipue. Cum Bononiæ in Conventu noſtro, ubi corpus Patris noſtri B. Dominici requieſcit, reſidentiam Reverentia veſtra faceret; Frater Angelus de Camereno, Baccalaureus ibidem, ad noſtram inſtantiam, jam ſunt tres Menſes, & ultra, eamdem veſtram Reverentiam requiſivit, quatenus ob reverentiam dicti Patris noſtri B. Dominici & noſtræ Religionis prædictæ, ſcribere dignaretur Domino Coſmato, tunc Cardinali Bononienſi, ſupplicando eidem, ut cum hic per nos, & per Fratres de Pœnitentia B. Dominici quædam ſupplicatio ſuper ampliori approbatione Status eorumdem facta fuiſſet Domino noſtro Bonifacio IX. & ipſe examinandam commiſiſſet ſupradicto Domino Coſmato; ipſe Dominus Coſmatus ſuum conatum dignaretur apponere, quod dicta ſupplicatio ſuum ſortiretur effectum; & ita Reverentia veſtra facere eſt dignata; propter quod eidem Reverentiæ Veſtræ referimus gratiarum debitas actiones. Cum autem ex tunc propter occupationes multiplices; & dicti Domini Papæ Bonifacii languores usque ad deceſſum ejusdem, dicta cauſa non potuerit expediri decenter, & nunc dictus Dominus Coſmatus, Divina diſpenſante Clementia, Summi attigerit apicem Apoſtolatus; ex quo putamus, quod Reverentia veſtra ad pedes Suæ Sanctitatis erit in brevi, in caſu

(a) *Joannes Melioratus*, Innocentii VII. nepos, *Archiepiſcopus Ravennas*.

quod Procurator noſtri Ordinis eandem ſuper materia ſupradicta requireret, placeat, ut Dei intuitu, & ſupradicti Patris noſtri B. Dominici, noſtræque Religionis Prædicatorum, & præſertim noſtrum hic de Venetiis, deſideratum dictæ petitionis a diu effectum impetrare a Domino noſtro Papa Innocentio VII. Eſt enim Sua Sanctitas de iſta cauſa plenarie informata; quam informationem recepit a ſupradicto Procuratore Ordinis noſtri, & a pluribus aliis. Quibus omnibus, cum adhuc eſſet in minoribus conſtitutus, ſuper id reſponſa ſemper dedit gratiſſima. Unde dicta informatione, pia petitione, præcipuaque, quam erga nos gerit, affectione, aliisque quampluribus compenſatis; omnino firmiter credimus, & ſperamus, quod, ubi Sanctitas Sua nondum id conceſſerit, velit benigniter, & prompte nobis dictam gratiam elargiri. Et ſi, ubi apud eamdem Sanctitatem, ſi expediens fuerit, Veſtra interveniat interceſſio, idipſum infallibiliter obtinebit. Quapropter iterum, atque iterum Veſtræ Reverentiæ humiliter ſupplicamus totis niſibus pro cauſa ſupradicta, parati ad cuncta beneplacita, & mandata ejuſdem Reverentiæ Veſtræ, quam Dominus una cum Sanctitate Domini noſtri Papæ nobis, ac toti univerſali Eccleſiæ feliciter ſervare dignetur. Amen. Venetiis die decima Menſis Novembris 1404. Veſtri humiles oratores, Fratres Johannes Benedicto Prior, Thomas de Senis Conventus Veneti Sanctorum Johannis, & Pauli Ordinis Prædicatorum, qui etiam alias ſimilis tenoris literas Veſtræ Reverentiæ tranſmiſerunt.

Alterius vero tenor, per quemdam Nobilem Venetum eidem Archiepiſcopo tranſmiſſæ, talis eſt, videlicet:

Reverendo in Chriſto mihi Patri, & Domino, debitæ recommendationis oraculo antemiſſo. Ex relatu quorumdam fide dignorum virorum, ac etiam ex iſtis honeſtiſſimis & laudabilis vitæ noſtris Fratribus Ordinis Prædicatorum S. Dominici, Venetiis commorantibus, percepi, quod ipſi Fratres, ac etiam aliqui alii militantes ſub vita Pœnitentiæ S. Dominici hic in Venetiis, jam multis annis elapſis habuere tractatum cum olim Reverendiſſimo Patre Domino Coſmato Bononienſi Cardinali, nuncque Sanctiſſimo Domino noſtro, habendi unam literam Apoſtolicam, per quam Status dictorum militantium ſub dicta vita Pœnitentiæ S. Dominici, ultra alia

pri-

privilegia, eisdem Apoſtolica auctoritate conceſſa, ad majorem conſolationem ſpiritualem animarum ſuarum approbaretur, & confirmaretur. Item dicitur, ſupplicationem Domino noſtro Papæ præterito Bonifacio IX. ſuper eadem re porrectam fuiſſe, commiſſam examinationi dicti Domini Coſmati Cardinalis, qui, niſi interveniſſet obitus dicti Domini noſtri, gratiam pleniſſime obtinuiſſet. Et quia Reverentia Veſtra, jam Bononiæ commorans, ipſis Fratribus dicti Ordinis inſtantibus, memorato Domino Cardinali rem ipſam litteratorie recommiſerat, & illud idem fecerat Dominus Epiſcopus Caſtellanus, & quamplures alii dicti Ordinis devotiſſimi. Quare nunc digna Dei Providentia aſſumpto dicto Domino Coſmato ad apicem Summi Præſulatus, & attento, quod Reverentia Veſtra debeat continuo apud pedes dicti Sanctiſſimi Domini noſtri perſonaliter aſſiſtere, Reverendam Paternitatem Veſtram motus ſum iſtis literis, & precibus exorare, quatenus placeat, in caſu, quo dicta gratia nondum eſſet obtenta, apud Sanctitatem dicti Domini noſtri continuis intercedere rogaminibus, ut gratia ipſa dicti Ordinis confirmatoria in plena, & optima forma obtineatur. Firmi equidem animi ſumus, quod, ſi Reverentia veſtra dignabitur interponere operas veſtras, habito reſpectu ad qualitatem rei, & ad finem exinde perventurum, idem Sanctiſſimus Dominus noſter ad dictæ gratiæ conceſſionem liberam condeſcendet. Hoc firmiſſime ad ſingularem complacentiam omnium Civium, & Nobilium hujus Urbis accedet. Et ego promptus ſum, & paratiſſimus ad quælibet mandata & Sanctiſſimi Domini noſtri, & veſtri, ſpiritu, & animo indefeſſis, quos Altiſſimus conſervet ad vota. Venetiis die vigeſima ſexta Novembris. Veſter Azzo Triviſano de Venetiis ſe ipſum ad vota.

Item dicto Menſe Novembris recepi unam literam a ſupradicto Provinciali Romano, per ipſum ſcriptam Florentiæ die trigeſima prima Menſis Octobris, in qua ſic: Chariſſime Frater, diu eſt, quod non recepi aliquam literam veſtram: unde placeat aliquid ſcribere. Cæterum cogito, quod voluntas Dei fuit, quod Papa defunctus non confirmavit tertium Ordinem B. Dominici, & ſemper fui iſtius opinionis, quod hoc non fieret tempore ſuo, quia credebam, quod Deus nollet, quod hoc fieret per manus ſuas, quia in hoc non haberem

devotionem, nec reputarem legitime factum. Et ſimiliter putabam, quod Deus nollet, quod B. Catharina canonizaretur per Papam defunctum, ſed ſervat eam canonizandam alio tempore per alium Papam. Expectemus voluntatem Dei. Deinde loquitur de onere officii ſui; & ſubdit poſtea: Credo, quod ſit bonum ſcribere Procuratori, quod petat gratiam ab Innocentio Papa pro confirmatione ſupradicti tertii Ordinis. Et quia ipſe habuit examinare Regulam, & dicere, quomodo placebat ſibi, & voluit facere relationem Papæ defuncto; veriſimile eſt, quod libenter ipſe faciet id, quod volebat fieri per alium. Scribatur ergo Procuratori, & faciatis ſcribi Domino Papæ per amicos ſuos, qui ſunt Venetiis, & apponatur ſollicitudinem, ſicut conſuevistis, & ſperetis in Deo. Ego ſcribam Procuratori ſuper hoc, & Frater Johannes Dominici erit bonus ad ſcribendum ſuper idem Domino noſtro Papæ &c.

Item innotuit nobis præſertim in ſupradicto menſe Novembris, qualiter Dominus Angelus Corrario de Venetiis, tunc Patriarcha Conſtantinopolitanus, (*a*) morabatur continue apud pedes Sanctitatis dicti Domini noſtri Innocentii VII. Qui dictus Dominus Angelus una cum dicto Domino Innocentio, cum eſſet in minoribus utpote Epiſcopus Bononienſis, & poſtmodum Cardinalis, præcipuum erga Ordinem Prædicatorum, & maxime de Venetiis gerebat affectum; & hoc quia pariter fuerant in cauſa, quod in Civitate Venetiarum dictus Ordo reformationem ſpecialem haberet: propter quod dedimus operam, ut etiam dicto Domino Angelo aliquæ literæ tam per nos, quam per alios dirigerentur, ſollicitantes eumdem ſuper impetratione gratiæ ſupradictæ. Quarum literarum unius tenor talis eſt. Videlicet:

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, Patri, Et Domino Domino Angelo Corrario de Venetiis, Miſeratione divina Patriarchæ Conſtantinopolitano, Domino, & Patrono ſingulariſſimo: Reverendiſſime Pater, & Domine, poſt recommendatio-

(*a*) *Angelum Corrarium* ex Veneta Caſtellana Eccleſia *ad Patriarchalem Conſtantinopolitanam* tranſtulit Bonifacius IX. anno 1390. ut notat Ughellus. Poſt Innocentium VII. in Sedem Romanam anno 1406. ſuffectus eſt, dictus *Gregorius XII*.

dationes humiles, & devotas. Noverit eadem Paternitas Veſtra, quomodo amodo eſt annus, ex quo literas quasdam recepimus a Fratre Johanne Dominici, in quibus nobis intimavit, qualiter ſupplicatio quædam, facta Summo Pontifici præterito ſuper quadam ampliori approbatione Status Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, de quibus extitit B. Catharina de Senis, commiſſa erat olim Domino Cardinali Bononienſi: reputabat dictæ ſupplicationis negotium expeditum tum propter cauſam rationabilem, & petitionem juſtam, & piam, tum propter affectionem, quam ipſe Dominus Cardinalis gerebat ad Ordinem Prædicatorum, & præſertim ad Conventus noſtros hic de Venetiis. Occurrit autem poſtea, qualiter, ſupervenientibus multiplicibus occupationibus, & præfati Pontificis diverſis languoribus & denique morte, dicta cauſa hucusque caruit expeditione. Cum tamen etiam per annum, & dimidium ante dictam factam in Dominum Cardinalem commiſſionem, factæ fuerint ſupplicationes multiplices eidem Domino Cardinali tam a nobis, & fratribus de Pœnitentia B. Dominici, quam etiam a diverſis aliis Eccleſiæ Prælatis, & laicis, qui ſemper a dicto Domino Cardinali reſponſiones gratiſſimas acceperunt: nunc autem cum ipſe Dominus Cardinalis, Dei diſpenſante, & miſerante Clementia, ad Summum Præſulatus apicem ſit aſſumptus, & de materia ſupradicta plenarie informatus, placeat Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ intuitu Dei, & B. Dominici, ac omnium noſtrum, quorum eſtis præcipuus Paſtor, & Pater, Sanctitati Suæ efficaciter ſupplicare, quatenus in favorem honoris Dei, Sanctæ Religionis, & animarum ſalutem, dictam piam gratiam, tam diu & toties ab ipſo petitam, & affectam, cum modo Domino largiente id poſſit nobis Sua eadem Sanctitas, benigniter condonare dignetur. Siquidem dictus Status Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, quamvis habeat quædam privilegia Apoſtolica, attamen pro ſolidiori ipſius ſubſiſtentia deſideratur a perſonis dicti Status, & a nobis una litera Apoſtolica, in qua inſerta ſit Regula, ſive modus vivendi ipſorum, quemadmodum Urbanus IV. conceſſit Fraternitati de Militia Virginis, & Nicolaus IV. Fraternitati de tertio Ordine S. Franciſci. Et quoniam filius veſter ſpiritualis in Domino, ac Servitor, videlicet, Antonius

nius Superantio, jam eſt diu, quod accepit habitum præfati Status, hinc eſt, quod ultra recommendationem ſpecialem, ſive perſonalem, etiam recommendat Reverendiſſimæ Dominationi Veſtræ cauſam impetrationis præfatæ una nobiſcum, parati pariter ad ejusdem Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ beneplacita, & mandata, quam Deus conſervet ad vota. Venetiis die decimatertia menſis Novembris 1404. Veſtri in Domino humiles Oratores Fratres Johannes Benedicto Prior, & Thomas de Senis poſterior in Conventu SS. Johannis, & Pauli Ordinis Prædicatorum.

Tenor alterius talis eſt, videlicet: Reverendo in Chriſto Patri, & Domino Domino Angelo, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarchæ Conſtantinopolitano, Patrono devotiſſimo: Reverende in Chriſto mihi Pater, & Domine, debitis recommendationibus antemiſſis cum animo ad cuncta placita ejusdem Reverendæ Paternitatis Veſtræ ſemper parato. Ex amicitia, & familiaritate, a diu Chriſti glutino mediante conjuncta cum devotiſſimis, & commendabilis vitæ pariter, & doctrinæ noſtris Fratribus Prædicatoribus, hic Venetiis commorantibus, & præſertim cum noſtro Patre Fratre Johanne Benedicto Priore, & Chariſſimo mihi in Chriſto Patre Fratre Thoma de Senis, ac etiam veſtro in Chriſto Cariſſimo filio Antonio Superantio, ego percepi quampluries, qualiter, non obſtante quod Status illorum de Poenitentia B. Dominici, de quo Statu extitit miræ Sanctitatis in vita pariter, & doctrina Virgo illa inſignis, B. Catharina de Senis, ac aliæ non modicæ, meritique non parvi perſonæ, & quem Statum, & habitum dictus Antonius Superantio cum aliquibus aliis tam ex dictorum Fratrum prædictorum Religione, quam ex B. Dominici, & dictæ Virginis Sacræ devotione allectis, jam anni ſunt multi commendabiliter ſuſceperunt, ſit pluribus privilegiis Apoſtolicis communitus; nihilominus tamen dicti habitus & Status perſonæ, tum pro ipſius Status permanentia ſolidiori, tum pro præmedicti Status conſolatione ſpiritus ampliori, & tum pro cæterorum ad dictum Statum devotione majori a diu optaverunt, & optant unam literam a Sede Apoſtolica obtinere, in qua eorum Regula, ſeu vivendi formula eſſet inſerta, quemadmodum certis aliis Fraternitatibus conditionis ſimilis noſcitur per plures Romanos

nos Pontifices fuiſſe conceſſum. Propter quod jam anni ſunt duo, & ultra, ex quo ſupradicti cum Reverendiſſimo olim Domino Coſmato, Cardinali Bononienſi tamquam cum Patre, & Domino ſibi in Chriſto peculiari habentes Tractatum circa impetrationem literæ ſupradictæ, ad hoc eſt deventum, ut facta ſupplicatione ſuper hoc Domino noſtro Papæ præterito Bonifacio IX. & ab eo commiſſa examinari per dictum Dominum Coſmatum; Ipſe dictus Dominus Coſmatus omnino dictam literam impetraſſet, niſi obitus dicti Papæ interveniſſet. Ad quod utique perficiendum conſtat, quod dicti Domini Coſmati Reverentia plurimorum Prælatorum, ac Civium noſtrorum ſupplicationibus, & recommendationibus fuit inducta, quibus ſemper annuit gratioſe. Quare, cum nunc dictus Dominus Coſmatus dignus, Dei, toti populo Chriſtiano miſerante, Clementia, univerſalis Eccleſiæ creatus ſit Paſtor Summus, & attento quod, prout ex literis a germano veſtro D. Philippo nobis oſtenſis, apud pedes dicti Sanctiſſimi Domini noſtri quaſi continue perſonaliter Reverentia veſtra oportet aſſiſtere, per præſentes tam generali, quam ſpeciali me charitate cogente, moveor, atque compellor, Reverendam veſtram Paternitatem, quantum poſſum, in Domino efficaciter exhortare, quatenus in caſu, quod dicta gratia, ſeu litera Apoſtolica nondum eſſet obtenta, juxta informationem expedientem Procuratoris Ordinis Prædicatorum in curia exiſtentis, apud Sanctitatem dicti Domini noſtri taliter operari dignetur, quod intentus obtineatur effectus, utique ſalubris, & pius, & tandem quam hominibus gratus. Sperantes indubie, quod idem Sanctiſſimus Dominus noſter ad dictæ gratiæ conceſſionem, Veſtræ Reverentiæ intervenientibus precibus, liberaliter condeſcendet, & prompte. Cæterum & meis, & veſtris hucuſque hic bene eſt, Deo dante, & idem de Reverentia veſtra nedum audire, ſed etiam inhianter perſonali præſentia videre deſidero. Iterato offerens me una cum filio veſtro Antonio ſupradicto ad quæque, nobis poſſibilia, eidem Reverentiæ Veſtræ grata, quam Deus cum Sanctitate dicti Domini noſtri, Domini Innocentii, divina Providentia Papæ VII. tam nobis, quam toti Eccleſiæ Sanctæ ſuæ conſervare dignetur ad vota. Venetiis die vigeſima menſis Novembris 1404. Veſter in Domino Nicolaus Conta-

reno

reno cum ſupradicto Antonio Superantio de Venetiis iterum ſimul ad vota pro ſemper.

Item recepi circa finem dicti menſis Novembris unam literam a Procuratore Ordinis, cujus tenor talis eſt, videlicet: Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Statim poſt creationem Domini noſtri Papæ ſcripſi vobis, & unam aliam Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis noſtri &c. & ſequitur: Negotium autem illorum de tertio Ordine ſpero, ceſſantibus quibusdam occupationibus Domini noſtri, quæ usque modo graves fuerunt, ſatis cito deducetur ad effectum, quia Dominus noſter, dum eſſet in minoribus videbatur ad iſtam concluſionem bene diſpoſitus. Alia non ſcribo ad præſens. Vale in Domino, ut optat Scriptor. Romæ die tertiadecima Menſis Novembris. Veſter Frater Ubertinus de Albizis Procurator Ordinis &c.

Fuerunt autem dicto Menſe ſcriptæ literæ plures dicto Domino Angelo tam ex parte ſeorſum dicti Antonii Superantio in ſuo vulgari, quam etiam ex parte ſupradicti Nobilis & devoti Militis Domini Nicolai; quarum literarum unius tenor talis eſt, quæ videlicet ſcripta fuit conſequenter de Menſe Decembris.

Reverendo in Chriſto Patri &c. Reverende, præcipueque in Chriſto mihi Pater, & Domine &c. Sicut ſupra. Ex cauſa cujusdam gratiæ impetrandæ, quæ concernit Statum Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, de quo Statu ultra alias Sanctas, Venerandasque perſonas, fuit Virgo illa, non parvis extollenda præconiis, veſtræque Reverentiæ nota, B. Catharina de Senis, ad inſtantiam noſtrorum Fratrum Prædicatorum, hic Venetiis commorantium, ac etiam præcipui in Chriſto filii Reverentiæ Veſtræ Antonii Superantio, de dicto Ordine, & Statu exiſtentis, cum pluribus aliis de menſe elapſo Novembris eidem Reverentiæ Veſtræ plures literas ſcripſi, & fecit etiam Antonius prælibatus in vulgari Sermone in qualibet prædictarum concludens literarum; qualiter nedum audire de veſtra Reverenda Paternitate, ſed etiam ipſam videre cum perſonali præſentia affectabam. Cui deſiderio favorem præſtare dignatus eſt Dominus; Quoniam nuper in exordio præſentis menſis Decembris per Dominium facti ſunt Ambaſciatores ad Dominum noſtrum Dominum Inno-

no-

nocentium VII. juxta morem, quorum unus eſt Reverentiæ Veſtræ Germanus, videlicet Dominus Philippus Corrario; alius Dominus Robertus Mauroceno; alius Dominus Nicolaus Mudactio; & quartus Ego. Propter quod cito, divina largiente Clementia, ſæpedictam Reverendam Veſtram Paternitatem perſonaliter videre ſpero, cum eadem de quampluri-mis in Domino collaturus. Interim vero ubi ſupradicta gratia per Procuratorem Ordinis Prædicatorum iſthic a Domino noſtro nondum impetrata fuiſſet, & ex hoc dictus Procurator Reverentiæ Veſtræ Suffragium flagitaret, placeat ipſum in hoc habere recommendatum apud Dominum noſtrum; quoniam ipſe Dominus noſter de prædicta gratia a magno tempore extitit informatus, & a prædeceſſore Sanctitatis Suæ Bonifacio IX. eidem, tunc in minoribus exiſtenti, commiſſa fuit cauſa de gratia prælibata, utique tam pia, quam juſta, & rationabilis, quemadmodum cum apud præſentiam Reverentiæ Veſtræ me, Deo dante, invenero, eamdem potero plenius informare: quam una cum Sanctitate Domini noſtri tam nobis, quam toti Eccleſiæ Sanctæ ſuæ Altiſſimus conſervare dignetur ad vota. Venetiis die decima menſis Decembris 1404. Veſter totus in Domino Nicolaus Contareno de Venetiis, ad veſtræ Reverentiæ Vota per ſemper.

Item dicto tempore cum eſſet in Venetiis quidam Dominus Emmanuel de Conſtantinopoli, (*a*) vir catholicus, & eximiæ vitæ, & ſcientiæ, ac Ambaſciator Imperatoris Græcorum, ſupradicto Domino Innocentio VII. notus, pariter & affectus, & conſimiliter nobis Prædicatoribus, præſertim Venetiis commorantibus; Motus enim amore noſtri, & etiam perſonarum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, de quibus etiam ſunt in partibus Romaniæ, ad ſcribendum pro cauſa ſupradicta ipſi præfato Domino Innocentio; cujus tenor eſt, videlicet:

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Domino Innocentio, divina Providentia Sacroſanctæ Romanæ, & Univerſalis

(*a*) Hic ut ex litterarum ſubſcriptione patet eſt *Emmanuel* vel *Manuel Chryſoloras* inſignis Græcarum litterarum inſtaurator in Italia. Conſule Jo: Albertum Fabricium in Bibliotheca Græca Libro v. Capite XLIII. num. VIII. aliosque Scriptores ibi memoratos.

Eccleſiæ Summo Pontifici, Domino ſuo generoſiſſimo. Poſt aliqua ita ſubjungens. Item ad plenum veridice, ac fide digno relatu informatus, & præſertim a Fratribus Prædicatoribus, hic Venetiis commorantibus, mihique, Religionis ipſorum obſervantia interveniente, in amicitiis ſpirituali Chriſti glutino copulatis, & ad Veſtram Sanctitatem a diu præcipua devotione affectis de quadam litera Apoſtolica, quam a præfata Sanctitate Veſtra quotidie hic expectant habere Fratres de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis pro eorumdem Status ampliori, & ſolidiori ſubſiſtentia, & approbatione; idcirco in caſu, quod Procurator iſthic Ordinis Prædicatorum nondum a Sanctitate Veſtra dictam literam impetraſſet, quantum poſſum, humilius, & efficacius eidem Sanctitati Veſtræ, etiam bene de iſta materia informatæ, ſupplico, quatenus dictam literam absque ulteriori dilatione præfatis dignetur concedere, cum jam ſint in tertio anno expectationis gratiæ prælibatæ; & cum nedum in partibus iſtis, ſed etiam in noſtris partibus Romaniæ plures dicti Status perſonæ habeantur, quibus ſupradictæ Apoſtolicæ erunt ſalubres, atque gratiſſimæ, & ad non parvum ſui in Domino ſpirituale ſolatium, & juvamen. In caſu vero, quod dictam gratiam dicta Veſtra Sanctitas conceſſiſſet, debitas gratiarum ex parte ipſorum, & mea eidem Sanctitati refero actiones. Et ubi largiſſimæ Veſtræ magnificæ Sanctitati, atque diſcretioni videretur, gratiſſimum ipſis, & mihi foret, quod ſaltem iſtis de Venetiis, & noſtris de partibus Romaniæ dicti Ordinis de Pœnitentia B. Dominici eadem Sanctitas, & Dominatio Veſtra etiam literam plenariæ Indulgentiæ largiretur ad eorum ſpiritualis ſolatii majorem cumulum, & gaudii in Domino amplius, ſeu plenius complementum. Ex hiis, & aliis pariter recognoſcentes nos ipſos ad orandum Altiſſimum pro eadem Sanctitate Veſtra, & pro quibus intendit, in perpetuum obligatos, & conſimiliter ad quævis alia, prout duceret imperandum. Quam Sanctitatem nobis, ac toti Eccleſiæ Sanctæ Dei ipſe Dominus conſervare dignetur per tempora longiora. Manuel Chriſſolora de Conſtantinopoli, Orator humillimus, & devotus ejusdem Sanctitatis.

Scripſit etiam dictus Dominus Manuel ſupradicto D. Angelo Patriarchæ Conſtantinopolitano, cujus tenor non eſt habitus.

Item

Item dicto menſe Decembris quidam Doctor Decretorum de Venetiis ſcripſit de ſupradicta cauſa cuidam alteri Doctori de Venetiis, reſidenti in Curia in Domo Domini Johannis de Bononia, de quo ſupra facta eſt mentio. Cujus tenor talis eſt:

Nobili, & Egregio Decretorum Doctori, Domino Dominico de Ponte de Venetiis, in Romana Curia commoranti in Domo Domini Johannis de Bononia. Gaudens gaviſus ſum, Dilectiſſime Frater, & mihi major de ſalubri relaxatione veſtra. Impatienter enim tolleravimus temerariam detentionem, ac alia in veſtri perſonam illata, quæ omnia ſub artiori per tempora examine diſtinguentur, cum non vobis, ſed patriæ ſint illata. Verum quia, Frater Chariſſime, ad pietatis opera obligamur, vos cum majori fiducia fraternaliter requiro de negotio infraſcripto, videlicet: quod cum Procurator Ordinis Prædicatorum, qui eſt iſthic in Curia apud Conventum Minervæ dicti Ordinis, debeat procuraſſe, ſive impetraſſe quamdam piam gratiam pro Statu illorum de Pœnitentia B. Dominici, de qua informatus eſt communis Pater, & Dominus Dominus Johannes de Bononia, & Matthæus de Magnanis, & alii plures; idcirco in caſu, quo nondum dictam gratiam impetraſſet, & quod vos requireret, quatenus ſuper id ſollicitare deberetis ſupradictos, placeat amore Dei, & mei, ac noſtri in Chriſto Patris communis Fratris Thomæ de Senis, de Conventu SS. Johannis, & Pauli de Venetiis, dicto Procuratori annuere cum effectu, & eidem aſſiſtere favoribus opportunis: Ut ſpero, velitis igitur mihi complacere in iſta prima requiſitione, quæ amore Dei eſt. De aliis, lucrum afferentibus vobis adviſatus ero, & remittam, & procurabo, ut pro fratre ſumus in forti bracio in territorio Plebis Sacci; & alia de brevi audietis. Frater veſter Thomas de Placentinis de Venetiis, ubi vigeſima nona Decembris ſcripſi.

Scripſi etiam ego dicto Doctori, exiſtenti in Curia, & in Domo ſupradicti Domini Johannis de Bononia reſidentiam facienti, literas quamplures, & etiam quidam presbyter Marcus de Sancto Apoſtolo ſuper cauſa ſupradicta, ut, videlicet, ſollicitare deberet ſuper id dictum Dominum Johannem, redderetque ſe favorabilem Procuratori Ordinis Prædicatorum ſu-

pradicto. Sed tenores dictarum literarum dimittuntur tum gratia brevitatis, tum quia non venerunt ad manus, nec haberi potuerunt.

Item quaſi circa finem Menſis Decembris recepi unam literam a Provinciali Romano, per ipſum ſcriptam Florentiæ die decimaoctava dicti Menſis; in qua ſic: Chariſſime Frater poſt &c. Recepi infra tres dies duas literas veſtras &c. & feci jam partem eorum, quæ ſcribitis. Scripſi enim jam Procuratori Ordinis, rogando ipſum, quod procuret perducere ad finem ea, quæ incepit circa confirmationem Status tertii Ordinis B. Dominici, & efficaciter ſibi ſcripſi ſuper hoc, & rogavi eum, quod vobis ſcriberet, & adviſaret vos, ſi quid per vos eſſet fiendum. Oſtendi etiam literas veſtras Fratri Johanni Dominici, ut ipſe videat ea, quæ ſcribitis; qui dixit, quod nolebat ſcribere de dicta materia Papæ, & quod ſcripſerat vobis, quod, ſi iretis Romam, vel mitteretur Dominus Antonius Superantio, ſperabat firmiter, quod obtineretis, quæ vultis, quia Dominus Papa inclinaretur ad aſpectum petentium. Ex quo autem vos ſcripſiſtis Procuratori Ordinis, & ego etiam ſcripſi, expectemus reſponſionem ejus, quia non eſt nunc tempus pro vobis aptum ad diſcurrendum &c. deinde narrat, quantæ ſibi ſit gravitatis Provincialatus officium, & plura alia de quibus dimittitur gratia brevitatis.

Conſequenter de menſe Januarii iterum ſcripſit Dominus Epiſcopus Vicentinus ſupradicto Domino Johanni de Bononia ſuper materia. Cujus tenor eſt: Egregio, & Inſigni Viro, Domino Johanni de Bononia, honorando Fratri Chariſſimo. Egregie, & Inſignis Frater honorande. Recolo, me pridem vobis ſcripſiſſe ad inſtantiam Fratris Thomæ de Senis, & aliorum Fratrum Prædicatorum hujus Civitatis de Venetiis, ubi pro nunc ſumus, ſuper negotio illo, quod procuratur circa Statum, & modum vivendi Fratrum de Pœnitentia B. Dominici, de quo aſſerunt vos pleniſſime informatum; & quia negotium illud nondum exitum habuit, iterato charitatem Veſtram deprecor, ut pro viribus placeat ſollicitare taliter, quod optatum deſiderium celeriter conſequatur. Vale ad vota. Datum Venetiis die decimaoctava Januarii 1405. Johannes Epiſcopus Vicentinus. Qui Epiſcopus etiam dicto tem-

tempore ſcripſit ſuper idem Domino Angelo Patriarchæ Conſtantinopolitano ſupradicto; cujus tenor talis:

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Domino Angelo, divina Providentia Patriarchæ Conſtantinopolitano digniſſimo, Patrono, & Domino merito venerando. Reverendiſſime Pater, & Domine mi venerande, poſt humilem, & ſubjectivam recommendationem. Rogatus inſtanter per Religioſos viros Fratres Prædicatores hujus Civitatis Venetiarum, mihi in Domino chariſſimos, exorare Venerandam Paternitatem Veſtram, ut partes ſuas interponere dignetur apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum in obtinendo ab ejus Sanctitate literas approbatorias Status, & modi vivendi Fratrum, appellatorum de Pœnitentia B. Dominici, (de quo negotio aſſerunt, Veſtræ Paternitati pluries ſcripſiſſe, ac fore de id pleniſſime informatam) filiali audacia confidenter audeo eamdem Reverendiſſimam Paternitatem humiliter deprecari, votis dictorum Fratrum annuere, taliter quod interceſſionibus Clementiſſimæ Paternitatis Veſtræ celerem intentum ſuum lætentur obtinuiſſe. Quam Jeſus Chriſtus Redemptor, & Dominus noſter tueri, & in donis ſuis continue miſericorditer ad votum augere dignetur. Datum Venetiis die decimanona Januarii 1405.

Item dicto tempore recepi unam literam de Curia a Procuratore Ordinis hujus tenoris, videlicet: Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Recepi plures literas veſtras ſuper factum illorum de tertio Ordine &c. Et ecce feci ſecundum conſilium veſtrum; & accidit, prout alias vobis ſcripſi. Dedi enim ſupplicationem Domino Patriarchæ Conſtantinopolitano, & etiam Domino Johanni de Bononia. Dominus autem Patriarcha jam ſunt quindecim dies, ex quo mihi dixit, quare ſibi videbatur aliquantulum expectandum, quouſque Papa aliqua expediret. Dominus Johannes de Bononia, pluries a me ſollicitatus, adhuc mihi infra vigintiquinque dies ullum dedit reſponſum, ſemper dicens, ſe adhuc Domino noſtro non fuiſſe locutum. Credatis, quod ego ſatis ſollicitavi, & per me non deficiet. Et pur ſpero obtinebitur intentum. Item miſi vobis plures literas, quas Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis dirigetis &c. Romæ vigeſimaquarta Decembris 1404. Veſter Frater, Ubertinus de Albizis, Procurator Ordinis &c.

Item

Item ſupradicto tempore, & menſe, ſi bene occurrit, circa principium dicti menſis Januarii acceſſit ad Curiam ad Dominum noſtrum Innocentium VII. quidam ſuus amicus chariſſimus de Bononia, Matthæus de Magnanis appellatus, & ſupradicti Domini Johannis de Bononia ſimiliter notus pariter, & affectus; & ambo Cives Bononienſes, ubi ſacrum Sancti Dominici corpus requieſcit, & ex hoc merito dicti Sancti devoti. Quemadmodum per me informatus fuerat dictus Dominus Johannes, ita & dictum Matthæum informare curavi. Cui etiam quamplures literas & copias privilegiorum ad dictum Dominum Johannem, & ad Procuratorem Ordinis tradidi, ac etiam unam literam cambii quinquaginta ducatorum, pridem die trigeſima Menſis Octobris immediate præteriti ordinatam a quodam Nicolao de Guidicionibus de Lucca, B. Catharinæ de Senis ſingulari devoto, & ab eodem cuidam Johanni Demedias, & ſuæ Societati Romæ directas, a quo etiam Johanne dictus Procurator Ordinis, prius receperat decem ducatos, ut ſic per omnia dictus Matthæus taliter ſollicitaret negotium, quod ſecum poſtmodum Venetiis rediens, deſideratam Apoſtolicam literam apportaret. Dictarum autem literarum tenores non habentur; & ſic dimittuntur etiam gratia brevitatis.

Conſequenter contigit, me recipere unam literam a Reverendo Patre Fratre Bartholomæo de Paruſio Provinciali Romano Ordinis Prædicatorum; in qua inter alia ſic mihi ſcribit: Domine Chariſſime Frater, poſt cordiales Salutationes. Recepi hodie unam literam a Reverendo Patre Procuratore Ordinis, in qua mihi ſcribit ſic: Noveritis, & ita ſcribatis Fratri Thomæ de Senis, quod examinatio Statutorum illorum de tertio Ordine iterum, & de novo eſt commiſſa Domino Patriarchæ Conſtantinopolitano; qui, habitis a me Statutis, & perlectis, petiit a me videre privilegia, quibus ille Ordo fuit munitus. Ego autem reſpondi, me pro tunc non habere aliquam Bullam, ſed copias. Et quod aliquas copias privilegiorum Bonifacii IX. poteramus in authentica forma ſumere de regiſtro. Qui de privilegiis Bonifacii præfati modicum curat, me non habere Bullas, & quod forſan aliquæ ſunt inter Schiſmaticos; ſed copias habebam ſatis antiquas, quas ſibi portavi, ut videat, ſi ſibi

ſibi ſufficiunt. Et ſubdit in litera: poterit etiam Frater Thomas mihi ſignificare, ſi aliquam habet Bullam. Hæc ille. Videtis ergo, quod commiſſio facta eſt Domino Patriarchæ Conſtantinopolitano, qui petit privilegia antiqua. Si ſcitis, ubi ſunt authentica, procuretis habere illa, & habita mittatis Procuratori Ordinis, & faciatis ſcribi per amicos Domino Patriarchæ Conſtantinopolitano; Quia ex quo commiſſio facta eſt, modo oportet apponere conatum, ut deveniatur ad finem intentum. Et poſt multa de aliis materiis, concludit dicens: Vale feliciter. Datum Prati die vigeſimanona Januarii 1405. Inter hæc contingit haberi nova de Curia intimantia, qualiter ſæpe nominatus ſupra D. Johannes de Bononia ex hac vita migraverat, & qualiter ſupradictus Matthæus de Magnanis de Bononia factus fuerat ſuus fidei commiſſarius.

Ulterius, perceptis ſupradictis novis de commiſſione noviter facta Domino Patriarchæ ſupradicto, cogitaviſſem eidem ſcribere, ac etiam ordinare, quod ex parte noſtra ſibi per alios ſcriberetur, utpote tam per germanum ſuum, Dominum Philippum Corrario, quam per Dominum Angelum Barbarigo Epiſcopum, (a) & per Dominum Presbyterum Antonium David, & Dominum presbyterum Johannem de Puteo, omnes de Venetiis; Et per Dominum Carolum, qui fuerat Abbas S. Georgii Majoris de Venetiis, & tunc erat Cubicularius Domini noſtri Innocentii VII. quam etiam per Dominum presbyterum Beltramum, & omnes iſti erant amici intimi in Domino ipſius Domini Patriarchæ; Et quod ego etiam ſcriberem ex parte ipſorum. Et ita factum eſt. Unius autem dictarum literarum tenor talis eſt, videlicet:

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino, Domino Angelo Corrario de Venetiis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Pa-

(a) *Angelus Barbadicus* (Barbarigo) ex Patricia Venetorum gente *Epiſcopus*. Hoc anno 1405. adhuc Epiſcopales *Chimenſes* infulas geſtaſſe dicitur ab Ughello: ad Veronenſem Eccleſiam translatus *anno* 1406. *die* 2. *Septembris* *Chimenſem* Sedem irrito quæſivi labore in Lexicis Geographicis, ac Notitiis Eccleſiarum. Apud eumdem Ughellum in Tabulis Veronenſibus extant in *Jacobo Rubeo Epiſcopo* literæ Michaelis Steno Venetiarum Ducis, in quibus vocatur *Epiſcopus Chiſamenſis*: unde patet *Chimenſem* ex Librarii errore pro *Chiſamenſi* irrepſiſſe. Lequienus Tomo III. Orientis Chriſtiani col 930. collocat ipſum inter Epiſcopos *Ciſſamiæ*, vel *Ciſami*, aut *Cyſami* in inſula Creta.

Patriarchæ Conſtantinopolitano, Patrono, & Domino ſuo præcipuo. Reverendiſſime Pater, & Domine, nobis in Domino præcipue, poſt recommendationes humiles, & devotas. Cum eidem ſcripſerimus a tempore creationis novi Summi Pontificis usque heri, & hodie literas plures, & conſimiliter Dominus Nicolaus Contareno, & Dominus Antonius Superantio Frater de Pœnitentia B. Dominici; tam ex parte mea, quam illorum de Pœnitentia B. Dominici ſuper quadam litera, neceſſario impetranda pro ſolidiori & efficaciori ſubſiſtentia Status dictorum de Pœnitentia B. Dominici, ac pro completiori approbatione Status præfati, ab exordio ipſius B. Dominici usque hodie hinc inde per Orbem diffuſorum, etiam usque ad partes Romaniæ; & hodie ad noſtrum pervenerit auditum, quod negotium dictæ literæ eſt Reverentiæ Veſtræ a Domino noſtro nuper commiſſum, hinc eſt, quod occurrente etiam latore præſentium, qui eſt Dominus Antonius, Nepos ejusdem Reverentiæ Veſtræ, duximus eidem ſcribendum: Significantes ſibi primo, qualiter infallibiliter ultra privilegia Bonifacii IX. dictus Status habet quamplura privilegia alia, bullata bulla Papali, quam etiam inſinuata. nam privilegium Honorii IV. eſt bullatum in noſtro Conventu Piſano Ordinis Prædicatorum, & ſimiliter eſſe debet in Conventu Bononienſi ejusdem Ordinis: illud vero Johannis XXII. eſt etiam Bullatum tam in præfato Conventu Piſano, quam etiam in Conventu Florentino ejusdem Ordinis: aliqua vero alia Gregorii X. & Innocentii IV. & Alexandri IV. non inveniuntur hic, vel in Tuſcia; ſed putamus, alibi fore. Item ſignificantes ſecundo, qualiter ſuper ſupradicta litera impetranda quamplures, & plures Prælati, & Domini ſcripſerunt ſupradicto Domino noſtro, etiam cum eſſet in minoribus conſtitutus, quibus ſemper gratioſe reſpondit. Et conſimiliter plures ſcripſerunt Archiepiſcopo Ravennati, Domino Johanni de Bononia, & Reverentiæ Veſtræ; cui etiam, & conſimiliter Domino noſtro ſcripſiſſe debuit Dominus Manuel de Conſtantinopoli, Ambaſciator Imperatoris Conſtantinopolitani. Item ſignificantes tertio, qualiter volentes dictam literam propter cauſas rationabiles, & non paucas, quarum aliquæ exprimuntur in quodam Tractatu, quem Reverentiæ Veſtræ apportare, & præſentare debet Dominus Nicolaus

colaus Contareno, & volentes ſinceriter incedere, & illam ſine quovis vitio petere, & impetrare, dilata fuit dicta petitio. Et tandem a tribus annis citra ſolum cum Domino Coſmato, olim Cardinali Bononienſi, & nunc Summo Pontifici, dictæ literæ petitio, & impetratio principaliter tractata fuit. Cum igitur nunc ſimus in præſentibus ſub dicto Papa Innocentio VII. conſtituti, & ſic a quovis minus recto ſecuri, & cum hoc ſit Reverentia Veſtra continue ad pedes Suæ Sanctitatis; hinc eſt, quod judicamus, poſſe ſecure eidem Reverentiæ Veſtræ circa id ſcribere, ac eamdem ſollicitare, ut opportunitate decenti captata, & mente Veſtræ Reverentiæ declarata, ejusdem interventu dicta litera impetretur absque dilatione ulteriori. De reformatione autem ſupradictorum privilegiorum, quæ refirmanda Veſtra Reverentia judicat, illa ſolummodo refirmentur, vel omnia prout ſe habent, & prout ſtant, dimittantur. Et ne putet eadem Reverentia Veſtra, nos non attendere, aut poſtergare, in quantis ſit Sedes Apoſtolica occupata; idcirco diximus, opportunitate ſervata. Nam Statum Eccleſiæ conſiderantes attentius, cogimur apud Altiſſimum & per nos, & per alios, & in communi, & in particulari preces aſſiduas quotidie fundere, & offerre pro felici tam Statu Eccleſiæ Sacroſanctæ, quam etiam pro adimpletione Sanctorum deſideriorum, quæ apud Sanctitatem Domini noſtri publice fore narrantur. Quam Sanctitatem, una cum Reverentia Veſtra, nobis, & toti Eccleſiæ Sanctæ ipſe Dominus Jeſus, Univerſalis Eccleſiæ principalis Sponſus, & Paſtor conſervare dignetur ad vota. Venetiis die prima Martii 1405. Perveſtri in Chriſto humiles Oratores, Fratres Johannes Benedicto Prior, & Thomas de Senis Conventus SS. Johannis, & Pauli de Venetiis Ordinis Prædicatorum.

Alterius literæ tenor talis eſt ad Dominum Carolum Papæ Cubicularium.

Reverendo in Chriſto Patri, & Domino Domino Carolo, Domini noſtri Papæ Cubiculario, & Patrono ſuo præcipuo. Ad Reverendam Paternitatem Veſtram, a diu nobis in Domino notam, tam humiliter, quam confidenter recurrentes, ſupplicamus eidem, quatenus Reverendum Patrem, & Dominum Dominum Patriarcham Conſtantinopolitanum ſollicitare dignetur, ac etiam efficaciter deprecari, quatenus ob reve-

rentiam B. Dominici, ac etiam pro conſolatione noſtrum, & etiam aliarum multiplicium perſonarum, literam quamdam, continentem approbationem plenariam Status Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, de qua bene eſt Sua Reverentia informata, & a Domino noſtro eidem commiſſa, tam veſtro, quam ejusdem interveniente ſuffragio, & patrocinio in iſta ſaltem immediate futura Quadrageſima absque dilatione ulteriori dictam literam Apoſtolicam obtinere valeamus. Parati ad beneplacita Reverentiæ veſtræ, quam Altiſſimus conſervet ad vota. Venetiis die primo Martii 1405. Veſtri &c. Joannes Benedicto Prior, & Thomas Conventus SS. Johannis, & Pauli de Venetiis Ordinis Prædicatorum.

Item recepi ſupradicto menſe Februarii unam literam a Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, per ipſum ſcriptam Coloniæ die quartadecima Januarii 1405. in qua inter alia ſic: Chariſſime Frater &c. Recepi & literas veſtras, in quibus diligentiam veſtram tam pro impetratione Regulæ de Pœnitentia, quam in frequenter mihi ſcribendo, plurimum commendo, gratiſſimasque habeo, paratus ex corde veſtris condeſcendere votis &c.

Tenores autem aliarum quampluriam ſupradictarum literarum non habentur, & ideo dimittuntur.

Recepi autem dicto menſe Martii unam literam a Reverendo Procuratore Ordinis, cujus tenor talis eſt; Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Plures veſtras literas recepi ſuper eadem materia; & credatis, quod ego non dormio. Forte vos creditis, quod ego poſſum capere Prælatos, & Dominos, ut faciant ad libitum meum. Ipſi volunt, quod homo audiat eos ſine replicatione. Credo, quod Reverendus Provincialis noſter ſcripſit vobis, quomodo examinatio præſentis negotii erat commiſſa de novo Domino Angelo Patriarchæ Conſtantinopolitano; & hoc, quia voluiſtis, ut facerem ad modum veſtrum. Ipſe dicit, ſe velle expedire; & eſt magis aſtrictus & tardus, & magis laborat in conſcientia, quam Papa præſens, qui primo habuit commiſſionem. Ipſe in principio volebat videre omnia privilegia, de quibus fit mentio in Tractatu veſtro cum bulla. Promiſi, quod videret Privilegia Bonifacii IX. Dixit, quod de illis modicum curabat. Finaliter vult videre privilegium Johannis XXII. & vo-

lebat

ſebat tamen cum Bulla. Dixi, quod, ſi vellet, facerem eum venire; ſed rogavi, ut eſſet contentus, quod videret inſinuatum, ne forte Bullatum perderetur, & cum magna difficultate remanſit contentus. Miſi Florentiam, ut inſinuetur, & expecto ipſum iſtis diebus. Item quidam Jacobus Angeli de Florentia, Scriptor literarum Apoſtolicarum, dedit mihi literam veſtram cum copia literæ Ambaſciatoris Græcorum (*a*) &c. & oſtendit mihi, quomodo vultis pro aliquibus, in veſtro memoriali deſcriptis, Indulgentiam in mortis articulo; & interrogavit, ſi pecuniam haberem pro Bullis. Dixi, quod aliquos ducatos veſtros habebam, quos ſibi traderem valde libenter; & etiam, ſi oporteret, aliquid plus expendere, etiam providebo. Sed ſciatis, quod pro qualibet perſona tali nominata oportet fieri unam literam de per ſe, quia non datur communiter una litera pluribus perſonis ſingularibus, niſi marito, & uxori præciſe; & ſic expenſæ pro omnibus illis aſcenderent plus, quam credatis. Ego habui à vobis per bancum de Medicis decem ducatos, (*b*) de quibus ſolvi illi, qui dictavit ſupplicationem unum ducatum, & cum difficultate; quia omnino volebat habere quatuor. Item ſolvi in quodam enſenio facto Domino Cardinali de Brancatiis, Protectori Ordinis, qui fecit committi negotium, & pluries eſt locutus Papæ de materia, ducatos duos in pullis, & aliis ſylveſtribus. Item modo habeo ſolvere pro inſinuatione illius Privilegii, de quo ſupra facio mentionem; & reſiduum eſt ad veſtram petitionem. Scribatis mihi, cui debeo tradere; & ita fiet. Alia non occurrunt ad præſens. Vale in Domino, ut optat Scriptor. Romæ die nona Martii 1405. Veſter Frater Ubertinus de Albizis, Procurator Ordinis.

"Conſequenter recepi aliam literam à dicto Procuratore Ordinis de menſe Aprilis; cujus tenor talis eſt, Videlicet: Reverende Pater, prævia recommiſſione præmiſſa. Veritas eſt, quod pluries mihi ſcripſiſtis literas ſuper facto Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici; ſed non recepi tot, quot ſcribitis, vos ſcripſiſſe. Et aliquas ego pro majori parte

 rece-

(*a*) Litteræ *Ambaſciatoris Græcorum*, ſunt litteræ *Manuelis Chryſoloræ*, de quo ſuperius.

(*b*) Intellige *Ducatos* aureos, Veneti *Zecchinos* vocant.

recepi per ſex, vel octo ſeptimanas poſt datam ipſarum. Ego autem pluries vobis ſcripſi, quam dicatis, ſed non reſpondi omnibus veſtris literis, quia vos creditis, quod ego dormiam ſuper materia, & tamen cor meum vigilat. Non oportet tot verbis idem repetere, & poſtea vos poſuiſtis me bis in prolungationem negotii. Primo enim voluiſtis, quod ego loquerer Domino Johanni de Bononia; quod tamen feci, licet invitus, quia hominem cognoſcebam: ſed feci ne me de negligentia redargueretis. Ipſe tenuit me in verbis bene per unum menſem; & credo, quod, non computando vices, quibus propter alias cauſas ibam ad Palatium, & ſibi loquebar, quod ſolum, ut ſibi loquerer, ivi pluſquam viginti vicibus; & tamen nunquam voluit facere verbum. Ego dico vobis, ego cognoſcebam hominem: ipſe eſt mortuus; & poſſum jam ſecure dicere: ipſe non moviſſet pedem per duos paſſus, ut alicui ſerviret ſine pecunia. Et vos mihi impoſuiſtis, quod niſi pro Bullis, vel pro laborantibus, poſt labores aliquid ſolverem. Vos creditis, quod ipſi propter verba devotorum debeant ſe movere; & negotia tranſeunt per aliam viam, quam putatis. Ego cum eo diu laboravi, & nihil feci, nec per annum feciſſem, niſi me implicare voluiſſem, quod prohibuiſtis omnino, & merito. Secundo voluiſtis, quod de materia loquerer Domino Patriarchæ Conſtantinopolitano; quod etiam non feci libenter: cognoſcebam hominem, nimis conſcientioſum, & frigidum. Papa commiſit ſibi, & poſtquam habuit commiſſionem, fui ad eum pluries, & ſollicitavi; Ipſe ſemper dicebat mihi: non multum feſtinemus, quia volo facere; & fecit mihi communicationes, quod volebat videre privilegia inſinuata, vel publica, de quibus fit mentio in veſtro Tractatu. Reſpondi, quod erat difficile, quod ad Curiam portarentur propter diſcrimina viarum. Iſtam quæſtionem nunquam fecit mihi Papa, quando erat Cardinalis, & habebat commiſſionem: ſed iſte propter conſcientiam ſuam fecit, non credens literis veſtris, & verbis meis. Finaliter remanſimus, quod facerem inſinuari privilegium Johannis XXII. cum omnibus ſolemnitatibus juris; quod & feci fieri in Florentia, in Curia Epiſcopi Feſulani de pecunia veſtra, & iſtis diebus habui, utpote jam ſunt octo dies. Et quando ſibi portavi, inveni, quod ipſe eſt factus Legatus in Marchia, & accelerat

rat receſſum ſuum, & reſpondet, ſe non credere, poſſe expedire ante receſſum. E coſi aremo facto aſſai. Item faciebat difficultatem, quia in ſupplicatione iſti Fratres appellantur de Pœnitentia B. Dominici; & dicit, quod non habet certitudinem de iſto verbo, ſive nomine. Et dixit: vis tu, poni in Bulla, quod ipſi ſic appellentur; ita quod Papa non appellet eos ſic; ſed quod dicat Papa, quod ſic appellantur? Reſpondi, quod ſic, & quod non curabam. Tunc dixit: Facias ergo reformari ſupplicationem. Feci ipſam reformari ad modum ſuum: neſcio, quid faciet. E a dirvi il vero, Io ſo come che ſtomacato, e ſatio de facti ſuoi. Tanta conſcientia: a che ſarebbe meglo n'aveſſe la metà. Si ego non fuiſſem locutus ſibi, Dominus de Brancatiis adhuc habuiſſet commiſſionem, & tranſiſſet ſolum cum neceſſaria conſcientia. Io o facto a voſtro ſenno. L'altra volta o voi la laſciate fare a me, o voi la commettete ad altri; peroche io conoſcho e cortigiani meglo di voi, e ſo piu quello, che biſogna al facto. Io mi pento daver facto a voſtro ſenno; e ben lo viddi innanzi; ma non volli. Se altro ne foſſe intervenuto, aveſſe potuto dire. Se gl'aveſſe facto a noſtro ſenno, la coſa ſarebbe fornita. Voglo piu toſto vadi la coſa male, facendo a voſtro ſenno, che facendo al mio. Dominus Patriarcha dicit, quod neſcit, ſi poterit expedire ante receſſum ſuum. Item ſcripſi per aliam literam, quod eram paratus ſolvere reſiduum pecuniæ, quod habebam, illi Jacobo Angeli pro Indulgentia illa; & adviſavi vos, quod omnes illæ perſonæ non poſſunt venire in eadem litera, ſed pro qualibet oportet fieri literam ſpecialem. Alia non ſcribo ad præſens, niſi quod mittatis illas literas Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis &c. Vale ut optat Scriptor. Romæ die ſeptima menſis Aprilis [illegible]. Veſter Frater Ubertinus de Albizis, Procurator Ordinis &c.

Item tenor alterius: Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto, Scripſi vobis unam literam circa principium hujus menſis Aprilis, quam credo habuiſtis. Et ideo non repeto. Modo vero aliter ſcribo, & ſcripſi, ſed etiam non narro ad præſens, ſed iſtis diebus vobis tranſmittam cum quibuſdam literis mittendis ad Capitulum Generale &c. Scriptum Romæ vigeſimaquarta Aprilis 1405.

Item conſequenter recepi aliam literam a Procuratore Or-

dinis,

dinis, Romæ de menſe Maii ſcriptam, cujus tenor talis eſt, videlicet: Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto, Literam veſtram unam, ſcriptam Venetiis die quarta Aprilis, recepi die vigeſimaprima ejusdem. Ego autem vobis unam ſcripſi circa diem ſextam, vel ſeptimam ejusdem menſis, quam vobis transmiſi per Matthæum de Ricciis, cum una directa Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, quam, quia credo, vos habuiſſe, ideo non repeto, quæ ibi ſcribebam, quia de geſtis in facto usque ad illam diem vos ſatis plenarie informavi. Poſtea aliter accidit, quod Dominus Patriarcha tranſiit ad ſuam Legationem, negotio non expedito, quia non voluit, cum tamen bene potuiſſet, ſi voluiſſet, & mihi fecit reſtitui omnes ſcripturas meas cum examinationibus &c. quas non accepto, niſi quia non poſſum aliter, quia non ſunt acceptandæ. Satis ſibi dixi, & rogavi, & feci rogari per omnes, quos ſibi credebam aſtrictos; & nunquam aliquid voluit facere. Redibo ad Dominum Cardinalem de Brancatiis, ſi cum ipſo potero aliquid expedire: tamen bene cognoſco, quod, ſi ſentiret de commiſſione facta Domino Patriarchæ, erit indignatus. Item ſcribitis de pecunia quinquaginta ducatorum, miſſa per Matthæum de Magnanis. Ipſe mihi portavit aliquas ſcripturas, quas habui, & literam cambii voluit dimittere mihi: ego videns, quod litera dicebat in eo, & ſibi dari debebantur, dimiſi ſibi, quia nihil de ea feciſſem. Matthæus Magnani credo, quod modo ſit apud vos: poteſtis ſibi factum recommendare, ſecundum quod ego ſibi dicam, & dimittatis facere me. Non gravetis me tantum literis, quia, prout vobis ſcripſi, ut facerem ad modum veſtrum, ſumus impediti. Ego ipſe congruo tempore vobis ſcribam, & credatis, quod non dormivi, neque dormio ſuper negotio, ſed ſuper Dominos non habemus poteſtatem inferiores, nec ab eis, vel amicis plus poſſumus habere, quam velint. Mitto vobis ſimul cum iſta aliquas literas, dirigendas Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis ad Capitulum Generale, (a) &, ſi oportet, etiam cum aliquali expenſa; ita quod ipſe eas habeat ante feſtum Pentecoſtes, quia inter eas eſt una litera Domini noſtri Papæ bullata, quæ dirigitur Capitulo Generali; & eſſet ſcandalum, ſi non haberetur

(a) *Capitulum Generale* innuitur, quod in obedientia Urbanitarum præſide Thoma de Firmo, Norimbergæ anno 1405. celebratum fuit die 7. Junii.

retur tempore debito; & etiam una alia ejuſdem non Bullata; & alia Cardinalis Hoſtienſis, Magiſtro Ordinis directa. Vale in Domino ut optat &c. Datum Romæ die quarta Maii 1405. Veſter Frater Ubertinus de Albizis, Procurator Ordinis Prædicatorum.

Sciendum, quod, ſicut apparet ex duabus, ſeu tribus literis ſupradictis, ſupradictus Dominus Patriarcha in ſupradicto negotio videtur, quod fuerit longus, atque remiſſus propter arctam conſcientiam, quam habere conſuevit in omnibus. Nam cum ego contuliſſem cum aliquibus ſibi domeſticis Venetis, qualiter videbatur protrahere cauſam ſupradictam, responderunt mihi, quomodo in omnibus agibilibus ſemper fuit longus, & tardus; & ita non mirum, ſi etiam in materia ſupradicta ſuo more conſueto proceſſit. Sed tamen reputo me certum, quod, ubi ſupradicta Legatio non interveniſſet, ſe taliter declaraſſet, & declaratus fuiſſet, quod dictam cauſam ad intentum finem infallibiliter perduxiſſet. Occurrit mihi, quod, cum dictus Dominus Patriarcha erat in Venetiis, iturus Romam, in tantam perplexitatem ſe recepit erga dictum acceſſum, quod neſciens, quid eligeret, an inibi accedere, vel ne; tandem elegit tres, quorum ego fui unus, dicens nobis: ego finaliter ſic deliberavi, videlicet, quod, ubi dicatis mihi, quod ego non vadam Romam, ego non ibo. Si autem, quod vadam, ibo. Et deliberantes, quod iret Romam, tunc ſe determinavit ad eundum, & ita executioni mandavit; ubi priusquam fuit per plures annos tempore Bonifacii IX. ſuccedente Innocentio VII. cujus ſpecialem gratiam habuit, dictus Innocentius dedit ſibi ſupradictam Legationem, ſive Vicariam tantum in Marchia, ad quem, ſive ad quam cum acceſſiſſet, non expedito negotio noſtro ſupradicto, circa finem menſis Aprilis, ſive principium menſis Maii, conſequenter de menſe Junii in feſto Pentecoſtes ab eodem Innocentio cum octo aliis factus eſt Cardinalis, (a) & Legatus

(a) Angelus Corrarius Patriarcha Conſtantinopolitanus inter S. R. E. Cardinales *de Menſe Junii in Feſto Pentecoſtes ab Innocentio* (VII.) *cum octo aliis adnumeratus*, anno 1405. Hoc anno, qui Aureo numero XIX. & Litera Dominicali D. adnotatus erat, incidit Paſcha in diem XIX. Aprilis, adeoque *Feſtum Pentecoſtes* in diem *ſeptimam Junii*. Attamen Raynaldus ad hunc annum num. 7. *undecim* numerat ab Innocentio creatos Cardinales, quos Pon-

gatus ibidem, ſcilicet in Marchia. Et conſequenter eodem anno, defuncto Innocentio VII. factus eſt Papa, & Gregorius XII. appellatus. Qui etiam propter conſcientiam ſingularem, quam ſemper habuit, diſpoſuit ſe ad obligandum renunciare efficaciter Papatui, ut quodammodo foret in eo unio Eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis ſuccederet: Et qui etiam Pontificatus ſui Anno primo Ingulgentias plures non ſolum Fratribus Prædicatoribus, ſed etiam illis de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis concedere dignatus eſt Indulgentiam plenariam in mortis articulo, & alias generaliter Ordini de præfatis, ut infra dicetur.

Item poſt hæc recepi aliam literam a Procuratore Ordinis dicto menſe Maii, cujus tenor talis eſt, videlicet: Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Poſtquam ſcripſi vobis, quomodo concluſit Dominus Patriarcha Conſtantinopolitanus in cauſa ſibi commiſſa illorum de tertio Ordine, ego eamdem feci committi de novo Domino Cardinali Hoſtienſi de Florentia; (*a*) & ita vere habebitis vel affirmativam, vel ultimam negativam. Sed ſciatis, quod litera cambii, quam miſiſtis per Matthæum de Magnanis, non poteſt habere executionem, quia Matthæus non eſt hic, & litera dicit in nomine ſuo. Sed ſi habebimus affirmativam bonam, procurabo pecuniam per literas; & vos mihi reſtituetis: & niſi aliquid novi ſuperveniret, non laboretis in ſcribendo: ſolum dimittatis facere me; quia id habeo ſingulariſſime cordi. Item iſtis diebus elapſis miſi vobis & literas, directas Magiſtro Ordinis, & modo mitto aliam. Vale in Domino: datum Romæ in Craſtino Aſcenſionis, quæ fuit dies vigeſimanona Maii 1405. Veſter Frater Ubertinus de Albizis Procurator Ordinis.

In

inter Angelum Corrarium *die* xi. *Junii*. Pagius in Breviario Romanorum Pontificum in Vita Innocentii VII. creatos illos affert *die* xii. *Junii Feria VI. quatuor temporum*. Eadem habet Ciaconius. Authoritati Thomæ de Senis, qui Venetiis anno illo degebat, & ſcribebat, fidendum magis puto. De hoc rurſus num. 78.

(*a*) Acciajolus Florentinus, *Epiſcopus Florentiæ*, tum S. R. E. Cardinalis, tit. S. Laurentii in Lucina, demum Epiſcopus *Oſtienſis*. Obiit anno 1409. teſte Ughello.

In ſupradicta immediate litera narrat Procurator Ordinis, qualiter fecit committere cauſam ſupradictæ literæ impetrandæ ſupradicto Domino Cardinali Hoſtienſi de Florentia. Sed ſupradictus Matthæus Magnani, de quo pluries ſupra facta eſt mentio, cum rediſſet Venetias circa principium ſupradicti menſis Maii, mihi narravit oraculo vivæ vocis medium, per quod dictus Procurator obtinuit, quod fieret commiſſio tertia ſupradicto Domino Cardinali Hoſtienſi; & hoc per hunc modum, videlicet: Cum vale feciſſem, inquit mihi Matthæus, Domino noſtro Papæ Innocentio, rediturus Venetias; tunc occurrit mihi de negotio veſtræ literæ impetrandæ, quod mihi ita inſtanter, & serioſe recommendaveratis. Et volentes ſcire, antequam de Roma diſcederem, qualiter se habuiſſet & haberet dictum negotium circa literam ſupradictam, acceſſi eques ad Conventum Minervæ ad Procuratorem Ordinis, qui ibidem reſidentiam faciebat. Et cum reperiſſem, qualiter circa id proceſſum fuerat, interrogavi Procuratorem, ſi eſſet circa id aliquod aliud remedium, per me poſſibile adhiberi, quia ad totum eram paratus; & quod redire Venetias decenter non poteram, niſi vobis aliquid ſingulariter circa id, vel totaliter factum, repræſentarem. Tunc Procurator dixit mihi, Quod modus eſſet, ut iterum tertio Dominus noſter Papa committeret iſtam cauſam uni Cardinalium. At ego: quis videtur vobis ad hoc magis idoneus? Et Procurator reſpondit: Credo, quod Cardinalis Hoſtienſis eſſet bonus. Tunc ego: ſi ſic eſt, Ego loquar Domino noſtro Papæ ſuper hoc, antequam diſcedam de Curia; & ſum certus, quod faciet iſtud. Et hoc dicto, valefaciens Procuratori, iterum redii ſic eques ad Dominum noſtrum. Et narrans ſibi, qualiter decenter non poteram redire Venetias, niſi reportarem vel impetrationem factam, vel fiendam de propinquo de litera ſupradicta; tunc Dominus Papa cum peteret, quid fiendum, & ego dicerem, bonum fore, quod committeretur dicto Cardinali Hoſtienſi, ipſe tunc mihi promiſit, quod infallibiliter ita fieret, videlicet, quod commiſſio fieret in Cardinalem præfatum. Et ſic poſtea factum eſt, ſecundum quod in litera immediate ſupradicta a Procuratore narratur, quam ego Frater Thomas de Senis recepi modicum prius reditum

dicti Matthæi ad Civitatem Venetiarum. Poſt hæc, die quarta menſis Julii ſcripſi Procuratori Ordinis ſub hiis verbis, videlicet: Ex quo recepi literas veſtras, & etiam antequam plures literas ſcripſi Veſtræ Paternitati, inter quas fuit una, quæ dirigebatur Domino Nicolao Contareno, uno de quatuor Ambaſciatoribus Venetorum, ad Dominum noſtrum per Ducale Dominium transmiſſorum, qui jam eſt diu, quod debuit iſthuc cum ſociis perveniſſe, & cui tradidi Tractatum illorum de Pœnitentia B. Dominici, Veſtræ Paternitati præſentandum cum copia etiam literæ impetrandæ. Et quoniam Veſtræ Paternitati ſcripſi per quatuor vias, & per fidos; idcirco per ſupradictas literas ſcripta, nunc non replicabo per iſtam, ſed præfatis in illis hoc addo, videlicet: Quod, ex quo commiſſio facta eſt Domino Florentino, noveritis, qualiter quidam Florentinus, nomine Gaſpar, hinc volens diſcedere, ut veniat ad Curiam, & exiſtens ſimiliter notus, & affectus tam Domino noſtro Papæ, quam etiam ipſi Domino Florentino, cum id ipſum ſignificaſſet hic cuidam intimo amico ſuo, qui eſt etiam tam Ordini noſtro, quam etiam mihi in Domino Chariſſimus, & de materia informatus, impoſuit ſibi, ut veniendo iſthuc, præſentaret ſe vobis; & prout a vobis haberet, ita proſequeretur & cum Domino noſtro, & cum Domino Florentino: & ita dictus Gaſpar promiſit liberaliter ſe facturum. Et ſic ex una parte habere poteritis iſtum, ex alia illum Jacobum Angeli etiam de Florentia, qui amore Domini Manuelis de Conſtantinopoli, cui immenſe afficitur, totum, quod ſibi foret poſſibile, faceret, & præſertim cum dictus Dominus Manuel eidem ſupra iſta cauſa efficaciter ſcripſerit. Propter quod ipſum Dominum Florentinum cum prædictis poteritis forſan habilius ſollicitare, ac etiam inclinare ad expeditionem intentam. Ordinabitis, autem cum præfatis, quod tantum de materia loquantur, quantum imponetis eisdem, & ſecundum quod judicabitis opportunum. Cœterum concludendo dico, quod ubi contingeret, in feſto B. Dominici nobis innoteſcere de ſupradicta gratia impetrata, profecto redderetur nobis dicti feſti ſolemnitas duplicata in Domino. In quo pariter ad votum valeamus. Amen. Datum Venetiis die qua ſupra &c.

Item

Item recepi unam literam a Fratre Johanne Dominici, (a) tunc in Senis exiſtenti, & ad Curiam accedenti ex parte Communitatis Florentiæ, quamque etiam Priori Veneto pariter mecum dirigebat; in qua inter alia ſic dicebat: Cæterum de negotiis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici non ſui plene ſollicitus; Nam novi, nos talem Summum Pontificem habere ſive Paſtorem, qui ſit omnibus præſentibus ſatis benignus, abſentibus vero tardus ultra modum. Ideo replico, quod alias ſcripſi, videlicet: quod ſi quis veſtrum, rei hujus zelum habens, ipſum adiret, absque labore, quæ petitis, obtineret; aliter tempus amittitur, & literæ perduntur &c. Datum Senis prima die Maii 1405. Quam literam recepimus die ſeptima Julii, ideſt in die Sanctorum ſeptem Fratrum.

Dictas autem literas cum recepiſſemus, eidem Fratri Johanni eodem die reſcripſimus ſub hiis verbis, videlicet: Literas veſtras recepimus die ſeptima Julii, utique cujusdam noſtræ agoniæ refrigerativas, ſed longe amplius refrigerium affuiſſet, ubi huc ante medium præſentis menſis Julii, prout Veſtra Paternitas expectabatur, adveniſſet. Quia tamen poſt Romanum acceſſum huc eſt, Deo dante, venturus; idcirco, pro nunc reliquis dimiſſis, Veſtræ Paternitati ſignificamus, qualiter negotium illius benedictæ literæ impetrandæ pro illis de Pœnitentia B. Dominici eſt commiſſum Domino Cardinali Hoſtienſi de Florentia etiam ante Dominicam Aſcenſionem: propter quod ego Frater Thomas direxi Procuratori Ordinis plures literas, ac etiam ordinavi cum D. Nicolao Contareno (b) qui eſt unus de quatuor Ambaſciatoribus Venetis ad Domi-

(a) Bartholomæa Riccobona, Sanctimonialis Veneta in Monaſterio ſub titulo *Corporis Domini*, in Hiſtoria ms. ejusdem ſacri loci, plura narrat, quæ geſta illuſtrant *Joannis Dominici*. Ex ejus narratione colligitur, *Joannem*, qui pridem Venetiis exul abire juſſus fuerat, anno 1405. in hanc urbem remigraſſe. Ex ejusdem *Joannis* epiſtola, quæ hoc loco deſcribitur, innoteſcit, *Senis* degiſſe ipſum *die prima Maii*. Romam ſcilicet, Florentinorum Orator proficiſcebatur. Eodem anno cadente Venetias adventavit, ut infra Thomas narrat. Conſule Operis hujus Tom. I. ad Monaſterium Corporis Domini.

(b) *Nicolaum Contarenum*, electum oratorem ad Innocentium VII. cum *Philippo Corrario*, *Nicolao Mudaccio & Roberto Mauroceno*, ſcribit Marinus Sanutus in Vitis Ducum Venetiarum apud Muratorium in Collect. Scriptor. Ital. Tom. XXII. col. 819.

num noſtrum, quod ſecum portaret Tractatum, in quo continentur informationes Status prædictorum de Pœnitentia B. Dominici cum copia literæ impetrandæ; & quod dictus Dominus Nicolaus offerret etiam ſe dicto Procuratori ad loquendum, ſive Papæ, ſive Cardinali, prout opportunum Procurator ipſe judicaret. Et etiam poſtea pluries ſibi ſcripſi; & nullum reſponſum accepimus, niſi quod de die in diem expectamus id fore obtentum illud benedictum Apoſtolicum Fiat. Unde in caſu, quod, perveniendo ad Curiam, inveniretis negotium præfatum nondum obtentum, placeat eſſe cum Procuratore, & manus cum ipſo porrigere adjutrices, & taliter, Domino cooperante, ut huc, prout expectavi, in veniendo ſitis portitor literæ prælibatæ; vel ſaltem Ambaſciatores Veneti huc de Curia redituri, ubi acceſſus veſter ad nos contingeret quantumlibet impediri, totum diſponente Deo, in quo ad votum pariter valeamus. Amen. De acceſſu vero alicujus noſtrum perſonaliter ad Curiam pro iſto tempore ullatenus facultas adeſt, & ex alia parte negotium videtur eſſe in talibus terminis, ut etiam Procurator prætendit, quod, Deo dante, absque alicujus noſtrum perſonali præſentia optatum habebit effectum. Datum Venetiis die, quo ſupra. Per veſtros in Domino Fratres, Priorem Venetum, & Thomam de Senis, qui ſe veſtris orationibus, præſertim inter Sanctuaria Urbis factis cum Confratribus cæteris Ordinis Prædicatorum, humiliter recommendant. Si in feſto B. Dominici, vel in octavis hic haberetur litera ſupradicta, eſſet ad dicti feſti cumulum non parvum; vel quod ſaltem dicto tempore ob reverentiam B. Dominici ſupradictum Fiat Apoſtolicum eſſet obtentum. Poſtquam autem hæc ſcripſeram, noveritis, qualiter recepi unam literam Procuratoris cum una Magiſtri Ordinis, quam fideliter ſibi transmittam. Et eſt facta vigeſimaprima Junii; & dicit inter alia, quomodo Dominus Florentinus debet facere favorabilem relationem Domino Papæ ſuper materia literæ ſupradictæ; quare &c. Unde occurratis pro viribus, ſi cum perveneritis ad Curiam, videbitur opportunum. Iterum Vale.

Conſequenter vero dicto menſe Junii recepi ego Frater Thomas a Procuratore Ordinis duas literas ejuſdem tenoris &c.

Re-

Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Literam, præſentibus adjunctam, Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis noſtri faciatis deſtinari; & ſi duplicata pervenerit ad manus veſtras, per diverſas vias mittatis. Credo autem, quod Dominus Cardinalis Florentinus infra iſtam ſeptimanam faciet relationem de facto veſtro, & credo favorabilem. Precamur, quod Dominus noſter velit expedire; & jam feciſſet, niſi præveniſſet iſta creatio Cardinalium. Alia non ſcribo ad præſens. Vale in Domino. Datum Romæ vigeſima prima die menſis Junii 1405. quæ fuit dies quartadecima prius Pentecoſtes, & poſt creationem Cardinalium (*a*): qui Cardinales fuerunt, ſupradictus Dominus Patriarcha Conſtantinopolitanus | Camerarius Papæ | Archiepiſcopus Burdegalenſis | Archiepiſcopus Mediolanenſis | Archiepiſcopus Neapolitanus de Urſinis | Archiepiſcopus Ravennas Nepos Papæ | Epiſcopus Æſculanus | Odo de Columna | Prothonotarius de Annibaldis de Roma | Archiepiſcopus Tudertinus, Romanus | & Dominus Johannes Exidii, Præpoſitus Leodicenſis |.

Item conſequenter præmiſſis omnibus ſupradictis, contigit, me recipere eodem menſe Julii verſus feſtum B. Dominici a Procuratore Ordinis unam literam, in qua continebatur de Apoſtolico Fiat obtento juxta votum: cujus tenor talis eſt, videlicet:

Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Iſto die recepi unam literam veſtram, ſcriptam Venetiis die Pentecoſtes, & [illegible] die [illegible]

(*a*) *Datum Romæ vigeſima prima die menſis Junii 1405. quæ fuit dies quartadecima prius* (poſt) *Pentecoſtem*, *& poſt creationem Cardinalium*. Superius adnotavimus, creationem Cardinalium ab Innocentio Papa factam ad diem VII. Junii in *Feſto Pentecoſtes* aſſignari a Thoma Senenſi. Eadem res hoc loco luculentiſſime confirmatur: cum literæ a Procuratore Ordinis *datæ die* 21. *Junii*, datæ dicuntur *die quartadecima poſt creationem Cardinalium*. Numerat eos Auctor, Angelum Corrarium, *Patriarcham Conſtantinopolitanum*: Conradum Carraciolum, *Camerarium Papæ*: Franciſcum *Archiepiſcopum Burdegalenſem*: Petrum Philargum, *Archiepiſcopum Mediolanenſem*: Jordanum Urſinum *Archiepiſcopum Neapolitanum*: Joannem Melioratum *Archiepiſcopum Ravennatenſem*: Antonium Archionium, *Epiſcopum Aſculanum*: Odonem *de Columna*: Petrum Stephaneſcum, de Annibaldis: Antonium de Calvis, *Epiſcopum*, (non *Archiepiſcopum*) *Tudertinum*: Joannem Hegidii, *Præpoſitum Leodicenſem*, ſeu Leodienſem. Undecim hoc loco numerantur Cardinales: quem numerum cæteri habent Scriptores; ex quo patet errorem irrepſiſſe in ea verba, quæ ſuperius exſcripſimus.

die ſeptima Junii, cum una Reverendi Provincialis Provinciæ S. Dominici. Et ſciatis, quod heſterno die (*a*) Dominus noſter Papa ad propitiam relationem Domini Cardinalis Florentini approbavit Statuta illorum de Pœnitentia B. Dominici, diu deſiderata. Item quod jam bene dicere poteſtis: feſta, feſta, feſta, e feſta più che feſta, e queſta è quella feſta, che è ſopra ogni altra feſta &c. Et jam ordinavi de expeditione literarum, quas ſpero habere totaliter completas ante octo dies, quas mecum Florentiam portabo, ut copiam faciam Conventibus intermediis, & inde vobis Venetias transmittam. Et ſpero hinc recedere cum prima Societate occurrente, literis expeditis. Et quia, prout alias ſcripſi, literam cambii de quinquaginta ducatis, quam miſiſtis, portavit ſecum Matthæus de Magnanis; ideo dedi ordinem, ut pecuniam neceſſariam pro hujusmodi expeditione acquiram ſub mutuo. Sed Provincialis S. Dominici mihi ſcribit, quod ordinaſtis, ut illi quinquaginta ducati conſignentur mihi; quod adhuc non inveſtigavi apud bancum de Medicis. Si erit verum, eos recipiam, & de ipſis, & de aliis decem, quos habui a diu pro iſto negotio, vobis fidelem computum aſſignabo. Si autem eos habere non poſſem, ordinabo ſolvere de dicta pecunia amici mei; & vos iterum diſponatis, quod, quando vobis Bullam deſtinabo, pecunia reſtituatur eidem; & poſt complectionem literarum vobis computum aſſignabo de iſto loco, vobis nihilominus eumdem computum de Florentia transmiſſurus. Vos autem mihi Romæ de cætero non ſcribatis, ſed Florentiam, mittentes literas ad bancum Chriſtophori, & Matthæi de Ricciis, mihi ſervandas, vel conſignandas, dum venero. Alia non ſcribo ad præſens. Vale in Domino, ut optat &c. Datum Romæ die vigeſima ſeptima Junii 1405. Veſter Frater Ubertinus de Albizis, Procurator Ordinis.

Eſt

(*a*) Datæ literæ ſunt ab Ordinis Procuratore in Romana Curia *die 27. Junii*. Igitur quæ in literis *heſterna dies* vocatur, intelligitur *dies 26.* ejusdem menſis, qua Innocentius VII. *approbavit ſtatuta illorum de Pœnitentia Beati Dominici*. In literis, quæ poſtea recenſentur, *die 29.* datis, hæc habentur diſertiſſima: *Scripſi vobis iſtis diebus, quod die* XXVI. *præſentis Menſis per Dei gratiam confirmatus fuit Ordo Fratrum & Sororum de Pœnitentia Beati Dominici*.

Eſt verum, quod circa principium ſupradicti menſis Junii Provincialis S. Dominici, & ego ſcripſimus Procuratori, adviſando pariter, & ſollicitando ipſum circa impetrationem ſupradictæ literæ jam impetratæ; quarum tamen literarum tenores, quemadmodum, & multarum aliarum, in hoc opere non ſunt inſerti, tum gratia brevitatis, tum quia non magnæ neceſſitatis, & tum ratione carentiæ.

Conſequenter autem recepi circa finem menſis Julii, ſive principium Auguſti unam aliam literam a dicto Procuratore Ordinis, in qua confirmat, quod ſupra in littera immediate præcedenti ſcripſerat circa impetrationem literæ intentæ, cujus tenor talis eſt, videlicet:

Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Scripſi vobis iſtis diebus, quod die vigeſima ſexta præſentis menſis per Dei gratiam confirmatus fuit Ordo Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, & facio Bullas expediri, & credo habere infra iſtam ſeptimanam. Pecuniam autem, quam miſiſtis dandam Matthæo Magnani pro dicta cauſa, habere non potui; ſed inveni amicum, qui mihi conceſſit animo rehabendi. Et ideo delibero, hinc recedere immediate, Bullis perfectis, & portabo Florentiam, & inde vobis mittam. Vos autem ordinetis, quod in receptione Bullæ pecunia expoſita perſolvatur, & de cætero mihi Romam non ſcribatis, ſed Florentiam, & faciatis, literam conſignari ad bancum Chriſtofori, & Matthæi de Ricciis, mihi tradendam, vel conſervandam, quouſque ſum ibi. Et tunc mihi ſcribatis, per quem vultis Bullam vobis tranſmitti; & ita fiet. Scribo iterum Magiſtro Ordinis. Vale. Scriptum Romæ die vigeſimanona Junii 1405. Veſter Frater Ubertinus, qui ſupra.

Item conſequenter infra octavas B. Dominici recepi a Procuratore Ordinis unam literam, ſcriptam Florentiæ cum Bulla publica, & Apoſtolica, juxta intentum, tam a diu optatum, plenariæ videlicet approbationis, & confirmationis Ordinis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Beati Dominici, & cum una ſcriptura computi expenſarum pro expeditione dictæ Bullæ per ipſum factam. Tenor autem dictæ literæ talis eſt:

Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Receſſi de Roma die vigeſima prima præſentis menſis Julii, & perveni Floren-

rentiam ſanus, & incolumis die vigeſima nona ejusdem. Qua die ibi recepi unam literam Veſtram, & ſequenti die aliam ſcriptam Venetiis die vigeſima ſecunda. Et noveritis, quod Bullam confirmationis &c. mecum portavi, & vobis ipſam cum præſentibus mitto per bancum Chriſtophori, & Matthæi de Ricciis, pro qua debetis ſolvere ultra decem ducatos, quos habui a vobis, jam eſt annus cum dimidio, florenos de camera ſeptuaginta, & unum bol. trigintaquatuor, denarios quinque: Qui floreni de camera juxta computationem mercatoris, qui eos præſtitit, valent de florenis noſtris de Florentia florenos ſeptuaginta ſex, ſolidos quatuordecim, denarios ſex ad aurum, qui faciunt quaſi tres quartas alterius floreni. Iſtam ergo pecuniam, debetis mihi mittere Florentiæ, conſignandam Chriſtophoro, & Matthæo de Ricciis per me, ut ex ipſa poſſit ſatisfieri creditori. Mitto autem vobis cum dicta Bulla computum, & rationem omnium expenſarum, in iſta cauſa factarum, ut poſſitis ſingula diſtincte comprehendere, & ſitis certus, quod, ſi alius habuiſſet facere, conſtaſſet vobis centum, & quinquaginta ducatos, & forte plus. Rogo iterum, ut non deficiat, quin dictam pecuniam ſtatim mihi mittatis. Item ſciatis, quod nullam Bullam extraxi, niſi unam, quam vobis mitto. Quælibet autem ulterior Bulla conſtabit circa viginti florenos de Camera. Et ideo, ſi vultis aliquas habere ulteriores, ordinetis, quod habeam pecuniam; & faciam expediri. Nec videtur mihi, quod per manus alterius ulteriores aliæ expediantur, & habeo etiam modum ad providendum uni, vel duobus ducatis pro qualibet. Item non videtur mihi, quod in aliquo Conventu iſta Bulla inſinuetur, quousque Provincia illius Conventus habeat ad minus duas Bullas propter majorem negotii firmitatem. Item in iſta Bulla non continentur particulariter, quæ mihi miſiſtis in veſtra minuta, propter faciliorem expeditionem in Cancellaria; quia oportuiſſet, me ſingula clare, & diſtincte probare; & probationes non habebam tales, quales ibidem requirebantur, videlicet: quod B. Dominicus illum Ordinem inſtituit, ſicut quod mutaverunt nomen de Militia Jeſu Chriſti in nomen Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, & alia quædam, quæ omnia me clare probare oportuiſſet per publica inſtrumenta, quibus carebam. Alia non ſcribo ad præ-
ſens,

ſens, niſi quia audivi, quod Frater Bonjohannes, ſocius Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis, dicitur Romam venire, cui, cum ad vos venerit, dicatis, quod faciat iter per Florentiam. Valete in Domino, ut optat &c. Datum Florentiæ die ultima Menſis Julii 1405. Veſter Frater Ubertinus &c. Solvetis pro portatura Bullæ mercatori, qui vobis eam portabit, quartam partem unius ducati. Valete.

Tenor vero literæ computationis expenſarum, ſcribendo in latino, licet dicta litera miſſa fuerit in vulgari, ut poſſet oſtendi ſecularibus, qui ſe de talibus melius ſe intelligunt, quam Fratres, talis eſt, videlicet:

Frater Thomas de Senis tenetur dare pro expenſis ſupradictæ confirmationis. Et primo incipiendo a die vigeſimatertia Decembris 1403. pro confectione ſupplicationis, porrectæ Papæ Bonifacio IX. pro qua habuit Magiſter Theodorighus Fabri. Flo. I.

Item die vigeſimaquarta dicti menſis uni, qui fecit multas Scripturas, & copias Regulæ, & ſupplicationis neceſſarias. Flo. I.

Item die quinta Januarii immediate ſequentis in uno enſenio commeſtibilium, facto Cardinali de Brancaciis, qui dedit ſupplicationem Papæ, & propter alios labores futuros promptiori. Flo. II.

Item conſequenter pro quodam amico Prioris Veneti veſtri, utpote pro expeditione cujuſdam facti ſui. bol. XII. den. IV.

Item die trigeſimaprima Martii 1405. expendi in Florentia per manus Fratris Johannis Sagini, ut faceret inſinuari Privilegium Sororum de Pœnitentia B. Dominici Papæ Johannis XXII. libras quatuor, ſol. tredecim, denarios quatuor. Et in Roma ſolvi pro portatura dicti inſinuati bol. octo; quod totum de moneta Romana reſultat. Flo. I. bol. XVI. den. V.

Item die vigeſimaſeptima Junii in regiſtro ſupplicationis Scriptori, ut eſſet expeditus, & ſupplicatio veniret ad manus meas, & non alterius. bol. V.

Item die dicta in uno enſenio, facto Cardinali Florentino de confectionibus, pullis, & vino, & aliis rebus, pro relatione, per ipſum facta Papæ, & labore examinationis. Flo. VI.

Item die dicta in uno alio enſenio, per me facto Archiepiſcopo Tarantino, Auditori dicti Cardinalis, per cujus manus tranſivit tota materia cauſæ. Flo. III.

Item die eadem donavi Domino Venantio de Fulgineo, Secretario dicti Cardinalis, propter plures Scripturas, quas fecit pro ſupradicta cauſa. Flo. I.

Item die eadem pro una collatione pro aliquibus, qui fuerunt mecum ad laborandum. bol. (a) VIII. den. VIII.

Item die ſeptima Julii pro charta, in qua debuit ſcribi, & ſcripta eſt Bulla. bol. XII.

Item nona die dedi Camerario dicti Cardinalis, pro habendo ſigillo, ut poſſet probari, qualiter Statuta, quæ erant in Bulla ſcripta, erant illa eadem, quæ examinata erant per Cardinalem. Flo. I. bol. X.

Item die decima pro taſſa Bullæ pro ſcriptore groſſe. Flo. XII.

Item die eadem pro abbreviatore ad illammet ratione taſſæ. Flo. XII.

Item die dicta dedi D. Bartholamæo Dominici, ut ordinaret, quod Bulla non eſſet taxata ultra ducatos duodecim, ex eo quod volebant, quod taxaretur viginti, vel vigintiquinque, vel triginta. Flo. II.

Item die duodecima dedi Domino Blaſio, Advocato Conſiſtorii, quia de novo fuit ſibi commiſſa examinatio Regulæ a Vice-Cancellario, pro ſuo ſalario. Flo. II.

Item die tertiadecima dedi pro charta, ex eo quod Bulla habuit reſcribi de novo. bol. XII.

Item die quartadecima dedi Scriptori, qui eam reſcripſit, pro ſuo labore. Flo. II.

Item die quintadecima dedi Vice-Cancellario pro expeditione dictæ Bullæ per manus ſupradicti Domini Bartholamæi. Flo. II.

Item die dicta, ut rehaberem bullam primo ſcriptam, pro ipſa ſervanda propter caſus, qui poſſunt accidere, dedi bol. X.

Item die dicta ſolvi in prima Bulla propter taſſam Florenos duodecim, & pro quolibet Floreno unum groſſum, quod reſultat in totum Flo. XIII. bol. X.

Item

(a) *Bol.* Fortaſſe *Bolognini*, quæ ſpecies erat Bononienſis Monetæ.

Item die dicta ſolvi in regiſtro ſecundum taſſam. Flo. XII.

Item die dicta dedi familiari Vice-cancellarii, qui venit ad Bullam, pro ſua parte, ut ſic eſſemus cito expediti. bol. X.

Item die quintadecima dedi illi, qui eſt ſupra Bullam, quia portavit Bullam ad domum Domini Barontii, ut expediretur, viginti bol. & pro una menſura vini duos bol. & ſunt. bol. XXII.

Item die ſextadecima dedi illi, qui regiſtravit Bullam, pro ſuo labore, & ut citius expediremus. bol. XXX.

Item die eadem dedi illi, qui ſollicitavit Bullam, pro ſuo labore. Flo. II.

Item die decimaſeptima feci unam collationem Capellanis, & familiaribus dicti Domini Cardinalis Florentini. bol. XXV.

Summa totius . Flor. LXXVIII. bol. XXXIV. den. V.

Dedit ſupradictus Frater Thomas de dicta Summa in Roma per medium Johannis de Medicis, & Sociis. Flo. X.

Teneor ab eodem Fratre Thoma recipere pro amico, qui præſtitit mihi florenos de Camera LXVIII. bol. XXXIIII. den. V. Et plus, quia vellem, quod aliquid donaretur cuidam Fratri Angelo Socio meo, qui me ſociavit continue cum magno labore, utpote duo ducati pro uno ſcapulari; & pro famulo noſtro, qui portavit magnum laborem, unum ducatum pro uno par caligarum: & hoc ubi placeat. Et ita debeo recipere Florenos Cameræ LXXI. bol. XXXIV. den. V. quod reſultat ad florenos Florentinos, ſeu de Florentia recepi ſub mutuo, quemadmodum tunc Romæ valebant, quando illos ad ſeptem pro centenario Flor. LXXVI. ſol. XIIII. & den. VI. ad aurum. Et ſic ſunt Flor. LXXVI. & tres quaſi quarti unius; & ita promiſi Florentiæ reſtituere.

Ex quibus omnibus computationibus inter alia apparet, quare Procurator Ordinis procuraverit duas Bullas, de quibus pro ſe retinuit unam, ſcilicet primam, & mihi ſecundam tranſmiſit, & quod etiam fecit copiare Bullam in Regiſtro Cancellariæ Domini noſtri Papæ.

Item de ſupradicta pecunia ob devotionem B. Catharinæ de Senis, Sororis hujus Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, cujus Beatæ occaſione, ſive intuitu, atque interventu, ac etiam Patris noſtri B. Dominici præfati dicta confirmatio fuit prin-

 cipa-

cipaliter poſtulata, & impetrata, ſolvit quidam Nicolaus de Guidicionibus de Lucca Flor. XXII.

Item quædam Domina Jacoba de Verona, cujus filia vitæ ſanctæ ob devotionem dictæ B. Catharinæ recepit habitum hujus Ordinis de Pœnitentia B. Dominici ſolvit XL. ducatos, qui fuerunt de dotibus dictæ ſuæ filiæ, quæ tunc tranſierat ad Dominum, & quamplura legaverat, ob reverentiam dictæ Virginis Sanctæ facienda.

Item quidam Dominus Antonius Superantio, Frater, & Prior illorum de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis, ſolvit decem ducatos.

Ad reliquam autem pecuniam ſolvendam concurrerunt aliæ perſonæ dicti Ordinis de Pœnitentia B. Dominici. Et ſic ſoluta fuit dicta pecunia, ſive, cui debebatur, reſtituta, & data in Venetiis uni mercatori de Florentia, ad hoc ordinato, cujus etiam fuit ordinare, quod daretur Florentiæ, ſecundum quod ſupradictus Procurator Ordinis ſcripſerat, & ordinaverat.

Tenor autem ſupradictæ Bullæ plenariæ Confirmationis Ordinis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, tam a diu optatæ, & impetratæ, talis eſt, videlicet:

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apoſtolicæ providentia circumſpecta &c. Datum Romæ apud S. Petrum Sexto Kalendas Julii. Pontificatus noſtri Anno primo. (*a*)

Item, cum intimaſſem conſequenter de menſe Julii Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis de impetratione Bullæ ſupradictæ, recepi literas, per ipſum ſcriptas in Norimberga Provinciæ Theutoniæ, die quarta Auguſti 1405, in quibus inter alia ſic: Chariſſime Frater Thoma &c. & ſequitur: de Confirmatione Regulæ de Pœnitentia B. Dominici cordialiter in Domino exultavi, recognoſcens, in hoc vos Ordini ſingulariter profeciſſe, atque memoriale, vobis honorificum, & futurum in exemplum perpetuum, cauſaſſe; pro qua re vobis eo cordialius, efficacius, ac plenius in futurum inten-

do

(*a*) Innocentii VII. conſtitutio habetur Tom. II. Bullarii Ordinis Prædic. pag. 473. Data eſt die 26. Junii anno 1405. Indictio XIV. cum Menſe Majo conjuncta, qua Michaelis Steno Ducis Venetiarum litteræ conſignantur, datas eaſdem indicat, & evincit anno inſequente 1406.

do in omnibus complacere, in quibus me confidentiſſime requiratis &c.

Item recepta præfata Confirmationis Bulla, acceſſi circa principium menſis Septembris ad Dominum Franciſcum Epiſcopum Caſtellanum de Venetiis, & in ejus Curia petii inſinuationem authenticam dictæ Bullæ; & ita obtinui, cum ſubſcriptione trium notariorum, procurando etiam a Dominio Venetiarum teſtimonium publicum, & authenticum tam dictæ Bullæ, quam etiam præfatorum trium Notariorum, ſecundum quod hic ſequitur, videlicet:

In Dei nomine Amen. Franciſcus Bembo, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Caſtellanus, præſenti ſcripto publico notum facimus univerſis. Quod conſtitutus coram nobis in noſtra publica audientia Caſtellana Civitatis Venetiarum Venerabilis Vir Frater Thomas de Senis, Ordinis Prædicatorum, Literas Sanctiſſimi Patris, & Domini noſtri, Domini Innocentii, divina Providentia Papæ VII. cum vera Bulla plumbea, ad filum ſericum rubei, & crocei coloris pendente, ipſius Domini Papæ bullatas, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas: ab una quidem parte ipſius Bullæ erat circulus cum multis punctis minutis, infra quem erant ſculpta duo capita ad imaginem, & ſimilitudinem capitum Beatorum Petri, & Pauli, crucem intermediam habentia, ſuper quæ capita erant heæ literæ S. pa. S. pe. Ab alia vero parte erat alius ſimilis circulus, infra quem erant heæ literæ: Innocentius Papa VII. In noſtra præſentia oſtendit, exhibuit, & præſentavit. Quas quidem literas idem Frater Thomas tranſcribi petiit, & redigi in publicam formam auctoritate noſtra ordinaria, & Decreto, ne ipſarum copia caſu fortuito amittatur, & ut hinc inde a diverſis, & quampluribus habilius habeatur. Nos itaque viſis, & diligenter inſpectis eisdem literis, & ipſis veris, & abſque ſuſpicione aliqua firmiter reputatis, ejuſdem Fratris Thomæ petitioni, utpote rationabili, annuentes, præfatas literas tranſcribi, & per Notarium noſtrum infraſcriptum, & Curiæ noſtræ Scribam publicari mandavimus. Volentes, & tenore præſentium decernentes, quod tranſcripto hujuſmodi deinceps in omnibus, & per omnia, ſicut originalibus literis antedictis, plena fides adhibeatur, ipſumque tranſcriptum fidem faciat ubilibet, prout fue-

fuerit opportunum. Tenor autem ipſarum prædictarum literarum Apoſtolicarum talis eſt: Innocentius &c. ut ſupra.

In Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis ejuſdem Milleſimo, quadringenteſimo quinto, Indictione tertiadecima, menſis Septembris die quarta. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Domini Innocentii Papæ VII. Anno primo. Hoc exemplum, ſive tranſumptum ex publicis, authenticis, & originalibus literis Apoſtolicis, coram Reverendo in Chriſto Patre, & Domino Domino Franciſco Bembo, eadem gratia Epiſcopo Caſtellano ſupradicto, inſinuatum fuit, & in ejus præſentia per me Luchinum Bono Scr. & Petrum de Comitibus, ac Scr. & Maphæum, Notarios publicos infraſcriptos, diligenter, fideliter, & attente una cum authenticis, & publicis literis Apoſtolicis, ad inſtantiam ſupradicti Venerabilis, & Religioſi Viri, Domini Fratris Thomæ de Senis Conventus Prædicatorum Sanctorum Johannis, & Pauli de Venetiis, Caſtellanæ Diœceſis auſcultatum. Et quia idem Dominus Epiſcopus Caſtellanus præſens Exemplum, ſive tranſumptum cum prædictis publicis authenticis, & originalibus literis Apoſtolicis per omnia concordare cognovit, & ut, quemadmodum ſuperius dictum eſt, exemplo, ſive tranſumpto hujusmodi, velut ipſis publicis authenticis, & originalibus literis Apoſtolicis, detur, & adhibeatur ubilibet plena fides, ipſumque exemplum, ſive tranſumptum, plene correctum juxta tenorem Literarum Apoſtolicarum, fidem faciat omnibus, & ſingulis, pro ut fuerit opportunum, ſuam, & dicti Epiſcopatus, & ordinariæ jurisdictionis auctoritatem interpoſuit pariter, & Decretum. In quorum omnium, & ſingulorum teſtimonium præmiſſorum, & certitudinem pleniorem præſens exemplum, ſive tranſumptum ex ipſis Apoſtolicis literis in forma publici Inſtrumenti per me Luchinum Bono Notarium ſuum infraſcriptum, & Scribam publicari mandavit, nec non prædictorum, & infraſcriptorum Notariorum publicorum ſubſcriptione præcepit roborari, ſuique ſigilli Pontificalis juſſit appenſione muniri. Actum Venetiis in Epiſcopatu Caſtellano, præſentibus famoſo Decretorum Doctore, Domino Monte de Campto, Vicario prælibati Domini Epiſcopi Caſtellani Generali; Venerabili viro Domino Baſilio Darvaſio, Plebano plebis Eccleſiæ S. Trinitatis de Venetiis, & Au-

& Aulæ inclyti Venetiarum Ducis Cancellario, Venerabilibus Viris Dominis Presbyteris, Nicola de Trano, Cantore Eccleſiæ S. Marci de Venetiis; Presbytero Catharino Freſco Eccleſiæ S. Mariæ de Venetiis; & Domino Jacobo de Lege, Capellano Eccleſiæ S. Marci, & aliis pluribus teſtibus præſentibus, & rogatis.

Ego Maphæus Bartholamei, publicus Imperiali auctoritate Notarius, & Dominii Venetiarum Cancellarius, prædictum tranſcriptum, ex dictis Bullis Apoſtolicis exemplatum, coram præfato Domino Epiſcopo una cum infraſcriptis ſ. Petro, & ſ. Luchino, Notariis publicis cum dictis originalibus fideliter auſcultavi. Et quia tranſumptum, & exemplatum cum dictis originalibus reperi per omnia concordare, de mandato præfati Domini Epiſcopi me ſubſcripſi; & ſignum meum appoſui conſuetum in teſtimonium præmiſſorum prædictis Anno, Menſe, Die, & Indictione.

Ego Petrus de Comitibus, Imperiali auctoritate Notarius, nec non ſcriba Curiæ Caſtellanæ memoratæ, prædictum tranſumptum, ex dictis Bullis Apoſtolicis exemplatum, coram præfato Domino Epiſcopo una cum præmiſſo ſ. Maphæo, & infraſcripto ſ. Luchino, Notariis publicis, cum dictis originalibus fideliter auſcultavi. Et quia ipſum tranſumptum, & exemplatum cum dictis originalibus reperi per omnia concordare, de mandato præfati Domini Epiſcopi me ſubſcripſi, & ſignum meum appoſui conſuetum, in teſtimonium præmiſſorum prædictis Anno, Menſe, Die, & Indictione.

Ego Luchinus Bono filius q. ſ. Marci Civis, & habitator Venetiarum, Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius publicus, & nunc prælibati Domini Epiſcopi Caſtellani, & ejus Curiæ Caſtellanæ Officialis, & Scriba, prædictarum Literarum Apoſtolicarum exhibitioni, oſtenſioni, & præſentationi, ac petitioni ſupradicti Fratris Thomæ, nec non Auctoritatis & Decreti interpoſitioni, & omnibus aliis, & ſingulis per dictum Dominum Epiſcopum Caſtellanum pro Tribunali ſedentem factis, & habitis, una cum prædictis Teſtibus, & Notariis ſupraſcriptis, præſens fui interfui, & prædicta omnia, & ſingula de mandato dicti Domini Epiſcopi Caſtellani, ac rogatu ſupradicti Domini Fratris Thomæ, aliis plurimis occupatus, per alium ſcribi feci, & diligenter corrigi, & in præ-

ſen-

ſentia dictorum teſtium, & Notariorum ſupradictorum publicavi. Et facta diligenti collatione, & auſcultatione una cum ſupradictis Notariis de præſenti tranſumpto ad ipſas authenticas, publicas, & originales Literas, & quia ipſum tranſumptum cum prædictis literis authenticis Apoſtolicis concordare inveni, ea omnia, & ſingula ſupraſcripta publicavi, ſignoque meo, & nomine ſolitis me ſubſcripſi, & roboravi in fidem, & teſtimonium præmiſſorum omnium, & ſingulorum.

Michael Steno Dei gratia Dux Venetiarum &c. Univerſis, & ſingulis tam amicis, quam fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum. Significamus vobis, quod Luchinus Beno, Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius publicus, & Reverendi in Chriſto Patris, Domini Epiſcopi Caſtellani, & ipſius Curiæ Officialis, & ſcriba, qui in Milleſimo, quadringenteſimo quinto, Indictione tertiadecima, menſis Septembris, die quarto, ad inſtantiam Venerabilis, & Religioſi Viri, Domini Fratris Thomæ de Senis Ordinis Prædicatorum quodam exemplum, & tranſumptum ex publicis, authenticis, & originalibus Literis Apoſtolicis coram præfato Domino Epiſcopo Caſtellano inſinuatum publicavit: per quod ex petitione porrecta pro parte dilectorum filiorum Fratrum, & dilectarum in Chriſto filiarum Sororum Ordinis Prædicatorum, qui, & quæ de Pœnitentia S. Dominici nuncupantur, Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Dominus Innocentius, divina Providentia Papa VII. Anno primo Pontificatus ſui, commiſſa ſolemni examinatione dictæ petitionis Reverendo in Chriſto Patri, Domino Angelo, divina Providentia Epiſcopo Hoſtienſi, ut poſtea plenarie informatus, ea, quæ per illam reperiret, ſibi referre curaret, ac relatione plenaria, & fideli dicti Reverendi in Chriſto Patris, Domini Angeli Epiſcopi Hoſtienſis dicta examinatione audita, & intellecta, licet Ordo, & Fratres, & Sorores hujuſmodi variis per Sedem Apoſtolicam ſint privilegiis communiti; tamen pro ſolidiori eorum ſubſiſtentia, ut, Clementia Altiſſimi operante, de virtute in virtutem gradientes, devotiorem reddere valeant Domino famulatum, Regulam ſive vivendi formam per ſingula Capitula clare, & diſtincte, ac de verbo ad verbum auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmavit &c. ut in dicto tranſumpto ex præfatis Lite-

ris

ris Apoſtolicis, ſcripto, & exemplato latius, diſtinctius continetur. Et quod Maphæus Bartholamæi, publicus Imperiali auctoritate Notarius, & noſtræ Cancellariæ Venetiarum Scriba, & Petrus de Comitibus Imperiali auctoritate Notarius publicus, nec non Scriba Curiæ Caſtellanæ memoratæ, qui ſe in dicto exemplo, & tranſumpto ſubſcripſerunt, ſunt Notarii bonæ opinionis & famæ, quorum inſtrumentis, & ſcripturis adhibetur fidei plenitudo. Data in noſtro Ducali Palatio die vigeſimaquinta menſis Maii, Indictione quartadecima.

Item conſequenter circa finem menſis Septembris recepi a ſupradicto Procuratore Ordinis unam literam, intimantem, qualiter pecuniam receperat ſupradictam. Cujus tenor talis eſt, videlicet:

Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Recepi per bancum Chriſtophori, & Matthæi de Ricciis pecuniam, quam mihi miſiſtis pro Confirmatione Regulæ &c. Sed miror, quod pro tunc nihil mihi ſcripſiſtis, quaſi non fuerit vobis bene ſatisfactum, vel quod non placuit vobis aliquid in Bulla contentum, aut quia fuit ibi aliquid diminutum. Super quo debetis mihi clare reſcribere, & literas mittere ad Curiam per bancum ſupradictorum. Intendo enim infra octo dies hinc diſcedere, & verſus eamdem iter arripere, Domino concedente. Alia non ſcribo ad præſens. Valete in Domino, ut optat &c. Datum Florentiæ, die quintadecima menſis Septembris 1405. Veſter Frater Ubertinus &c.

Inter hæc, antequam reciperem literam prædictam, utpote de menſe Auguſti, Dominus Nicolaus Contareno, unus de quatuor Ambaſciatoribus Venetis ad Innocentium ſupradictum, de quo Domino Nicolao pluries ſupra facta eſt mentio, & cui dederam Tractatum, pertinentem ad Statum illorum de Pœnitentia B. Dominici, & aliqua memorialia præſentanda dicto Domino Papæ Innocentio, & dicto Procuratori Ordinis, prout appareret opportunum pro impetratione ſupradictæ Bullæ, rediit cum Sociis Venetiis, utpote cum duobus, quia tertius, ſcilicet Dominus Philippus Corrario remanſit cum germano ſuo ad tempus in Marchia, videlicet cum ſupradicto Domino Angelo, Patriarcha Conſtantinopolitano, Legato Mar-

chiæ, ſed tunc jam Cardinali creato. (*a*) Cum autem rediiſſet dictus Dominus Nicolaus, narravit mihi, qualiter pervenerat ad Curiam in Vigilia S. Johannis Baptiſtæ, die videlicet vigeſimatertia Junii, & antequam loqueretur Papæ, vel Procuratori, reperit quomodo negotium ſupradictæ impetrandæ erat de proximo expedictum, utpote, ut patet ſupra, vigeſimaſexta die dicti menſis; propter quod, peracta Legatione, rediens cum præfatis conſociis, ſecum ſupradictum Tractatum cum memorialibus reportavit. Et volens ex devotione dictum Tractatum apud ſe retinere, illum ſibi gratioſe conceſſi. Debuerat etiam Frater Johannes Dominici, qui tunc erat in curia, per Dominium Florentinum ibidem miſſus, redire cum dictis Ambaſciatoribus, & Venetias venire; & ita feciſſet, niſi quia Papa non permiſit, & ita ibidem remanſit usque ad tempus.

Item conſequenter cum ſcripſiſſem ſupradicto Procuratori Ordinis unam literam, quædam puncta, ſuper quibus deberet mihi reſpondere, continentem; & hoc circa finem ſupradicti Menſis Septembris, cujus tenor hic non ponitur, quia non habetur: Ulterius de Menſe Decembris recepi ab ipſo Procuratore unam aliam literam reſponſalem ad ſupradictam, per me ſibi directam, per quam aliqualiter poteſt comprehendi de tenore literæ præfatæ, per me ſibi transmiſſæ. Literæ autem ſuæ prædictæ tenor talis eſt:

Reverende Pater poſt ſalutem in Chriſto. Sicut ſcripſi vobis pridie per unum Fratrem Teutonicum, recepi, jam eſt menſis, & ultra, unam literam veſtram, ad quam non reſpondi, credens citius vobis mittere infraſcriptas Bullas. Modo reſpondeo vobis ad ſingula, licet alias de Florentia vobis idem ſcripſerim in effectu. Primo dicitur, quod vobis fuiſſet gratiſſimum, quod in Privilegio impetrato apparuiſſet, quod ille Ordo habuiſſet exordium a B. Dominico. Alias vobis ſcripſi, quod, ſi narraviſſemus hoc in ſupplicatione, oportuiſſet, nos hoc probare; alias fuiſſent literæ impeditæ, & oportuiſ-

(*a*) Dum *Legationem Picenam* ageret Angelus Corrarius, Cardinalis electus fuit, eamque aucta poteſtate retinuit jubente Innocentio VII. ut apud Ciaconium legimus.

tuiſſet nos incipere a capite : Nos autem tunc probare non potuiſſemus, niſi per libros noſtros, quales habemus, qui non facerent fidem in Cancellaria. Et dico vobis, quod propter iſtam cauſam Dominus, olim Patriarcha Conſtantinopolitanus, hodie Cardinalis, cui examinatio negotii fuit commiſſa, nunquam voluit facere quoad hoc relationem Papæ; ſive non faceret, quia ſibi hoc non bene authentice, prout talis caſus ſuo judicio requirebat, conſtabat. Et ideo ego amovi de ſupplicatione illam particulam ſimul cum aliquibus aliis, quæ difficultabant negotium. Et ſi velletis dicere, quod in Confirmatione illorum de tertio Ordine S. Franciſci habetur, quod habuerunt exordium ab ipſo; reſpondeo, quod hoc potuit contingere ex una de tribus cauſis, quarum nulla nobis competebat. Et primo, quia forte habebant Scripturas ſuas publicas, & authenticas magis in promptu, quam nunc hic ego. Secundo, quia tempore confirmationis dictæ Regulæ ipſorum negotia erant magis recentia, & magis in memoria hominum, quam modo ſint. Tertio quia Papa, qui illum Ordinem confirmavit, fuit de Ordine Fratrum Minorum, cui non oportuit, quod fierent probationes, quia per ſe ſciebat. Et quarto quia in Cancellaria non erant editæ tot Regulæ, ſicut modo. Et hoc de primo. Ad ſecundum: quando dicitis, quod in Bulla iſti appellantur de Ordine Prædicatorum; Sciatis, quod principaliter hoc occurrit ex errore Vice-cancellarii, qui credidit continue, quod, quia iſti appellantur de Pœnitentia B. Dominici, quod iſti eſſent Fratres noſtri, melius aliis Ordinem ſervantes, ſicut in Venetiis &c. & ideo non permiſit, quod expediretur ſub alio vocabulo. Ego autem non multum curavi propter rationes, quas vos allegatis, videlicet, quia ſtatim ſubjungit: qui quidem Fratres, & Sorores de Pœnitentia B. Dominici nuncupantur, & etiam denotatur magis firma ſubjectio ad Ordinem noſtrum: & quia conſequenter poteſt apparere, ipſos originem habuiſſe a B. Dominico, ſicut & ipſi Fratres Prædicatores. Ad tertium: quando quæritis, an vigore iſtius Privilegii perſonæ iſtius Ordinis abſque licentia Parochianorum ſuorum poſſint recipere a nobis eccleſiaſtica Sacramenta, videlicet: Sacramentum Corporis Chriſti: Reſpondeo, quod non. Et ratio, quam vos contra facitis, videlicet,

de quo minus in eſſe videtur: ergo & de quo magis &c. non valet in materia Privilegiorum. Habent tamen alia privilegia, per quæ poſſunt. Et de Sacramento Pœnitentiæ non eſt dubium: Sed de Sacramento Corporis Chriſti eſt unum Privilegium, inter alia Bonifacii IX. habitum per Magiſtrum Ordinis, cujus copiam potero vobis mittere, ſi voletis, cum habuero res meas, ſive noſtras de Roma. Ad alia, quæ quæritis de quibusdam verbis contentis in certis privilegiis, quomodo debeant intelligi circa adminiſtrationem Sacramentorum, neſcirem, vos bene informare, niſi viderem verba privilegiorum præcedentia, & ſequentia. Et recolo, me alias conſuluiſſe ſuper materia cum allegationibus juris. Unum tamen debetis advertere ſingulariter, quod in Eccleſia, Ordini non ſubjecta, non debetis vel confeſſiones audire, vel alia Sacramenta miniſtrare contra voluntatem illius, cui talis Eccleſia eſt ſubjecta; quia non credo, quod Ordo habeat tale privilegium; & ſi haberet, non eſſet honeſtum illo uti; & ſi aliquis illo uteretur, & fieret verbum in Curia, poſſet magnum ſcandalum provenire. Circa Indulgentias, quas petitis pro ingredientibus dictum Ordinem, potero tentare poſt expeditionem aliquorum, quæ habeo præ manibus, & vos mihi iterum reſcribetis: ſed de Indulgentia plenaria non cogitetis. Habebitis autem cito vobiſcum Cardinalem Mediolanenſem pro Legato, a quo poteritis aliquas indulgentias poſtulare. Item mitto vobis aliquas Bullas, præſentibus alligatas, ſimul cum literis, directis Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, & Fratri Bon-Johanni, Socio ſuo, quas in ea forma, qua mitto, debetis Fratri Bon-Johanni conſignare, ſi non receſſit a vobis. Si autem a vobis receſſiſſet, ſervetis eas, & per multiplicatas literas intimabitis Magiſtro Ordinis, quod apud vos ſunt, ut exinde faciatis illud quod vobis ſcribet; & poteritis dictas Bullas desligare, & literas miſſivas eidem, & Socio ſuo directas, ſibi fideliter transmittere, & Bullas reſervare usque ad ſuum reſponſum. Quæ Bullæ erunt tres, & quarta erit una litera Domini Cardinalis Laudenſis cum ſigillo magno de cera. Alia non ſcribo vobis ad præſens. Valete in Domino, ut optat &c. Datum Viterbii die vigeſima nona menſis Novembris 1405. Veſter Frater Ubertinus, &c.

Item

Item recepi literas a Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, per ipſum ſcriptas Eſtlingæ Provinciæ Theutoniæ, die quinta Octobris 1405. in quibus inter alia ſic: Chariſſime Frater Thoma &c. Veſtras literas datas Venetiis de menſe Auguſti recepi die ſecunda præſentis menſis. Et de Bulla Confirmationis Ordinis de Pœnitentia, quam ſcribitis recepiſſe, ejusque tranſumptum velle mittere Superiori Norimbergenſi, plurimum ſum lætatus, orans Deum, ut hoc ad ſui Nominis gloriam, noſtri Ordinis augmentum, meritum, atque famam pervenire concedat &c. Facit etiam in dicta litera mentionem, qualiter in ipſo Conventu Norimbergenſi erat Legenda B. Catharinæ de Senis, Sororis dicti Ordinis de Pœnitentia B. Dominici. Deinde concedens aliqua, concludit: paratus etiam ex corde ad alia, vobis grata &c.

Conſequenter recepi unam aliam literam circa finem menſis Decembris a dicto Procuratore, expreſſivam de litera immediate ſupradicta; cujus tenor talis eſt, videlicet:

Reverende Pater, poſt ſalutem in Chriſto. Miſi vobis pridie aliquas Bullas, conſignandas Fratri Bon-Johanni, & reſpondi ad quædam dubia, per vos alias mihi ſcripta. De quarum Bullarum receptione debetis mihi reſcribere &c. Et conſimiliter ſi poſſum aliqua, vobis grata. Valete in Domino, & orate pro me. Datum Viterbii die nona Decembris 1405. Veſter Frater Ubertinus, Procurator Ordinis &c. Et prout in dicta litera petit, ita ſibi reſcripſi.

Item ulterius pro aliquali declaratione ſupradictæ Bullæ plenariæ Confirmationis Ordinis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, judicavi hic inſerendum fore unam duplicatam reſponſionem, ſive in duabus vicibus datam per Fratrem Johannem Dominici de Florentia, qui ſe invenit in Curia tempore conceſſionis dictæ Apoſtolicæ Bullæ. Quam tamen reſponſionem dedit uni Nobili Dominæ Iſabettæ de domo Lyon de Venetiis de menſe Januarii 1406. ipſo Fratre Johanne tunc in Venetiis exiſtente: Et hoc ſuper quodam voto, per ſupradictam Dominam facto, circa quod decrevit ipſam petere conſilium a Fratre Johanne præfato. Quæ petitio Dominæ, & Reſponſio Fratris Johannis cum bina fuerit vice facta; totum vicis utriusque pro evidentia majori reſpon-

ſponſionis, ac noſtri præſentis propoſiti hic judicavi ponendum. Et hoc in latino, licet reſponderit in vulgari ſub iſta forma, videlicet:

Super tria puncta videtur mihi, quod fundetur veſtra petitio, ſi bene ſcriptura, quam ex parte veſtra recepi factam, quæ mihi ex parte veſtra præſentata fuit, per me bene extitit intellecta.

Primus punctus eſt de voto facto.

Secundus eſt de ſpirituali Patre contradicente,

Tertius eſt de ratione, ad talem contradictionem movente.

Quantum ad primum; Lex divina reſpondet pariter, & humana, videlicet, quod quodlibet juſtum votum debet juxta promiſſionem executioni mandari; & ideo cum feceritis votum, prout mihi ſcribitis recipiendi habitum Ordinis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici infra unum annum; & jam tranſierint duo, ſive tres: Jam habeo reputare, quod ſitis in peccato mortali, quouſque, ubi poſſitis, habitum prælibatum non ſumitis, niſi forſan ſuper id non haberetis debitam diſpenſationem, de qua dubito, an dari poſſit a minori Prælato, quam ſit Papa. Et ratio hujus eſt, quia licet concedam, votum veſtrum fuiſſe ſimplex, & non ſolemne; nihilominus, prout votum eſt Religionis, incœptum matrimonium non ſolventis, ſed bene futurum impedientis. Et quia aliter obligatur Religioſus, & ſtrictius, quam ille, qui id ſimpliciter vovit absque Religione; Dico, quod in ſimili voto minor, quam Papa, diſpenſare non poteſt. Et ut ſitis certa, & bene clara, quare iſte habitus, & iſta Regula de Pœnitentia B. Dominici eſt unus ſingularis Ordo, & una ſingularis Religio; ſcire vos volo, quod, quando in Confirmatione dictæ Religionis ſupplicatio fuit a Papa ſignata, & conceſſa; fuit data cuidam Domino Bartholamæo de Piſtorio, Locumtenente Cancellarii Papæ; & hoc ut illam extenderet, & reduceret ad Bullam; qui tamen noluit eam acceptare ad expeditionem, quouſque non notificaret Papæ, quomodo, hoc faciendo, fiebat in Eccleſia Dei Sancta novus Ordo, & ſingularis, & ideo ſcire volebat, an ita faceret, vel quod ita foret, eſſet ſuæ intentionis, ac per hoc, vel cum hoc diſpenſare cum Concilio Lateranenſi, & cum Decretali,

quæ

quæ eſt in Sexto de Religioſis Domibus. Cui Papa reſpondit tunc dicens, ſuæ intentionis eſſe, facere novum Ordinem, & quod bene ipſe totum hoc videbat; quia licet iſte Ordo a magno tempore inceperit, & privilegiatus fuerit a diverſis Summis Pontificibus; attamen, quia Papa plene eum tunc confirmabat, idcirco & ipſe, & ille ipſum novum Ordinem appellabat. Et ideo ad propoſitum noſtrum redeundo, dico, quod votum veſtrum fuit de ingreſſu ad religionem, de quo determinatur, quod nullus de tali poſſit diſpenſare, niſi ſolummodo Papa; & tamen iſtud non conceditur, nec fit per Papam.

Quantum ad Secundum punctum cito reſpondeo, & dico; quod cum obedientiæ privatæ, & maxime Dominarum, ſive mulierum ad homines, ſive hominum ad mulieres communiter ſint ſuſpectæ, nec habeant auctoritatem ab Eccleſia, & communiter ſemper fœtorem pepererint, & nunc pluſquam unquam de ipſis fœtet tempus præſens; dico talem obedientiam non eſſe obligatoriam; & eſt magis commendabile, ligamen tale diſſolvere, quam manutenere, niſi forſan eſſe contingeret de licentia Papæ, vel proprii Diœceſani. Nonne videtis vos, quod contrarium facere eſt rapina, & præſumptio? Rapina eſt ex parte illius, qui ſe obligat ad obediendum privatæ perſonæ abſque licentia illius, ſub cujus obedientia ordinarie totus ſubjicitur: Præſumptio ex parte illius, qui curam recipit animarum, quia ſemetipſum facit Paſtorem illarum pecorum, quæ ſibi a ſuo primo Paſtore minime ſunt commiſſæ. Et ideo communiter illud, quod habuit malum principium, raro religioſum obtinet finem; & illud, quod ſine vigore rationis eſt factum, pro non facto debetur merito reputari. Et ideo audacter dico, vos ullatenus eſſe obligatam ratione, aut vi alicujus obedientiæ particularis, vel privatæ promiſſionis, factæ cuicumque abſque licentia veſtri Ordinarii Superioris.

Quantum ad tertium punctum dico, quod ſi iſta ratio valeret: Poſt mortem talis forſan non erit, qui habeat curam de tali: non debebat Chriſtus incipere novum Statum, neque Sancti Baſilius, Benedictus, Auguſtinus, Bernardus, Bruno, Romualdus, Dominicus, & Franciſcus, ac Johannes Gualbertus, & alii incepiſſent novas Religiones; Nunquam enim

bonis

bonis deficiunt boni Patres, & boni Conſiliatores, & bene vivere volentibus. Et nullus bonus eſt, qui modicum curat, ut bene vivat.

Concludendo igitur dico; quod, exiſtente voto veſtro licito, quod non poteſt per Epiſcopum annullari, & quod privatæ obedientiæ nec vos, nec aliquis obligatur; & ſi jam tempus promiſſum tranſierit, ſi de mortali peccato exire vultis, prompte ſine ulteriori dilatione votum veſtrum implete, ſitisque ſolitaria a maſculis usque ad mortem tantum, quantum poſſibilitas patitur, & permittit.

Non obſtante autem ſupradicta reſponſione, iterum eadem Domina ſupradicta dicto Fratri Johanni ſuper eadem materia reſcripſit in ſuo vulgari ſub hiis verbis, quæ hic in latino ponuntur, videlicet:

In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Reverende Pater. Per veſtram genitricem, Sororem in Monaſterio Corporis Chriſti, ſcripſi Paternitati Veſtræ, petendo conſilium ab eadem ſuper certo voto de me facto. Et recepi a Veſtra prædicta Paternitate reſponſum inter alia, qualiter ego permanebam in peccato mortali, ſi dictum votum ego non executioni tradebam. Nunc autem ſignifico vobis, qualiter mihi videtur, quod Pater meus ſpiritualis, qui vellet ſemper ſequi bonam voluntatem, habeat ſuper id alium intellectum, ſive aſpectum; propter quod non videtur contentari, quod dictum votum per me executioni mandetur. Unde hæſitans, quod non fuerit caſus ſupradicti mei voti Veſtræ Paternitati bene porrectus, aut etiam explicatus aperte; cogitavi veram Seriem dicti caſus, & voti per Scripturam, mea propria manu ſcriptam, eidem Veſtræ Paternitati transmittere, ſupplicando eidem, ut mihi reſpondere dignetur. Et ego parata ſum, totum, prout in conſilium dederitis, executioni mandare.

Tres anni ſunt jam elapſi, ex quo cum ego ſentirem, me taliter debilitatam, quod etiam per quamlibet perſonam domeſticam, me videntem, dicebatur, quod eram de propinquo certitudinaliter moritura: Propterquod cogitavi facere votum, & ita feci, & devovi tam Deo, quam B. Dominico, & B. Catharinæ de Senis, (quamvis habitum ipſius B. Dominici, & B. Catharinæ in deſpectum haberem, ſeu eſſet mihi deſpectus) quod, ubi ego de tali malitia liberarer, &

mor-

morbo infra ſpatium unius anni, ego reciperem dictum habitum, videlicet Fratrum, & Sororum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, cum intentione deferendi illum publice usque ad mortem, ſine quacumque alia conditione. E non più che facto il detto voto, preſtamente io ricevetti grazia di forteza, propter quod ſtatim ego recepiſſem dictum habitum, niſi obſtitiſſet contradictio ſupradicti chari Patris. Peto igitur, prædictis *his* ſic ſe habentibus, quid facere debeam pro ſalutæ animæ meæ, ut per me Deus quovis modo minime offendatur. Et ne occaſione mei poſſet ſequi aliquod ſcandalum, peto, an iſtud votum poſſit mutari in aſſumptione habitus tertii Ordinis S. Franciſci; quia ubi decenter non aſſumerem primum, aſſumerem libenter iſtum ſecundum. Supplico igitur iterum Veſtræ Paternitati, quatenus ſibi placeat mihi ad præfata dare reſponſionem amore etiam ſalutis animæ meæ.

Ad quæ omnia Frater Johannes Dominici Dominæ ſupradictæ reſpondit ſub tali forma ſecunda vice, videlicet:

In iſto caſu unum præſupponis, & duo quæris. Præſupponis, te habere Patrem Spiritualem; & petis an obligeris ad votum factum primo; & ſecundo an poſſit commutari &c. Primum videlicet præſuppoſitum facit ſatis ad factum, ut ſciatur: An Pater ſpiritualis poſſit adnullare votum ſpiritualis ſui filii. Or (*nunc*) de toto, quod circa id, reſpondebo. Lex canonica extra de voto, & voti redemptione, cum gloſſis ſuis, & allegationibus ſuis, Et S. Thomas in ſua ſecunda ſecundæ perhibebunt teſtimonium, nec aliter ſum allegaturus, ſeu allegationes facturus.

Quantum igitur ad primum, videlicet preſuppoſitum reſpondeo, & dico; Quod ſi tuus Pater ſpiritualis eſt Pater ordinarius, ſcilicet vel Papa, vel Epiſcopus, vel Patrinus, vel Alius ab altero prædictorum duorum Prælatorum tibi traditus, de quibus quatuor nullus poteſt tibi præcipere, quod non adimpleas illud, quod juſte promiſiſti ſive per juramentum, ſive per votum, & conſimiliter non poteſt impedire ſalutem tuam. Quoniam duæ ſunt leges, una refrenativa mali; & ſecundum iſtam ſumus ſubditi & ſubjecti; & alia eſt provocativa ad bonum, ſecundum quam omnes ſumus liberi. Hæc eſt, lex perfectæ libertatis, quia poteſt quilibet Cle-

ricus, exceptis Epiſcopis, & pluribus aliis, effici Religioſus, eſto quod ſuus Epiſcopus præciperet contrarium. Epiſcopus autem non poteſt effici Religioſus ſine licentia Papæ, quia deſcendere eſt vitioſum, & altior Status eſt Status Epiſcopalis, quam Religionis. Et ita per hoc reſpondetur ad propoſitum, videlicet, quod non poteſt Pater tuus ſpiritualis & ordinarius votum, quod eſt de meliori bono revocare. Sed ubi iſte Pater tuus ſpiritualis ſit inordinarius, non eſt mirandum, ſi ex hoc inordinatio ſequitur: & etiam (*forte contra*) deſideratum ordinem conſilia extra ordinem conferuntur: Dico talem Patrem eſſe de illis, qui quærunt, & acceptant fæminas & maſculos ad obedientiam ipſorum, non habentes auctoritatem ſuper hoc a ſupradictis Patribus ordinatis. Sic autem facere, eſt rapina, præſumptio, & inobedientia, & periculum. Rapina quidem, quia recipit, ſeu aufert ſibi animas alteri commiſſas: Præſumptio, quia ſeipſum intitulat nomine dignitativo, quod eſt Pater, & reputat se ſufficientem ad regendum, ſive dirigendum animas, de quibus malam poterit reddere rationem, quia non ſunt ſuæ: Inobedientia vero, quia omnes Clerici habent aliquam particularem ordinationem, quod non ſint multum domeſtici cum mulieribus; unde non debent ſe Patres ſpirituales facere proprio capite. Monachis præcipue eſt interdictum per decretum, quod non efficiantur compatres; & hoc ſolum ad familiaritatem vitandam cum mulieribus. Fratribus Prædicatoribus, ac omnibus, Regulam B. Auguſtini habentibus, eſt grave præceptum circa cuſtodiam etiam a feminili aſpectu, unde multo magis a tali ſtricta, ſeu præcipua cum mulieribus converſatione. In Conſtitutionibus Fratrum Minorum ordinatur, quod nullus adſumat curam mulierum. Chriſtus Dei filius dixit pro omnibus: Nolite &c. unus eſt enim Pater veſter qui in cælis eſt. Et Apoſtolus Paulus rigide reprehendit illos, qui accipiunt curam rei alteri commiſſæ. Or (*nunc*) recogita, quam bonam obedientiam poterit imponere alteri, qui non eſt obediens ſuo ſuperiori. Dixi etiam quomodo talis Paternitas eſt periculoſa, quoniam ſtricta familiaritas Religioſorum cum mulieribus communiter in temporis proceſſu fœtorem parturit. Et de hoc plenæ ſunt experientiæ tam antiquæ, quam modernæ. Et ideo dico, quod ſive tu, ſive quævis alia perſona

aut

aut per juramentum, aut per votum es Patri ſpirituali talis conditionis dedita, confitearis tam cito: & pœnitentiam facias de tali obligatione, atque diſcedas a tali ſuſpecta Paternitate, nil faciendo per obedientiam ſuam, quia es ab eo penitus libera.

Quantum ad Secundum, ubi petis de voti tui obligatione, dico, quod illud votum tenet, & obligat, quod eſt factum per perſonam, quæ poteſt vovere, & quod eſt factum cum deliberatione, & quod eſt de majori bono. Si uxor unius voveret accedere ad ſepulchrum Domini, non valet, quia non poteſt ſe obligare ad illud ſine licentia ſponſi ſui. Similiter ſi in quadam furia voveres aliquid, & poſtea in quieto animo conſtituta illud non rectificares, aut ratificares, etiam non valet, quia non fuit factum cum deliberatione. Idem dico, ubi virgo, vel vidua faceret votum accipiendi maritum, aut non ingrediendi Religionem, non tenetur, quia eſt de minori bono. Cum ergo, prout ſum informatus, cum ſis vidua, & ſic libera, votum tuum tenet. Item non ſolum tu deliberaſti ſuper iſto voto, ſed etiam, ut apparet per ſcripturam tuam, permanſiſti in deſiderio illius amodo per tres annos: Itaque ipſum refirmaſti forſan vicibus mille, ne dum ſemel; propter quod tanto amplius es obligata eundem implere. Ulterius tertio. Votum tuum eſt de majori bono. Quoniam Summus Pontifex Innocentius VII. determinat per ſuam plenam Bullam, Statum, quem voviſti aſſumere, eſſe ſtatum Religionis: qui Status cum habuerit exordium a Seraphico Patre Sancto Dominico, de pectore deiphicæ Trinitatis exorto, quemadmodum Deus ipſe oſtendere dignatus eſt illi admirabili Virgini Seraphicæ B. Catharinæ de Senis; & ſucceſſive quamplura privilegia Papalia obtinuerit, & propter magnum temporis proceſſum, & præfata privilegia ſufficienter approbatus extiterit, & adhuc in Eccleſia militante quamplurimum fructificaverit, quamplureſque, ultra Virginem præfatam, miræ virtutis, & ſanctitatis perſonas produxerit: Volens præfatus Summus Pontifex etiam eumdem Statum per ſuas ſpeciales literas pleniſſime confirmare, & approbatum oſtendere, multum ſuper id deliberate proceſſit. Quoniam, cum eſſet Cardinalis, diligenter examinavit puncta Regulæ dicti Status, & in tantum placuerunt ei-

dem, quod propoſuit Papæ Bonifacio IX. ut deberet illam Regulam plenarie confirmare: qui prægravatus inter alia morbo, de quo deceſſit, non potuit: Unde ipſe, in Papatu immediate ſuccedendo, idipſum ſerioſe perfecit. Siquidem, quemadmodum Ordo Prædicatorum ſub uno Pontifice, videlicet Innocentio III. incepit, & a Succeſſore ſuo immediate Honorio etiam III. per Bullam ſolemniter confirmationem accepit, ut eſſet notum toti Mundo, cum quanta debent digeſtione ſimilia pertractari; ita & præſens ſupradictus Summus Pontifex, qui etiam ſemper fuit bonæ, & ſanctæ vitæ, quod Prædeceſſor inceperat, ut decens erat, perficere ſatagens, voluit pro majori ſolemnitate negotii, quod, non obſtante quod ipſe primus, in minoribus conſtitutus, Regulam dicti Status examinaſſet, attamen voluit, quod etiam examinaretur a Reverendo Patre, & Domino Domino Angelo Corrario de Venetiis, Patriarcha Conſtantinopolitano, qui hodie eſt Cardinalis, & qui eſt Magiſter in Theologia, & in ſanctitate vitæ modicos habet pares, & qui, cum conſequenter oportuit ipſum ex mandato Papæ accedere pro Legato in Marchia, non terminando examinationis præfatæ negotium, ut voluiſſet, ulterius de novo idem Summus Pontifex commiſit præfatam examinationem Cardinali Hoſtienſi, Domino Angelo de Florentia, & ipſius Domini Papæ Vice-cancellario. Qui cum poſtea, examinatione diligenter peracta, relationem faceret de ſanctitate, & animarum utilitate, quæ ſequebantur ex illo Statu, idem Summus Pontifex ipſum Statum & Ordinem liberaliter confirmavit. Et cum quidam Dominus Bartholamæus, tunc Locum tenens Vice-cancellarii, deberet ſcripturas extendere, prius voluit eſſe cum Summo Pontifice, & ab eo ſcire, ſi intendebat facere novam Religionem: & reſpondens quod ſic, exinde confectæ ſunt plene Bullæ pendentes. Totum hoc tibi curavi narrare, ut ultra pendentem Bullam, per tanta, & talia teſtimonia tibi ſit evidenter manifeſtum, & notum, quomodo Status, quem voviſti, eſt Status Religioſus; & utilis, ac ſalubris animabus, & eſt altior, quam viduitas, in cujus ſtatu actualiter tu perſiſtis. Jam igitur patet reſponſio, quod reputo, te eſſe in peccato mortali, quouſque votum tuum non imples, valens illud executioni mandare; nec aliquis ſimplex Sacerdos te valet abſolvere,

nisi

niſi illud per te impleatur. Et caveas, ne communices in tali peccato. Et ſimiliter dico de quavis perſona, quæ te, ne illud impleres, ſcienter quomodolibet impediret: quemadmodum malefactores, ita & eis conſentientes, pari pœna ſunt digni.

Quantum ad Tertium, ubi petis de commutatione voti, dico, quod, poſtquam tranſivit tempus libertatis quantum ad aſſumptionem dicti habitus, ideſt unus annus, infra quem voviſti, & ex tunc non impleſti; & hoc quia magis crediſti uno homini, quam Deo, de te eſt ſumendum judicium, ac ſi portaſſes habitum, jam anni ſunt duo, prout obligata fuiſti; non debet tibi ſuffragari defectus tuus, nec alteri nocere. Or (*nunc*) quia Summus Pontifex mandat, quod nulla perſona debeat de iſto Statu, & habitu ad alium tranſire, exceptis Religionibus, quæ vovent ſimul tria ſolemniter, videlicet, obedientiam, caſtitatem, & paupertatem; manifeſtum eſt, quod non potes tranſire ad illum; de quo feciſti mihi in tua litera mentionem. Aliæ ſunt viæ ad probandum hæc omnia ſupradicta: ſed tamen iſtam aſſumpſi rationem majoris brevitatis, & ut vitem comparationes inter nigrum, & album, & griſeum, ſeu berrettinum, ex eo quod comparationes ſunt communiter odioſæ. Et ſic de tertio & ultimo. Et ſic de tota reſponſione; ex qua patet, quo ad aliqua, declaratio aliqualis, pertinens ad Bullam ſupradictæ plenariæ confirmationis Ordinis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici.

Item conſequenter, quia in ultima ſupradicta litera Procuratoris fit inter alia aliqualis mentio de Indulgentiis, poſt ſupradictam habitam Bullam per medium Cardinalis Mediolanenſis, & Legati ad partes iſtas de Latere, impetrandis; idcirco ſciendum, qualiter dictus Dominus Legatus venit huc Venetiis forſan tribus diebus ante Nativitatem Domini. Et in vigilia dictæ Nativitatis Domini ipſum ex parte Conventus Prædicatorum viſitantes, ego feci ſibi collationem, in præſentia etiam quamplurimorum Prælatorum. Et habita reſponſione collationis ab ipſo, cum valefacerem, impetravi ab ipſo, quod deberet Sua Dominatio iſti Ordini de Pœnitentia B. Dominici aliquas Indulgentias elargiri, quemadmodum annuit gratioſe. Unde cum poſtea in Venetiis ipſe per duos menſes reſi-

reſidentiam faceret, habita a me ſupplicatione, & ſignata tandem die tertia Februarii 1406. recepi literam conceſſionis dictarum Indulgentiarum a ſuo Cancellario. Cujus tenor talis eſt, videlicet:

Petrus Miſeratione divina Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, (a) ac in Patriarchatibus Aquilejenſi, & Gradenſi, & Mediolanenſi, ac Januenſi Provinciis Legatus de Latere Sedis Apoſtolicæ deſignatus, univerſis & ſingulis, præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Juſtis, & honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus, illaque proſequi cupimus favoribus opportunis: Nuper ſiquidem pro parte dilectorum in Chriſto Prioris, & Prioriſſæ Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, Caſtellanæ Diœceſis, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus omnibus dicti Ordinis habitum aſſumentibus, & in eo profitentibus, ac cuilibet ad eorum Capitula regularia, quæ omni menſe ſemel celebrantur, devote convenienti, nec non cuicumque piæ alicui eorum infirmitati charitatis obſequia impendenti, & ſimiliter omnibus, & ſingulis, qui in alicujus prædictorum exequiis interfuerint, de injunctis ſibi pœnitentiis ac debitis certam temporis Indulgentiam largiri, & concedere dignaremur. Nos igitur, qui cultum augeri divinorum ubilibet exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut omnes Fratres, & Sorores antedicti Ordinis habitum aſſumentes, & in eo profitentes, aliæque perſonæ tam Eccleſiaſticæ, quam ſeculares ad eorum Capitula, quæ ſemel in menſe, ut aſſerebant, regulariter celebrantur, eo libentius conveniant, aliaque infirmantibus dicti Ordinis obſequia charitatis impendant, & ad intereſſendum prædictorum exequiis fortius animentur, quo ſpiritualium munerum potiora dona inde ſibi conſpexerint provenire; cupientesque, quod antedicti Ordinis Fraternitas debitis honoribus frequenter conſervetur, ac etiam augumentetur; de Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ac in Chriſto Sanctiſſimi Patris, & Domini noſtri, Domini Inno-

(a) *Petrus Philargus*, ab Innocentio VII. initio collati Cardinalatus, miſſus eſt Legatus de latere in Patriarchatum Aquilejenſem, & Inſubres, & Liguriam; ut refert Ciacconius.

Innocentii Divina Providentia Papæ VII. atque noſtra auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ſæpedicti Ordinis habitum aſſumentibus, & in eo profitentibus, ac omnibus ad eorum Capitula regularia devote convenientibus, nec non cuicumque eorum infirmitati piæ charitatis obſequia de bonis, ſibi a Deo collatis, impendenti, omnibusque, & ſingulis alicujus prædictorum exequiis intereſſentibus, ut prædiximus, centum dierum Indulgentias de injunctis eis pœnitentiis, ac debitis, pro qualibet vice actuum prædictorum, ſive alicujus eorumdem, eadem auctoritate tenore præſentium miſericorditer in Domino relaxamus. In cujus teſtimonium has patentes literas fieri fecimus, & noſtri ſigilli appenſione juſſimus communiri. Datum Venetiis Anno a Nativitate Domini MCCCCVI. Indictione XIV. die tertia Menſis Februarii. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Innocentii ſupradicti, Divina Providentia Papæ VII. Anno Secundo.

Item tenor ſupradictæ collationis ad ſolatium ſtudentium Fratrum talis eſt, videlicet:

Joſeph fili David noli timere. Habetur in Evangelio hodierno, originative autem Matthæi in cap. primo. Reverendiſſime Pater, & Domine. Cum primo inſonuit orbi promotionis vox Dominationis Veſtræ præmiſſæ apud ſitientes Eccleſiæ unionem, fuit ſatis ſpei ancora in ſolido conſtituta noſcentium., quatenus zelus veſter reſidebat in mente Eccleſiæ unitatis præfatæ, propter quod expectaverunt, & expectant quotidie juſti, & in te reſpiciunt univerſi, donec hic zelus egrediatur ut ſplendor juſtus ejus, cordialiter dicentes, & vere: *Joſeph fili David noli timere*. Et quoniam Sacratiſſimæ Religiones Ordinum Minorum, atque Prædicatorum ad ſubſtentationem, renovationem, reformationem, præſervationem, conſervationem, augmentationem, & ampliationem hujuſmodi Eccleſiæ veritatis a ſui exordio præcipue inſtitutæ noſcuntur; hinc eſt, quod ſpecialiter dictorum Ordinum Profeſſores tibi, tamquam Fratri, ne dum juvandum a Fratre, ſed a Fratrum conſortio, tibi, inquam, veluti de plantario dictorum Fratrum aſſumpto, nec non & tibi tam in Cardinalatus apice, quam in Apoſtolicæ Legationis officio conſtituto, non ſolum habent, immo debent, urgente præfato ſpeciali glutino

cha-

charitatis, efficaciter in Domino ſuadere dicentes àudenter, atque ſincere: *Joſeph fili David noli timere*. In quibus verbis Veſtræ Dominationis devoti erga extollentiam ejuſdem, quatuor principaliter intendere dignoſcuntur. Quoniam primo ipſi in dictis verbis notant veſtram perfectionem augmentatam, præmittentes *Joſeph*. *Joſeph cognominatus eſt juſtus*. Act. primo Cap. Sonant ſecundo profeſſionem commendatam, ſubſequentes *fili*. *Non poteſt filius a ſe facere quidquam*. Jo. 5. Tonant tertio veſtram promotionem, ſuperàddentes *David*: *Unxit Samuel illi David, ut regnaret ſuper domum Juda*. Secundo Regum c. 2. Rorant quarto ſuam intentionem affectatam, concludentes: *Noli timere*. Jerem. 30. *Ne timeas ſerve meus, Dominus*. Iſa. 46. Dicebam igitur primo Paternitatis Veſtræ, Reverendiſſime Domine, affecti. Notant &c. Siquidem Joſeph interpretatur additio, Matre ſua Rachel, cum eum natum vocaret Joſeph, dicente: *Addat mihi Dominus filium alterum* Gen. 30. ſive dicitur accreſcens, teſte patre ſuo, in mortis articulo conſtituto, ac ajente: *Joſeph filius accreſcens*. Gen. 49. Et hinc B. Hieronymus dixit: Joſeph augmentum ſecundum interpretationem ſignificare. Coram igitur Veſtra Celſitudine principaliter conſtituti, ſi diligenter adverto, habet veſtra præfata augmentata perfectio per conformitatem ad Joſeph multipliciter commendari; utpote primo ab indigentia voluntariæ paupertatis, quia Joſeph, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis, Levites, & Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum, & attulit pretium, & poſuit ad pedes Apoſtolorum. Act. 4. Item ſecundo ab abundantia largitoriæ charitatis, quia Joſeph, Dux factus Ægypti, viatici ubertatem miniſtravit largiter Orbi, alias periclitanti, prout habetur. Gen. 44. Item tertio ab eminentia imperatoriæ dignitatis, quia Joſeph vidit in ſomnis, ſibi a Deo immiſſis, non ſolum a patre, aut a matre, ſed etiam a cunctis Fratribus adorandus. Gen. 37. Item quarto ab obedientia meritoriæ Sanctitatis, quia Joſeph cuſtodit mandatum, & factus eſt Dominus Ægypti *primi*. Matth. 2. Item quinto a juſtitia defenſoriæ æquitatis, quia Joſeph cum eſſet juſtus, & nollet Virginem traducere, voluit occulte dimittere eam. Matth. cap. 1. Item Sexto a Sapientia conſultoriæ veritatis, quia Joſeph conſtitutus eſt caput Ægypti, ut erudiret principes ejus,

ſicut

ſicut ſemetipſum, & ſenes ejus prudentiam doceret. Pſ. 104. Et tandem Septimo *habet veſtra* adaucta perfectio per relationem ad Joſeph condemnari a clementia amatoriæ pietatis, erga Chriſtum Crucifixum præſertim oſtenſa, quia Joſeph, vir nobilis Decurio, dives, & juſtus, & licet Chriſti diſcipulus occultus, audacter tamen introivit ad Pilatum, & petiit, ſibi concedi corpus Crucifixi Jeſu, quemadmodum omnes Evangeliſtæ teſtantur. Ubi aliqualiter figendo pedem. O Reverendiſſime Pater, & Domine, nunquid in membris ſuis, immo in Vicario ſuo Innocentio VII. iterum Crucifixus eſt Chriſtus? An non eſt caput Chriſti ſpinatum, velatum facie, maxilla percuſſa, evulſæ genæ, tunica ſciſſa, illata obbrobria, inflicta vulnera, Deus negatus? Ubi quando Fratres ſeculorum devenerunt gallici, veraciter Chriſtum in ſuo Vicario quærunt ad mortem, dentibus lacerant, pronunciant intruſum, hæreticum fatentur, & nominant Antichriſtum, ſedentem in templo, & ſe coli jubentem ſuper omne, quod eſt, aut colitur Deus; inferentem conſequenter, omnes Romanos damnari, eo quod talia de ipſorum Antichriſto confirmant. Vos igitur, Reverendiſſime Pater, & Domine, præfati Joſeph veſtigia imitando, rogamus obnixe, quatenus ad rehabendum ex integro Chriſtum Crucifixum, ſive Sanctiſſimum myſticum corpus, validas velitis apponere manus, ut timeatis a facie hoſtium cunctorum, *quia ego tecum ſum, dicit Dominus*. Jer. in cap. primo. Et ſic de primo.

Dixi Secundo principaliter, quod thematis noſtri verba ſonant veſtram profeſſionem commendatam, cum ſequitur *fili*. Ex quo utique tertio veſtra præfata perfectio multipliciter merito commendatur, ſeu commendari poteſt, videlicet in generatione virtuali, in electione ſpirituali, in promotione temporali, in benedictione ſupernaturali, in exaltatione filiali, in conſultatione radiali, & in imitatione paternali. In generatione, inquam virtuali, *quoniam boni, & optimi viri filius es tu*. Tob. in cap. 7. In electione &c. Quia *Dominus dixit ad me: filius meus es tu* &c. Pſ. 2. In benedictione, quia ait Dominus Patri patrum, *Dabo tibi filium, cui benedicturus ſum*. Gen. 17. In promotione &c. quia dicit Dominus & Vicarius ejus, *filius honorabilis mihi Ephraim*. Jer. 31. In exultatione &c. quia *filius Sapiens lætificat patrem ſuum*. Prov. 10. In conſultatio-

tatione &c. quia ſcriptum eſt: *Fili ſine conſilio nihil facias*. Eccleſ.32. In imitatione autem paternali, quoniam non ſolum per generationem, ſed per morum imitationem filii nuncupantur 22. q. 2. quæritur, *& ſitis*, inquit, *filii Patris veſtri*. Matth. in cap. 5. Circa quod pauliſper inſiſtens, dicere poſſum, qualiter Sinagoga, mater Eccleſiæ, ad te, ſive poſt te clamat: O Reverendiſſime Pater, & Domine dicens, *filia mea*, ſcil. Eccleſia, *male a Dæmonio vexatur*. Matth. in cap. 15. Et merito Eccleſia filia nuncupatur: & hoc propter ſexus defectum, quo abiens poſt laſcivias amatorum ſuorum, tam graviter vexatur a Dæmone, ut lucem veritatis videre non poſſit, nec percipere Sanctorum concentus, nec Sanctorum operum ſuſcipere valet olfactum, aut etiam guſtare nequit, quam ſuavis eſt Dominus. Et non a Dæmone ſolum, ideſt ab uno, ſed a Dæmonio, ideſt, a multiplici Dæmone vexatur quotidie. Audi igitur fili B. Seraphicique Franciſci, a quo utique Patre non tibi parva gloria venit: qui utique Pater, nunquam ſatis commendatus, usque ad Saladinum acceſſit, ut Eccleſiam ampliaret, & ipſam a meridiano Dæmonio liberaret. Tu igitur, tamquam ſuus filius, tantique Patris imitator coruſcus, portionem damnatam, utpote non ſolum Gallicanam, ſed etiam Conſtantinopolitanam Eccleſiam, cum non tantum Italicus ex prolixa cohabitatione, ſeu converſatione, ſed etiam Græcus, & Candienſis origine cenſearis, ſalvare, & ad Sanctam unitatem reducere pro poſſe coneris. Sic enim faciens apparebit, qualiter tu non timebis a timore nocturno, prout in 90. ſcribitur Pſalmo. Et ſic de ſecundo principaliter.

Subjunxi tertio, qualiter verba thematis tonant veſtram promotionem ſublimatam ſuper addendo David. Pro cujus evidentia eſt ſciendum, quod pro tanta veſtra ſublimata proportio redditur ſpectabilis, pro quanto per conformitatem ad David in exemplum multipliciter proponitur fidelibus cunctis; utpote in exemplum compaſſionis venerandæ, venerationis imitandæ, dilectionis prædicandæ, devotionis adamandæ, macerationis temperandæ, electionis honorandæ; etiam in exemplum debellationis coronandæ. Nam quo ad primum: David omnes profugos recipiebat. 7. qu. 1. *Omnino*. Quo ad ſecundum, Doluit, etiam oram clamydis mali Regis abſcidiſ-

ſe.

ſe. 2. q. 7. *Plerumque*. Tertium in multis punctis comprobatur de pe. q. 2. *Oportet*. Quartum quoad Sacramenta, ſi etiam in nephandis ſint Prælati, quia Saulem honoravit damnatum. 1. q. 1. *Sacramenta*. Quintum ex eo, quod ſub parabola Nathan ſe ipſum condemnavit. 1. q. 7. *Sal infatuatum*. Sextum, quando ceſſit obviare neci, ne homicida foret. 22. q. 4. *Quod David*. Sed Septimum, circa quod parumper inſiſtam, oſtenditur de David in eo, quod multipliciter ab Iſraelitico populo commendatur, ex eo quod, cum eſſet parvulus, & inermis, in phunda, & lapide Phyliſtæum occidit, caput ſibi præcidit, & in Jeruſalem illud adduxit, prout habetur 1. Regum cap. 17. Sed, Reverendiſſime Pater, & Domine, nonne & nunc adſtat alius Phyliſtæus incircumciſus non ſolum lingua, ſed corde? Et heu proh dolor! quia, toto orbe expectante, nemo virorum fortium occurrit ad ipſum debellandum, Domino forſitan permittente, ut forſan aliquis minor, & parvulus, aſtringendo ſibi fundam humilitatis cum quinque lapidibus, ſcilicet quinque verborum, quæ ad *Spiritum Sanctum*, ſuum ad Eccleſiam Paulus volebat. 1. ad Cor. 14. ſive cum quinque lapidibus de correctione, ideſt, cum quinque vulneribus Paſſionis, & Crucis Chriſti triumphum, de tam pernicioſo ſchiſmate ſuique capitis reportet. Tu ergo, o Reverendiſſime Pater, & Domine, cum de Ordine Minorum, & parvulorum noſcaris adſumptus, & quem Deus erexit, ut mundi ſis cardo, viriliter aggrediaris contra præfatum Phyliſtæum prœlium Domini, ut dicere merito valeas cum Pſalmiſta Pſ. 26. *Dominus illuminatio mea* &c. usque ibi: *& templum ejus*. Videlicet, ſuæ Sacroſanctæ, & univerſalis Eccleſiæ, & ſic de Tertio.

Concluſi quarto, quia verba thematis rorabant intentionem affectatam, concludendo: *Noli timere*. Et quoniam taliter, Reverendiſſime Pater, & Domine, adhortatus es, divitiisque *diſpoſitus*, ut præfertur, finem imponendo huic noſtræ collationi, intentionem optatam, ſive concluſionem reportare debemus, utpote ſic, & tam audacter omni timore poſtpoſito, opus unionis Eccleſiæ, & omne, quod ad ipſius Eccleſiæ promotionem facit, aggrediendo, ac etiam proſequendo, ut merito illud Iſ. 12. nobis efficaciter valeas reſpondere, videlicet:

cet: *Fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem* optatam, ſupple totius Univerſalis Eccleſiæ. Dominus, inquam, qui, prout hodie incipit Eccleſia repræſentare, venit parvulus, & ſervile cinctorium carnis aſſumens, in hujus Seculi campum, ut Auguſtinus refert, pugnaturus, intravit; & hoc, ut quæreret, & ſalvaret, quod perierat; nec ſolum temporaliter, ſed integraliter, & æternaliter; & non ſolum hic per gratiam, ſed etiam in futuro per gloriam. Cæterum Reverendiſſime Pater, & Domine, recepimus Te reverenter, viſitavimus cum jubilo, adeſſe nimium gaudemus, precibus jungimus preces, & nos, & Sermones noſtri in manibus tuis. Ad omnia mandata prompti, ut filii, Oratores, & ſervuli, donec contingat, ad illud unum ovile reverti, ubi regnat unicus Paſtor Deus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen. Et hæc ſint dicta cum omnimoda reverentia.

Item ſciendum, quod, cum quanta inſtantia, & multiplicatione literarum, ſupplicationum, & commiſſionum obtenta ſit gratia literæ ſupradictæ Apoſtolicæ de confirmatione plenaria Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, ſatis apparet ex dictis; & ſi non ad plexum, ex eo quod nimis, & ultraquam nimis fuiſſet longum, ponere tenores omnium literarum, & ſcripturarum, quæ intervenerunt infra ſpatium trium annorum, in quo fuit negotium dictæ literæ Apoſtolicæ impetratæ dilatum. Sed cum quanta inſtantia Orationum, & concurrentia viſionum, non eſt aliquid, quantum ad id, adhuc tactum. Et ideo, ut etiam hoc ſaltim aliqualiter non prætereat, eſt advertendum quod cum anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſecundo fieret ſermo efficacius ſolito de procuranda litera ſupradicta, factæ ſunt ſuper id orationes quamplures per diverſæ conditionis, & ſtatus, atque ſexus perſonas; & non ſolum de Venetiis, ſed etiam de diverſis partibus Italiæ, & Theutoniæ una mecum, quibus pro obtinenda dicta gratia, intuitu ſingulariter B. Dominici, & Beatæ Catharinæ de Senis, quæ fuit filia præcipua dicti B. Patris, & Soror iſtius Ordinis, quamplures Orationes injunxi. Et, ut coram Deo loquar, excellentia virtutum, & perfectionis dictæ B. Virginis ad multa peragenda in honorem Ordinis, &

B. Do-

B. Dominici, ac ejuſdem B. Virginis, quam, cum degeret in humanis, perſonaliter vidi, & aliquanto tempore cum eadem converſatus fui, me, quaſi voluerim, noluerim, compulerunt, & inter alia ſignanter ad procurandum plenariam confirmationem ſupradictam, videlicet, Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici, tamquam ſpecialiter cedens in dictæ Virginis honorem, & laudem, eo quod, ut dictum eſt ſupra, de Ordine fuerit prælibato. Et quod, quemadmodum ipſa meretur per Eccleſiam approbari, & in Cathalogo Sanctorum reponi; ita per ipſam, hoc eſt, ſuis meritis, primo approbaretur plenarie Ordo ſuus; & conſequenter ipſa Canonizatio ſua, quæ jam a pluribus Principibus petita noſcitur, tam a Cardinalibus, quam a Domino Papa Bonifacio IX. ſupradicto, ſuum effectum, diſponente Domino, ſortiretur. (a) Inter alias autem perſonas, quibus ſpecialiter orationes pro cauſa ſupradicta injunxi in Civitate Venetiarum, fuerunt aliquæ Sorores ſanctimoniales Monaſterii Corporis Chriſti, ſub cura Fratrum Prædicatorum. Item quidam devoti Fratres Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, & conſimiliter omnes Sorores dicti Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, & præſertim quædam Soror, Domina Mina Berengo, mulier nempe miræ converſationis, atque virtutis, prout in quibuſdam ſcriptis per me de ipſa alibi pertractatur, qui fui bene ab octo annis, & deinceps usque in præſens ſemper unicus Confeſſor ſuus. Hæc quidem, cum pro impetratione ſupradictæ literæ Apoſtolicæ quampluries Dominum exoraſſet, & conſimiliter ſua tunc conſocia; ſemper me efficaciter confortavit, mihique ſpem firmam tribuit, quod præfata litera deberet infallibiliter obtineri, habens circa id viſiones quamplures; & conſimiliter ejus dicta conſocia, in tantum ut ſæpius eidem appareret B. Dominicus, frequenterque ſibi præſentaretur magna Scriptura, quaſi exemplar, & forma literæ impetrandæ. Et ſic pertranſeundo de anno in annum, & de menſe in menſem usque ad menſem Junii die vigeſima ſexta ejuſdem anni 1405. in quo impetrata eſt, ſemper fui a præfata Sorore Mina affirmative con-

(a) Cœlitum numero B. Catharinam Senenſem adſcripſit Pius II. anno 1461. die 29. Junii.

confortatus, quod omnino obtineri oportebat litera Apoſtolica ſupradicta; addendo, licet reverenter, & quaſi compulſa, quampluries iſtud verbum, videlicet: ſive velit Papa, ſive nolit, oportet, quod dictam gratiam concedat omnino. Et ita tandem factum eſt, ut eſt ſuperius declaratum. De me etiam, tanquam coram Deo, & Sanctis ejus principaliter conſtitutus, recito audenter, quod, ex quo libero ſum uſus arbitrio, nunquam pro aliqua re ita perſeveranter, & continue, atque conformiter me habui in orando, & inſtanter petendo ipſam a Domino, quemadmodum iſta fuit; in tantum quod in toto temporis circulo trium quaſi annorum petitionis præfatæ, nunquam quaſi fuerit dies, quin ſemper non tantum habitualiter, ſed etiam actualiter, cum tota videlicet intentione, & attentione actuali, pro impetratione literæ ſupradictæ non oraverim Dominum, & præſertim in Miſſa. Verum quia, cum aliquando, & præſertim circa menſes ſex ante impetrationem ipſius, ex dilatione, & interruptionibus plurimis aliqualiter alterarer; contigit, me exiſtente in libraria, caſualiter divertere ad B. Auguſtinum ſuper Pſalterium: cumque aperuiſſem librum, occurrit mihi Pſalmus ille, videlicet: *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine, juſtificationes tuas requiram*; Cujus expoſitionem proſequens Auguſtinus ibidem ſic inquit: Clamor ad Dominum, qui fit in orationibus, ſi ſonitu vocis corporalis fiat, non intento in Deum corde, quis dubitet inaniter fieri? Si autem fiat corde, etiam ſilente corporis voce, alium quemlibet hominem poteſt latere, non Dominum. Sive ergo cum voce carnis, quando id opus eſt, ſive cum ſilentio ad Deum, cum oramus corde, clamandus eſt. Eſt autem clamor cordis magna cogitationis intentio, quæ cum eſt in oratione, magnum exprimit deſiderantis, & petentis affectum, ut non deſperet effectum. Tunc porro in toto corde clamatur, cum aliunde non cogitatur &c. ut patet ibidem. Quod totum, cum ſic mihi occurriſſet, diligenter advertens, ita mens mea ſuſcepit, quaſi eidem firmiter de cœlo ſonuiſſet: & ſic id, tamquam viviſſimum oraculum, acceptavit, quamplurimum lætabunde ſentiens, ſe per hoc taliter in ſpe recipiendæ gratiæ ſupradictæ firmatam, ut judicaret, non poſſe de cætero de impetratio-

tione ejusdem quodammodo dubitare. Quoniam etiam deinceps orationem meam in Miſſa juxta morem conſimiliter proſequendo, compellebar ſæpius etiam ad literam aliqua de dictis verbis Beati Auguſtini ſuper verſu præfato vocaliter explicare, & ſignanter illud verbum, videlicet: Clamor cordis magna eſt cogitationis intentio, quæ, cum eſt in Oratione, magnum exprimit deſiderantis, & petentis affectum, ut non deſperet effectum. Quod cum fieret, ſemper nova fiducia ſuper impetratione dictæ gratiæ renovari videbatur in mente.

Item ad idem, ex alia tamen parte, non eſt minus notandum, quod ſi diligenter attendantur omnes literæ ſupradictæ, mihi a Vicario Italiæ, vel Procuratore Ordinis, vel ab alio transmiſſæ de Curia, ex quo iſtud negotium ſumpſit exordium usque ad finem, ſemper, non obſtantibus quibuſcumque impedimentis, confortatus extiti, quod circa hoc eſſem boni cordis, & bonæ ſpei. Et cum contigiſſet ulterius, ſupradicti Pſalmi primi verſus expoſitionem proſequi, habuit mens mea, etiam amplius in confidentia recipiendæ gratiæ confirmari; cum ibidem fiat mentio de petitione, atque inquiſitione invenienda, & obtinenda, per illos videlicet, qui Dei juſtificationes quærunt, non ad jactantiam, ſed ad Dei laudem, nec ſolum ut ipſæ ſciantur, ſed cooperante gratia Jeſu Chriſti, opere perficiantur, prout plene patet ibidem, quæ etiam juſtificationes, ut traditur in prima ſecundæ: propter quæ non immerito confortatus, & confirmatus perſeveranter, ipſo largiente, proceſſi, ut perveniretur ad reportationem effectus optati. Allegando etiam mihi quampluries illud Davidicum, videlicet: Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi, & ita factum eſt. Nec adhuc eſt minus mirabile judicandum de Patribus ſupradictis, qui, non obſtantibus tædiis & laboribus, atque interpoſitionibus tantis, nec ad negotium proſequendum ducebantur illa affectione præcipua, qua ego afficiebar, & nihilominus nec dum quod ipſi in facto perſeverarent, & de obtinendo intento ſperarent, ſed etiam me ad idem in qualibet quodammodo litera confortabant, & confortaverunt, quousque deventum eſt ad deſideratum effectum; nec ſolum eſt per omnes de gratia impetrata ſolatium reportatum præcipuum, ſed adhuc multo

am-

amplius de Summo Pontifice illam concedente, qui fuit Dominus Innocentius VII. & non ejus immediatus prædeceſſor, cui primo fuit ſupplicatio de materia præſentata ; & hoc propter aliqua, de quibus dimittitur gratia brevitatis. Ex quo patere poteſt, qualiter dilatio impetrationis literæ prælibatæ ad majus commodum, ſeu ſolatium in Domino nobis ceſſit. Et ſic iſtam particulam concludendo ſatis evidenter apparet, quomodo ita perſeveranter procedens non ſolum in orando, aut orari faciendo, ſed etiam in ſcribendo, & aliis laboribus, & impenſis inſiſtendo, meritis Beati Dominici Patris noſtri, & Beatæ Catharinæ, ut etiam ſuperius dicebatur, ad impetrationem optatam confirmationis plenariæ Ordinis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Beati Dominici finaliter eſt deventum. Illo præſtante, qui dixit: petite, & accipietis, quærite, & invenietis &c. cui cum Patre, & Spiritu Sancto eſt honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Explicit Secunda Pars.

INCIPIT

Tertia Pars principalis totius Tractatus.

AD pleniorem proinde informationem habendam ſupradictorum, & ad completum ſupplementum ſupradicti Tractatus, eſt ulterius advertendum, qualiter cum recepiſſem ſupradictam Bullam Apoſtolicam plenariæ confirmationis Ordinis ſæpedicti Fratrum, videlicet, & Sororum de Pœnitentia S. Dominici infra octavas B. Dominici Patris noſtris, utpote de menſe Auguſti M.CCCC.V. conſequenter circa principium menſis Septembris anni ejusdem accedens ad Curiam Domini Epiſcopi Caſtellani de Venetiis dedi operam talem, quod ſeptem authentica inſinuata ex dicta Bulla extraxi de dicta Curia ſupradicta die quarta dicti menſis Septembris Pontificatus Domini Papæ Innocentii Anno primo. Quibus ſeptem Bullis, ſeptem alias Bullas Ducalis Dominii, per me procuratas ab eodem Dominio, aſſociavi, teſtificantes tam de Bulla Apoſtolica & ejusdem inſinuatione, quam etiam de Notariis in ipſis inſinuatis literis conceptis, atque ſubſcriptis. De quibus literis ſic inſinuatis ut dictum eſt, unum direxi Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, videlicet Fratri Thomæ de Firmo, tunc in Conventu Argentino Provinciæ Theutoniæ exiſtenti; aliud Superiori Conventus Norimbergenſis Provinciæ Theutoniæ noſtri Ordinis; aliud Provinciali Romano pro Conventu Paruſino; aliud Conventui Senenſi; aliud Conventui Piſano; aliud Conventui Luccano: omnes de Provincia Romana: aliud vero Provinciali Provinciæ S. Dominici. Item conſequenter de menſe Junii M.CCCC.VI. acceſſi iterum ad Curiam ſupradicti Domini Epiſcopi Caſtellani, de qua extraxi alia tredecim, ſive quatuordecim inſinuata ejusdem Bullæ Apoſtolicæ die trigeſima ipſius Junii, Pontificatus dicti Innocentii Anno Secundo, de quibus unum direxi Conventui Civitatis Caſtelli cum libellis de copia Bullæ, & certis privilegiis; & eodem anno aliud direxi Conventui Urbevetano;

no; & aliud Conventui Cortonenſi Provinciæ Romanæ præfatæ.

Item ultra Indulgentias ſupradictas, a ſupradicto Domino Legato impetratas, Ego primo impetraveram unam a Domino Epiſcopo Caſtellano, ſæpius prænominato; cujus tenor talis eſt, videlicet:

Franciſcus Bembo, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Caſtellanus. Univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus, per Civitatem Venetiarum, & totam noſtram Caſtellanam Diœceſim conſtitutis, Salutem in Domino ſempiternam.

Si juxta ſententiam Sapientis inter tempus ſeminandi diſcernimus, & metendi; id ſeminare debemus in terris, quod cum multiplicato fructu colligere valeamus in Cœlis. Cum igitur non ſolum ex nobis, ſed etiam, prout Venerabilis Patris Fratris Thomæ de Senis Conventus SS. Johannis, & Pauli de Venetiis, Ordinis Prædicatorum, fide digna relatione percepimus, ſint nonnullæ utriusque ſexus perſonæ, quæ, ſpretis mundanis illecebris, intrando, ſeu ingredi diſponendo Ordinem Pœnitentiæ B. Dominici, per Sedem Apoſtolicam multipliciter approbatum, & ſolemniter confirmatum, prout plenarie nobis, qui Privilegia dicti Ordinis vidimus, & auſcultavimus, conſtat, elegerint, in eodem Ordine Domino famulari, ut videlicet per hæc, & alia bona, quæ, Domino inſpirante, fecerint, habilius poſſint ad æternæ fœlicitatis gaudia pervenire; hinc eſt, quod nos, qui ex debito paſtoralis Officii animarum profectibus invigilare debemus, & qui ad ipſum præfatum Ordinem de Pœnitentia B. Dominici præcipua devotione afficimur, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus meritis, & authoritate ordinaria, nobis conceſſa, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui prædictum Ordinem intraverint, in eorum introitu, & profeſſione, ac etiam tam ipſis, quam cœteris perſonis aliis, quæ Capitulo Fratrum, aut Sororum dicti Ordinis, quod menſe quolibet celebratur, interfuerint, nec non & exequiis eorumdem Fratrum, ſive Sororum interfuerint, quadraginta dies indulgentiarum eis, & cuilibet prædictorum vice qualibet actuum hujusmodi de injuncta, ſeu debita ſibi pœnitentia miſericorditer in Domino relaxamus. Aſſenſum præbentes, & admittentes omnes, & ſingulas Indulgentias,

quas

quas quicumque Epiſcopi perſonis ſupradictis duxerint largiendas. In quorum omnium teſtimonium præſentes literas fieri fecimus, & noſtri ſoliti ſigilli juſſimus appenſione muniri. Datum Venetiis in noſtro Epiſcopali Palatio Anno Domini M.CCCC.V. Indictione tertiadecima. Die tertiadecima menſis Decembris. Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Domini Innocentii, Divina Providentia Papæ VII. Anno Secundo.

Conſequenter infra totius anni MCCCCVI. circulum, principaliter pro perſonis de Ordine de Pœnitentia S. Dominici, ego impetravi a diverſis Prælatis Eccleſiæ Indulgentias quadraginta dierum pro quolibet actu ſupradicto, contento in literis Indulgentiarum ſupradictarum, per Dominum Legatum, & Dominum Caſtellanum conceſſarum, de quibus Indulgentiis impetrandis & obtinendis ego prius fueram præmonitus, & adviſatus a ſupradicta Chriſti ancilla, hujus Ordinis Sorore Mina, ſecundum quod ſibi in viſione fuerat præmonſtratum, quemadmodum & de Bulla Apoſtolica ſupradicta. Habita autem fuit una litera prædictarum Indulgentiarum a Domino Epiſcopo Torcellano die ſextadecima menſis Februarii prædicti anni M.CCCC.VI. Cujus tenor talis eſt, videlicet:

Donatus (*a*) Dei, & Apoſtolicæ Sanctæ Sedis gratia Epiſcopus Torcellanus. Univerſis Chriſtifidelibus, ad quos literæ præſentes pervenerint, Salutem in Domino ſempiternam.

Quoniam conſueverunt homines bonæ voluntatis ad quæque virtuoſa facilius allici, & efficacius attrahi, quo amplius beneficiis, atque gratiis, & donis ſpiritualibus noverint ſe refertos; Informatique fuerimus, Ordinem de Pœnitentia S. Dominici, approbatum, & ſolemniter per Sedem Apoſtolicam confirmatum fore, prout nos ipſi perſonaliter vidimus, atque legimus dictæ confirmationis Privilegium, Bulla Papali bullatum, aliiſque inſigniis Apoſtolicis communitum; Hinc eſt, quod, ut perſonæ utriuſque ſexus ad devotionem, atque ingreſſum dicti Ordinis de Pœnitentia B. Dominici amplius excitentur, & intrantes deinde Ordinem, multiplicis Indulgentiæ velut emolumenta alia interveniente ſuffragio plenius

T 2 con-

(*a*) *Donatus* de Greppa, cum eſſet Plebanus, ſeu Vicarius Murianenſis Eccleſiæ Sancti Stephani, in *Epiſcopum Torcellanum* adſumptus fuit anno 1405.

conſolentur, quatenus per hæc, & alia pietatis opera, quæ, cooperante Chriſti gratia, fecerint, remoto peccatorum obſtaculo, habilius valeant ad Cœli gloriam pervenire: Nos, qui, ſecundum quod officium paſtoralis regiminis exigit, & requirit, ad ſalutem, & promotionem intendimus animarum, & qui tam Ordini Prædicatorum, quam præfato Ordini de Pœnitentia S. Dominici, de quo Ordine inter alias perſonas ſanctas extitit inſignis Virgo B. Catharina de Senis, ſignanter afficimur: De Omnipotentis Dei miſericordia, glorioſæ Virginis Matris ſuæ, BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus meritis, & auctoritate ordinaria, nobis conceſſa, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Ordinem Supradictum de Pœnitentia S. Dominici, cum intentione in ipſo profitendi, intraverint, & profeſſionem fecerint in eodem, ac etiam tam ipſis, quam cæteris perſonis aliis, qui Capitulo Fratrum, aut Sororum ejusdem Ordinis, quod menſe quolibet celebratur, interfuerint, & hominibus, qui Fratribus, ac mulieribus, quæ Sororibus graviter infirmantibus, & præſertim indigentibus, obſequia charitatis contulerint, nec non & exequiis eorumdem Fratrum, ſive Sororum interfuerint, quadraginta dies Indulgentiarum eis, & cuilibet prædictorum pro vice qualibet actuum hujusmodi, de injunctis, ſive debitis ſibi pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, interveniente conſenſu Diœceſani, in cujus Diœceſi fieri præfata contigerit, quemadmodum intervenit ad prædicta Domini Franciſci Bembo, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Caſtellani, prout perſonaliter in ejusdem literis ſolemnibus inſpeximus, & legimus, liberaliter conſenſiſſe. In quorum omnium teſtimonium præſentes literas fieri fecimus, & ſigilli noſtri appenſione muniri. Datum in noſtro Epiſcopali Palatio Torcellano Anno Domini M.CCCC.VI. Indictione quartadecima die ſextadecima menſis Februarii. Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Innocentii, Divina Providentia Papæ VII. Anno Secundo.

Item alia habita fuit eodem menſe, & anno a Domino Epiſcopo Clugienſi; cujus tenor talis eſt, videlicet:

Paulus, (a) Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Clu-

(a) Apud Ughellum vocatur *Paulus Joannis*, ex Eccleſiæ Venetæ Caſtellanæ Archidiacono electus *Epiſcopus Clugienſis* ſeu Clodienſis anno 1401. Vide Italiam Sacram in Clugienſibus Epiſcopis.

gienſis, Univerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Quoniam ſecundum varias perſonarum bene diſpoſitarum conditiones, & gradus, perſonæ ipſæ ad quæque virtuoſa per indulgentiarum emolumenta ſalubria attrahuntur; hinc eſt, quod, ut ad devotionem Ordinis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici per Sedem Apoſtolicam ſolemniter conformati, prout nobis, qui vidimus dictæ confirmationis Privilegium, ac etiam plura alia immunitatis privilegia eorumdem, conſtat plenarie, perſonæ utriusque ſexus amplius afficiant, & idoneæ ad ingreſſum dicti Ordinis, & permanentiam in eodem, intervenientibus ultra alia noſtrarum Indulgentiarum ſuffragiis, efficacius animentur, quatenus per hæc, & alia virtutis opera, quæ, Domino inſpirante, juxta cumulum meritorum ad cumulum pervenire valeant premiorum: Nos, qui ex curæ paſtoralis regimine animarum profectibus obligamur intendere, & qui quemadmodum ad Ordinem Prædicatorum, ita & ad præſatum Ordinem de Pœnitentia B. Dominici, de quo Ordine inter alias præcipuæ virtutis, & Sanctitatis perſonas extitit eximia, atque venerabilis Virgo Beata Catharina de Senis, affectionem gerimus ſpecialem, de Omnipotentis Dei Miſericordia, glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, Matris ejus, & B. B. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus meritis, & auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, tam noſtræ, quam alterius cujuſcumque Diœceſis, qui dictum Ordinem, cum intentione in eodem profitendi, fuerint ingreſſi, pro ipſorum introitu, & profeſſione, ac etiam tam ipſis, quam perſonis aliis, quæ Capitulo dictorum Fratrum, aut Sororum, quod habent menſe quolibet ſecundum ſuæ Regulæ tenorem regulariter celebrari, intereſſe curaverint, atque hominibus, qui Fratribus, & mulieribus, quæ Sororibus dicti Ordinis agrotantibus, ſive indigentibus, pie Charitatis obſequia procuraverint, nec non & omnibus, qui exequiis eorumdem Fratrum, ſive Sororum decedentium perſonaliter interfuerint, quadraginta dies Indulgentiarum eis, & cuilibet prædictorum pro vice qualibet actuum hujusmodi, de injuncta, & debita ſibi pœnitentia miſericorditer, & liberaliter in Domino relaxamus; dummodo, quantum ad diœceſes alias, Diœceſani, in cujus Diœceſi fieri præſata occur-

cur-

currerint, voluntas intervenerit, & conſenſus. De quo conſenſu quantum ad Venerabiles Dominos Epiſcopos Caſtellanum, & Torcellanum nobis conſtat ad plenum, qui eorumdem ſolemnes ſuper id literas vidimus, in quibus præfatum aſſenſum plenarie & liberaliter largiuntur. In quorum omnium teſtimonium has literas fieri, noſtrique pontificalis Sigilli appenſione juſſimus communiri. Datum Clugiæ in noſtro Epiſcopali Palatio Anno Domini M.cccc.vi. Indictione quartadecima, die decimaſeptima menſis Februarii. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Innocentii, Divina Providentia Papæ VII. Anno Secundo.

Item alia habita fuit eodem menſe & anno, a ſæpedicto Epiſcopo Caſtellano quaſi ejusdem tenoris cum ſupradicta. Cujus tenor talis eſt, videlicet:

Franciſcus Bembo, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Caſtellanus. Univerſis, & ſingulis Chriſtifidelibus, per Civitatem Venetiarum, ac totam noſtram Caſtellanam Diœceſim conſtitutis, ſalutem in Domino ſempiternam. Si juxta ſententiam Sapientis inter tempus ſeminandi diſcernimus, & metendi, id ſeminare debemus in terris, quod cum multiplicato fructu colligere valeamus in Cœlis, firmam ſpem, fiduciamque tenentes, quod qui parce ſeminat, parce, & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam. Cum igitur non ſolum ex nobis, ſed etiam, prout Venerabilis Patris Fratris Thomæ de Senis, Conventus SS. Johannis, & Pauli de Venetiis, Ordinis Prædicatorum, nobis in amicitiis ſpecialiter Chriſti glutino copulati, fide digna relatione percepimus, ſint nonnullæ utriusque ſexus perſonæ, quæ, ſpretis mundanis illecebris, intrando, ſeu ingredi diſponendo Ordinem Pœnitentiæ B. Dominici, per Sedem Apoſtolicam multipliciter approbatum, & ſolemniter confirmatum, de quo Ordine inter alias ejusdem Ordinis perſonas, Deo devotas, & Sanctas, extitit nobis præcipua in Chriſto devota, admirabilis, atque inſignis Virgo, B. Catharina de Senis, prout plenarie nobis, qui dictæ Confirmationis Privilegium, nec non & alia ſcripta, atque immunitatis privilegia Ordinis ejusdem perſonaliter vidimus, & aſcultavimus, conſtat, elegerint in eodem Ordine Domino famulari, ut videlicet per hoc, & alia bona, quæ, Domino

in-

inſpirante, fecerint, habilius poſſint ad æternæ felicitatis gaudia pervenire; Hinc eſt, quod nos, qui ex debito paſtoralis Officii animarum profectibus invigilare debemus, & qui ad ipſum præfatum Ordinem de Pœnitentia B. Dominici tam intuitu Ordinis Prædicatorum, & ipſius B. Dominici, quam etiam Sacræ Virginis prælibatæ præcipua devotione afficimur; de Omnipotentis Dei Miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus meritis, & auctoritate ordinaria, nobis conceſſa, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui prædictum Ordinem, cum intentione profitendi intraverint, in eorum introitu, & profeſſione, ac etiam tam ipſis, quam cæteris perſonis aliis, quæ Capitulo Fratrum, aut Sororum dicti Ordinis, quod menſe quolibet celebratur, intererint. Et viris, qui dictis Fratribus, in neceſſitatibus conſtitutis, mulieribusque, quæ Sororibus, indigentia, ſeu ægritudine ſpeciali oppreſſis, manus ſubventrices porrexerint, nec non & omnibus, qui exequiis eorumdem Fratrum, ſive Sororum perſonaliter interfuerint, quadraginta dies Indulgentiarum eis, & cuilibet prædictorum vice qualibet actuum hujusmodi de injuncta, ſeu debita ſibi pœnitentia miſericorditer in Domino relaxamus. Aſſenſum præbentes, & admittentes omnes, & ſingulas Indulgentias, quas quicumque Epiſcopi perſonis ſupradictis duxerint largiendas. In quorum omnium teſtimonium præſentes &c. ut ſupra. Datum Venetiis &c. M.CCCC.VI. Indictione quartadecima die vigeſima menſis Februarii. Pontificatus &c. Innocentii, Divina Providentia Papæ VII. Anno ſecundo.

Item alia habita fuit eodem menſe, & anno a Domino Epiſcopo Connavienſi. Cujus tenor talis eſt, videlicet.

Benignus, (*a*) Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Connavienſis. Univerſis Chriſtifidelibus tam noſtræ Diœceſis, quam

(*a*) *Benignus Epiſcopus Connavienſis*, ex Ordine Minorum adſumptus, ut ex ejus literis colligitur. Apud Wadingum ad ann. 1399. num. VII. vocatur *Benignus Epiſcopus Cenadienſis*. Sedes hæc ignota eſt mihi. Apud Pontanam in Theatro legitur *Epiſcopus Canadienſis*: notatque Bremondus in Appendice ad Bullas Pii IV. extare Urbem *Chanad* in Hungaria ſub Archiepiſcopo Colocienſi. Alii vocant *Cſonadinum*, & *Chanadinum*. Apud Lequienum Tomo III. in Oriente Chriſtiano recenſetur *Eccleſia Candaviæ* vel *Canoviæ* in Albania.

quam quarumcumque aliarum, ad quos literæ præſentes pervenerint, Salutem in Domino ſempiternam.

Religioſis perſonis per nos, qui ex Officio paſtoralis Curæ ſaluti animarum debemus intendere, eo omnis ſpiritualis favor eſt benignius impendendus, quo Domino liberiorem virtutum valeant reddere famulatum, atque certæ perſonæ ad Religionem procliviores reddantur, quatenus per hoc, & alia pia opera augmentatis meritis, augmententur & præmia. Cum igitur nuper ex parte Prioris Fratrum, & Priorissæ Sororum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, de quo Ordine inter nonnullas præcipuæ Sanctitatis perſonas fuiſſe dignoſcitur Venerabilis, & inſignis Virgo, B. Catharina de Senis, & qui Ordo exſtat per Sedem Apoſtolicam confirmatus, prout nobis, qui Privilegium dictæ confirmationis, & plurima ſcripta præfatæ Virginis, ac etiam quamplurima immunitatis Privilegia ejuſdem Ordinis vidimus, & diligenter inſpeximus, plene conſtat, fuerit nobis humiliter ſupplicatum, ut tam dictum Ordinem intrantibus, profitentibus, & ipſum proſequentibus, quam etiam eidem Ordini, ſive perſonis ejuſdem faventibus, & affectis aliquas dignaremur Indulgentias elargiri: Nos itaque deſiderantes religionis, & divinorum cultum non ſolum fovere, ſed etiam multipliciter augeri, conſiderantesque mutuam, ac præcipuam in Domino Charitatem, quæ inter filios B. Dominici, & B. Franciſci debet præcipue reperiri quemadmodum in dictis Patribus exſtitit, & ita mandaverunt a ſuis poſteris in perpetuum obſervari; hinc eſt, quod, cum nos fuerimus de Ordine Minorum Sancti Franciſci ad Præſulatus apicem ſublimati, ultra alia ſupradicta, etiam intuitu præfatæ Charitatis ſpecialiter obſervandæ, ac etiam demoſtrandæ, ſupradictis ſupplicationibus tam affectanter, quam etiam lætanter annuimus. Cupientesque efficaciter, ſupradictum Ordinem de Pœnitentia B. Dominici, noſtro tertii Ordinis S. Franciſci conſimilem, congruis honoribus frequentari, & quod de bono in melius augmentetur, & creſcat; de Omnipotentis Dei Miſericordia, & BB. Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus meritis, & auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui dictum Ordinem de Pœnitentia B. Dominici intraverint, profeſſionem in eo fecerint; & non ſolum ipſis, ſed aliis, qui Capitulo Fratrum,

aut

aut Sororum, quod menſe quolibet regulariter debet celebrari, intererint, & hominibus ſubvenientibus Fratribus, & mulieribus, quæ Sororibus in opportunis manus adjutrices porrexerint, ac omnibus, qui in eorumdem exequiis interſuerint, quadraginta dies indulgentiarum pro actu quolibet ſupradicto de injuncta, ſeu debita eis pœnitentia miſericorditer relaxamus. Et hoc non ſolum perſonis noſtræ Diœceſis, ſed etiam Caſtellanæ, Torcellanæ, Clugienſis, & aliis quarumcumque Diœceſum, præſata pietatis opera proſequentibus, dummodo Diœceſanorum eorumdem voluntas ad id intervenerit, & conſenſus: de quo conſenſu quantum ad Diœceſanos dictarum Diœceſum plene conſtat, præbentes & nos aſſenſum, & admittentes omnes Indulgentias, quas quicumque Epiſcopi ex ſupradictis piis cauſis concedere perſonis noſtræ Diœceſis dignarentur. In quorum omnium teſtimonium has patentes literas fieri fecimus, & noſtri Pontificalis ſigilli appenſione juſſimus communiri. Datum Venetiis in Domo noſtræ habitationis Sancti Johannis Chryſoſtomi Anno Domini MCCCCVI. Indictione quartadecima, die vigeſimaſecunda menſis Februarii. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Innocentii, Divina Providentia Papæ VII. Anno Secundo.

Item alia habita fuit de menſe Martii ejuſdem anni a Domino Archiepiſcopo Cretenſi, cujus tenor talis eſt, videlicet:

Franciſcus (*a*) Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Cretenſis, Univerſis Chriſtifidelibus tam noſtræ Provinciæ, quam quarumcumque aliarum, ad quos literæ præſentes pervenerint, Salutem in Domino Sempiternam. Quoniam a creaturarum exordio, Divino eloquio, & ſacro canone referentibus, novimus, Religionem quamlibet Sanctam a Deo, & Sanctis, ac Apoſtolicis viris piis favoribus roboratam, ac etiam ſublimatam, atque promotam; hinc eſt, quod nos, qui etiam ex debito paſtoralis officii ad idem ſpe-

(*a*) Sine cognomine legitur etiam apud Lequienium, *Franciſcus Archiepiſcopus Cretæ*. Michaelis Steno Ducis Venetiarum literæ ſuperius memoratæ lit. *a* pag. 95. produnt, eſſe *Franciſcum Pavonum* ſeu *de Pavonibus*, *quia erat Epiſcopus Chironenſis* (Spinalonga lit. *a* pag. 79.) *translatus ad Archiepiſcopatum Cretenſem*. His etiam utitur verbis Lequienius in Epiſcopis Chironenſibus. Congruit nota habitationis quæ dicitur *de Cha Pavone*.

quam quarumcumque aliarum, ad quos literæ præſentes pervenerint, Salutem in Domino ſempiternam.

Religioſis perſonis per nos, qui ex Officio paſtoralis Curæ ſaluti animarum debemus intendere, eo omnis ſpiritualis favor eſt benignius impendendus, quo Domino liberiorem virtutum valeant reddere famulatum, atque certæ perſonæ ad Religionem procliviores reddantur, quatenus per hoc, & alia pia opera augmentatis meritis, augmententur & præmia. Cum igitur nuper ex parte Prioris Fratrum, & Priorissæ Sororum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, de quo Ordine inter nonnullas præcipuæ Sanctitatis perſonas fuiſſe dignoſcitur Venerabilis, & inſignis Virgo, B. Catharina de Senis, & qui Ordo exſtat per Sedem Apoſtolicam confirmatus, prout nobis, qui Privilegium dictæ confirmationis, & plurima ſcripta præfatæ Virginis, ac etiam quamplurima immunitatis Privilegia ejusdem Ordinis vidimus, & diligenter inſpeximus, plene conſtat, fuerit nobis humiliter ſupplicatum, ut tam dictum Ordinem intrantibus, profitentibus, & ipſum proſequentibus, quam etiam eidem Ordini, ſive perſonis ejusdem faventibus, & affectis aliquas dignaremur Indulgentias elargiri: Nos itaque deſiderantes religionis, & divinorum cultum non ſolum fovere, ſed etiam multipliciter augeri, conſiderantesque mutuam, ac præcipuam in Domino Charitatem, quæ inter filios B. Dominici, & B. Franciſci debet præcipue reperiri quemadmodum in dictis Patribus exſtitit, & ita mandaverunt a ſuis poſteris in perpetuum obſervari; hinc eſt, quod, cum nos fuerimus de Ordine Minorum Sancti Franciſci ad Præſulatus apicem ſublimati, ultra alia ſupradicta, etiam intuitu præfatæ Charitatis ſpecialiter obſervandæ, ac etiam demoſtrandæ, ſupradictis ſupplicationibus tam affectanter, quam etiam lætanter annuimus. Cupientesque efficaciter, ſupradictum Ordinem de Pœnitentia B. Dominici, noſtro tertii Ordinis S. Franciſci conſimilem, congruis honoribus frequentari, & quod de bono in melius augmentetur, & creſcat; de Omnipotentis Dei Miſericordia, & BB. Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus meritis, & auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui dictum Ordinem de Pœnitentia B. Dominici intraverint, profeſſionem in eo fecerint; & non ſolum ipſis, ſed aliis, qui Capitulo Fratrum,

aut

aut Sororum, quod menſe quolibet regulariter debet celebrari, intererint, & hominibus ſubvenientibus Fratribus, & mulieribus, quæ Sororibus in opportunis manus adjutrices porrexerint, ac omnibus, qui in eorumdem exequiis interſuerint, quadraginta dies indulgentiarum pro actu quolibet ſupradicto de injuncta, ſeu debita eis pœnitentia miſericorditer relaxamus. Et hoc non ſolum perſonis noſtræ Diœceſis, ſed etiam Caſtellanæ, Torcellanæ, Clugienſis, & aliis quarumcumque Diœceſum, præſata pietatis opera proſequentibus, dummodo Diœceſanorum eorumdem voluntas ad id intervenerit, & conſenſus: de quo conſenſu quantum ad Diœceſanos dictarum Diœceſum plene conſtat, præbentes & nos aſſenſum, & admittentes omnes Indulgentias, quas quicumque Epiſcopi ex ſupradictis piis cauſis concedere perſonis noſtræ Diœceſis dignarentur. In quorum omnium teſtimonium has patentes literas fieri fecimus, & noſtri Pontificalis ſigilli appenſione juſſimus communiri. Datum Venetiis in Domo noſtræ habitationis Sancti Johannis Chryſoſtomi Anno Domini MCCCCVI. Indictione quartadecima, die vigeſimaſecunda menſis Februarii. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Innocentii, Divina Providentia Papæ VII. Anno Secundo.

Item alia habita fuit de menſe Martii ejuſdem anni a Domino Archiepiſcopo Cretenſi, cujus tenor talis eſt, videlicet:

Franciſcus (*a*) Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Cretenſis, Univerſis Chriſtifidelibus tam noſtræ Provinciæ, quam quarumcumque aliarum, ad quos literæ præſentes pervenerint, Salutem in Domino Sempiternam. Quoniam a creaturarum exordio, Divino eloquio, & ſacro canone referentibus, novimus, Religionem quamlibet Sanctam a Deo, & Sanctis, ac Apoſtolicis viris piis favoribus roboratam, ac etiam ſublimatam, atque promotam; hinc eſt, quod nos, qui etiam ex debito paſtoralis officii ad idem ſpe-

(*a*) Sine cognomine legitur etiam apud Lequienium, *Franciſcus Archiepiſcopus Cretæ*. Michaelis Steno Ducis Venetiarum literæ ſuperius memoratæ lit. *a* pag.95. produnt, eſſe *Franciſcum Pavonum* ſeu *de Pavonibus*, *quia erat Epiſcopus Chironenſis* (Spinalonga lit. *a* pag. 79.) *translatus ad Archiepiſcopatum Cretenſem*. His etiam utitur verbis Lequienius in Epiſcopis Chironenſibus. Congruit nota habitationis quæ dicitur *de Cha Pavone*.

cialiter obligamur, quantum valemus, eorum devotis veſtigiis inhærentes, ut Religio Fratrum, & Sororum Ordinis de Pœnitentia S. Dominici, a Sede Apoſtolica ſolemniter confirmata, prout nobis, qui dictæ confirmationis, ac alia ejusdem Ordinis immunitatis Privilegia vidimus, plenarie conſtat, cui Religioni & Ordini devotione ſpeciali afficimur; & de quo Ordine inter alias ſanctas, & eximiæ virtutis perſonas extitit inſignis, & admirabilis virgo, B. Catharina de Senis, continuum de bono in melius recipiat incrementum, affectamus præcipue, tam ipſum Ordinem & Religionem, quam perſonas ejusdem proſequi beneficiis gratioſis. Ea propter cum nuper nobis ex parte Prioris Fratrum, & Prioriſſæ Sororum dicti Ordinis de Pœnitentia B. Dominici fuerit humiliter ſupplicatum, quatenus pro ejusdem Ordinis & Religionis ampliori promotione, & perſonarum ipſius Ordinis amplianda devotione, aliquas Indulgentias concedere dignaremur; hujusmodi piis ſupplicationibus inclinati, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus meritis, & auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui dictum Ordinem intraverint, profeſſi in eodem fuerint; & non ſolum ipſis, ſed etiam quibuscumque aliis perſonis, quæ Capitulis ipſorum Fratrum, aut Sororum, quæ menſe quolibet celebrantur, interfuerint, & omnibus viris, qui ipſis Fratribus, & mulieribus, quæ ipſis Sororibus, in neceſſitate, aut infirmitate conſtitutis, obſequia charitatis impenderint; nec non & cunctis, qui dictorum Fratrum, aut Sororum exequiis præſentes extiterint, quadraginta dies Indulgentiarum de injuncta, ſeu debita eis pœnitentia pro actu quolibet ſupradicto miſericorditer in Domino relaxamus. Concedentes hoc beneficium non ſolum perſonis noſtræ Provinciæ, & nobis ſubjectis, ſed etiam perſonis quarumcumque Diœceſum dictæ ſanctitatis, devotionis, & pietatis opera, ut dictum eſt, proſequentibus, dummodo Diœceſanorum eorumdem ad id voluntas intervenerit, & conſenſus. De quo conſenſu quantum ad Diœceſanos Caſtellanum, Torcellanum, Clugienſem, Connavienſem, & Aghinenſem plenarie nobis conſtat, qui ſuper id literas ſolemnes vidimus eorumdem. In quorum omnium teſtimonium has patentes literas fieri fecimus, & ipſas noſtri Pontificalis ſigilli appen-

appenſione juſſimus communiri. Datum Venetiis in Domo noſtræ habitationis, quæ dicitur da cha Pavone de Contrata S. Martialis Anno Domini M.CCCC.VI. Indictione quartadecima, & die duodecima menſis Martii. Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Innocentii, Divina Providentia Papæ VII. Anno Secundo.

Item alia habita fuit dicto menſe, & anno a Domino Epiſcopo Aghinenſi; Cujus tenor talis eſt, videlicet:

Andreas Bono, (a) Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Aghinenſis, Univerſis Chriſtifidelibus, non ſolum per noſtram Diœceſim, ſed & ubilibet conſtitutis, Salutem in Domino Sempiternam.

Exigit tam noſtræ primordialis profeſſionis, noſtrique officii paſtorale debitum &c. Datum Venetiis in Domo noſtræ habitationis, quæ dicitur de cha Bono in Contrata S. Margharitæ Anno Domini M.CCCC.VI. Indictione quartadecima die vigeſimaquarta menſis Martii. Pontificatus &c. Innocentii divina Providentia Papæ VII. Anno Secundo. Prout in Bull. Ord. Præd. Tom. II. pag. 481.

Item alia habita fuit de menſe Aprilis dicti anni a Domino Patriarcha Alexandrino; cujus tenor talis eſt, videlicet:

Leonardus, (b) Miſeratione divina Patriarcha Alexandrinus. Univerſis Chriſtifidelibus tam Caſtellanæ diœceſis, quam quarumcumque aliarum Diœceſum, & Provinciarum, ad quos literæ præſentes pervenerint, Salutem in Domino ſempiternam.

Volentes, quantum ſub Deo poſſumus, ipſum Deum largitorem omnium gratiarum juxta noſtrum modulum imitari; hinc eſt, quod, cum afficiamur præcipue tam ad Religionem Fratrum Prædicatorum, quam etiam ad Ordinem Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, per Sedem Apoſtolicam confirmatum, prout nobis plene conſtat, qui non ſolum dictæ confirmationis Privilegium, ſed etiam plura alia

(a) Andreas Bono, Epiſcopus *Aghinenſis*, vel *Agienſis*, & *Agrienſis*, in Inſula Creta. Sedes eſt Epiſcopalis unita *Cydonienſi*, adnotante Lequienio.

(b) *Leonardus*, (nempe *Delphinus* Patricius Venetus,) *Patriarcha Alexandrinus*, anno 1401. renunciatus. Hiſce Inſulis adhuc potiebatur *anno Domini* 1406. *Indictione quartadecima*, *die quinta Menſis Aprilis*; cum ejus literæ, hoc loco deſcriptæ, datæ ſunt.

ejusdem Ordinis immunitatis Privilegia, nec non & miranda quædam ſcripta cujusdam admirabilis Virginis, videlicet B. Catharinæ de Senis, quæ inter alias eximiæ virtutis, & ſanctitatis perſonas, dicti Ordinis Soror extitiſſe dignoſcitur, vidimus, & diligenter inſpeximus. Hoc etiam paſtoralis officii debito requirente, & ipſo præfato Ordine idipſum plurimum promerente, intendimus tam ſpecialibus, quam ſpiritualibus beneficiis, atque donis ipſum dictum Ordinem pro incremento ejusdem proſequi gratioſis. Cum igitur nuper pro parte Prioris Fratrum, & Prioriſſæ Sororum præfati Ordinis de Pœnitentia S. Dominici nobis fuerit humiliter ſupplicatum, quatenus in promotionem ejusdem tam perſonis ipſius Ordinis, quam etiam aliis, in Domino eisdem ſignanter affectis, aliquas Indulgentias concedere dignaremur: Hujusmodi ſupplicationibus inclinati, cupientesque, ſupradictum Ordinem de bono in melius ſuſcipere incrementum; de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli ejus meritis, & auctoritate confiſi, Omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis non ſolum Caſtellanæ Diœceſis, ſed etiam perſonis quarumcumque Diœceſum & Provinciarum, quæ ſæpedictum Ordinem de Pœnitentia B. Dominici intraverint, profeſſionem in eodem fecerint, & omnibus, & ſingulis perſonis, quæ Capitulis eorumdem Fratrum, aut Sororum, menſe quolibet ſecundum ipſorum Regulam celebrandis, interfuerint; nec non & viris, qui ipſis Fratribus, & mulieribus, quæ Sororibus, in infirmitate, aut indigentia conſtitutis, charitatis obſequia exhibere curaverint, ac etiam cunctis, qui eorumdem Fratrum, aut Sororum exequiis præſentes extiterint, quadraginta dies Indulgentiarum pro actu quolibet ſupradicto eis, & cuilibet prædictorum de injuncta, ſeu debita ſibi pœnitentia miſericorditer in Domino relaxamus; dummodo ſuper hoc Diœceſanorum, aut Prælatorum perſonarum, hujusmodi opera proſequentium, voluntas interveniat, & conſenſus. De quo conſenſu, quantum ad Prælatos, & Diœceſanos quamplures, utpote Cretenſem, Caſtellanum, Torcellanum, Clugienſem, Connavienſem, & Aghinenſem plene conſtat, qui literas patentes, præfatum conſenſum liberaliter exprimentes vidimus eorumdem. In quorum omnium teſtimonium has literas fieri fecimus, & noſtri Pontificalis ſigilli juſſimus appenſione mu-

muniri. Datum Venetiis in Domo noſtræ habitationis, quæ dicitur de Domo Delfino de Contrata S. Pantaleonis Anno Domini MCCCCVI. Indictione quartadecima die quinta menſis Aprilis. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Innocentii, Divina Providentia Papæ VII. Anno Secundo.

Item alia habita fuit de menſe Auguſti ejusdem anni a Domino Archiepiſcopo Thebano: Cujus tenor talis eſt, videlicet:

Bernardus, (*a*) Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Thebanus, Univerſis Chriſtifidelibus tam noſtræ Provinciæ, quam quarumcumque aliarum, ad quos literæ præſentes pervenerint, Salutem in Domino Sempiternam.

Splendor paternæ gloriæ, qui ſua Mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium, de clementiſſima ipſius Majeſtate ſperantium, tunc præcipue benigno favore proſequitur, cum per vota ipſorum ob amorem ipſius Domini, Ordo, ſeu Religio quævis Sancta, & approbata adſumitur. Cum igitur pro parte Prioris Fratrum, & Prioriſſæ Sororum Ordinis & Religionis de Pœnitentia B. Dominici nobis humiliter fuerit ſupplicatum, quatenus in favorem divini cultus, ipſiusque præfatæ Religionis, aliquas elargiri Indulgentias tam perſonis dictæ Religionis, quam etiam aliis, eisdem affectis, in Domino dignaremur: Hujusmodi, ex ſupradictis cauſis, ſupplicationibus merito inclinati, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui dictam Religionem intraverint, & in eadem profeſſi fuerint, & tam eis, quam aliis, qui in eorumdem Capitulis, quæ menſe quolibet ſecundum ipſorum Regulam celebrantur, interfuerint, nec non & omnibus viris, qui Fratribus, & omnibus mulieribus, quæ Sororibus Religionis hujusmodi in neceſſitatibus eorumdem Charitatis obſequia exhibuerint, ac etiam cunctis, qui in exequiis perſonarum præfatæ Religionis præſentes extiterint, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus meritis, & auctoritate confiſi, quadraginta dies Indulgentia-

tia-

(*a*) *Bernardus, Archiepiſcopus Thebanus*, deſideratur apud Lequienium. Inſulas geſtabat *anno* 1406. *& die decima Auguſti*, ut ex ejus literis colligitur. *Venetiis* degebat domi ſuæ juxta Sanctum Julianum.

tiarum de injuncta, ſeu debita eis pœnitentia pro actu quolibet ſupradicto miſericorditer in Domino relaxamus. Concedentes hanc gratiam non ſolum perſonis noſtræ Provinciæ, & nobis ſubjectis, ſed etiam perſonis quarumcumque Diœceſum, dicta pietatis Opera, ut dictum eſt, proſequentibus, dummodo Diœceſani eorumdem ad hoc voluntatem præbuerint, & aſſenſum. De quo conſenſu, quantum ad Patriarcham Alexandrinum, Archiepiſcopum Cretenſem, & Diœceſanos, Caſtellanum, Torcellanum, Clugienſem, Connavienſem, & Aghinenſem plenarie nobis conſtat, qui ſuper id literas ſolemnes vidimus eorumdem. In quorum omnium teſtimonium has patentes literas fieri fecimus, & noſtri Pontificalis Sigilli juſſimus appenſione muniri. Datum Venetiis in domo noſtræ habitationis juxta S. Julianum. Anno Domini M.CCCC.VI. Indictione quartadecima & die decima Auguſti. Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Domini Innocentii, divina Providentia Papæ VII. Anno Secundo.

Item alia habita fuit de menſe Septembris dicti anni a Domino Patriarcha Gradenſi; cujus tenor talis eſt, videlicet:

Johannes, (*a*) miſeratione divina Gradenſis Eccleſiæ Patriarcha, Venetiarum, Dalmatiæque Primas, Omnibus Chriſtifidelibus, præſentes literas inſpecturis, Salutem in Domino Sempiternam.

Paſtoralis regiminis, cujus onera, Deo volente, gerimus, licet immeriti, nos cura inter alia cuncta ſollicitat, ut ſubditorum, aliorumque Chriſtifidelium animos erga quæque virtutis opera, & præſertim ad ampliationem, atque promotionem cultus cujuſcumque Sacræ, & approbatæ Religionis pertinentia, incitemus, ac etiam exhortemur in Domino, quatenus per hujuſmodi, & alia pietatis obſequia, quæ, Domino cooperante, fuerint proſequuti, valeant habilius æternæ mercedis præmia reportare. Cum ergo pro parte Prioris Fratrum, & Prioriſſæ Sororum Ordinis, & Religionis de Pœnitentia S. Dominici, de quo Ordine inter nonnullas præcipuæ Sanctitatis perſonas novimus extitiſſe admirabilem Virginem, B. Catharinam de Senis, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut

(*a*) *Joannes* (ſcilicet *de Zambottis*,) *Patriarcha Gradenſis*. De quo ad Eccleſiam S. Silveſtri.

ut in favorem divini cultus, ipſiusque prænominatæ Religionis per Sedem Apoſtolicam approbatæ, & ſolemniter confirmatæ, de bono in melius incrementum, tam perſonis ejusdem præfatæ Religionis, quam etiam affectis eisdem aliquas certas elargiri Indulgentias in Domino dignaremur. Hujusmodi ſupplicationibus, ex talibus ſupradictis cauſis merito inclinati, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui dictam Religionem intraverint, & in eadem profeſſi fuerint, & tam eis, quam aliis, qui in eorumdem Capitulis, quæ menſe quolibet ſecundum ipſorum Regulam celebrantur, interfuerint, nec non & omnibus viris, qui Fratres, & omnibus mulieribus, quæ Sorores Religionis hujusmodi in neceſſitatibus eorumdem charitatis obſequia exhibuerint, ac etiam cunctis, qui in exequiis perſonarum defunctarum præfatæ Religionis præſentes extiterint, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus meritis, & auctoritate confiſi, quadraginta dies Indulgentiarum de injuncta, ſeu debita eis pœnitentia pro actu quolibet ſupradictorum miſericorditer in Domino relaxamus. Concedentes hanc gratiam non ſolum perſonis noſtræ Provinciæ, & nobis ſubditis, ſed etiam perſonis quarumcumque Diœceſum, dictæ pietatis opera, prout dictum eſt, proſequentibus, dummodo Prælati, & Diœceſani earumdem ad hoc voluntatem præbuerint, & conſenſum. Quantum ad Venerabiles Dominos, atque Prælatos, Dominum Petrum, Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem, & in Patriarchatibus Aquilejenſi, & Gradenſi, & Mediolanenſi, ac Januenſi Provinciis Legatum de Latere Sedis Apoſtolicæ deſignatum, & Dominum Patriarcham Alexandrinum, Dominos Archiepiſcopos Cretenſem, & Thebanum, & Dominos Diœceſanos Caſtellanum, Torcellanum, Clugienſem, Connavienſem, ac Aghinenſem plenarie nobis conſtat, qui ſuper id literas ſolemnes vidimus eorumdem. In quorum omnium teſtimonium has patentes literas fieri fecimus, noſtrique Pontificalis Sigilli appenſione juſſimus communiri. Datum Venetiis M.CCCC.VI. Indictione quartadecima, & die vigeſimaquarta menſis Septembris; Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Innocentii, Divina Providentia Papæ VII. Anno Secundo.

Item

Item alia habita fuit de menſe Decembris dicti anni a Domino Epiſcopo Veronenſi, cujus tenor talis eſt, videlicet:

Angelus Barbarigho, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Veronenſis, Univerſis Chriſtifidelibus, præſentes literas inſpecturis, Salutem, & pacem in Domino Sempiternam.

Cum nos inferiores Prælati inſtituta Summi Pontificis, Sedisque Apoſtolicæ debeamus merito revereri, ac etiam in conſervationem, atque promotionem eorumdem deceat, nos omnem congruum, & debitum favorem impendere; præſertim quando talia ſunt, quæ augmentum Divini cultus & Sanctæ Religionis concernere dignoſcuntur: Sicque nobis pro parte Prioris Fratrum, & Priorissæ Sororum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici tam approbati, quam etiam per eamdem Sedem Apoſtolicam ſolemniter confirmati, prout nobis, qui ſuper id Bullam ipſius Sedis Apoſtolicæ perſonaliter vidimus, & in manibus propriis habuimus, conſtat, humiliter ſupplicatum, quatenus tam perſonis dicti Ordinis, quam aliis, eisdem affectis, ad præfati Ordinis augumentum aliquas Indulgentias elargiri benigniter dignaremur: Hinc eſt, quod tam intuitu omnium ſupradictorum, quam etiam reſpectu cujusdam admirabilis Virginis, B. Catharinæ de Senis, cujus vitam eximiam, doctrinamque perſpicuam in parte legimus, & quæ inter alias præcipuæ Sanctitatis perſonas Soror dicti Ordinis extitit; hujusmodi præfatis ſupplicationibus rationabiliter inclinati, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus, meritis, & auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ad noſtram Diœceſim pertinentibus, qui, vel quæ dictum Ordinem intrare, & in eodem profiteri, Deo dante, decreverint, ac tam ipſis, quam etiam aliis, qui, vel quæ Capitulis, ſecundum dicti Ordinis Inſtituta menſe quolibet celebrandis, interfuerint, & viris, qui Fratribus, & mulieribus, quæ Sororibus debitæ charitatis obſequia exhibuerint, nec non & omnibus, qui, vel quæ exequiis perſonarum defunctarum ejusdem Ordinis perſonaliter interferint, pro actu quolibet prædictorum quadraginta dies Indulgentiarum de injuncta, ſeu debita eis pœnitentia miſericorditer in Domino relaxamus. Et non ſolum id concedimus ſupradictis noſtræ Diœceſis, ſed etiam perſonis quarumcumque aliarum Diœceſum, vel Provin-

vinciarum, dicta pietatis opera executioni mandantibus, ut præfertur: Et hoc, dummodo Prælatorum ipſarum ad hoc intervenerit voluntas, ſive conſenſus. In quo conſenſu conſtat omnes Prælatos infraſcriptos conformiter convenire, cum eorumdem litteras ſolemnes perſonaliter conſpeximus, dictum conſenſum plenarie continentes: Dominos videlicet, Petrum, Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem, ac in Patriarchatibus Aquilejenſi, & Gradenſi, & Mediolanenſi, ac Januenſi Provinciis Legatum de Latere Sedis Apoſtolicæ deſtinatum; Leonardum, Patriarcham Alexandrinum; Johannem, Patriarcham Gradenſem; Franciſcum, Archiepiſcopum Cretenſem; Bernardum, Archiepiſcopum Thebanum; ac etiam Diœceſanos Caſtellanum, Torcellanum, Clugienſem, Connavienſem, & Aghinenſem. In quorum omnium teſtimonium has ſolemnes, & patentes literas fieri fecimus, & noſtri Pontificalis ſigilli appenſione juſſimus communiri. Datum Venetiis, in loco habitationis S. Silveſtri Patriarchatus Gradenſis Anno Domini Mccccvi. die.... menſis Decembris. Indictione quartadecima. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Gregorii, Divina Providentia Papæ XII. (*a*) Anno primo.

Conſequenter circa finem anni Mccccvi. videlicet penultima die menſis Novembris, cum Innocentius Papa VII. ſupradictus deceſſiſſet die .... menſis ejusdem, Pontificatus ſui Anno Secundo; electus eſt in Papam ſupra ſæpius nominatus Dominus Angelus Corrario de Venetiis, qui prius cum fuiſſet Epiſcopus Caſtellanus, poſtea Patriarcha Conſtantinopolitanus, & deinde a dicto Papa Innocentio Cardinalis creatus, ad Summi Præſulatus apicem, ut ſuperius etiam dicebatur, extitit ſublimatus, & Gregorius XII. appellatus. Qui poſt ſchisma peſtiferum præ cæteris ſuis Anteceſſoribus oſtendit, ſe per omnia fore diſpoſitum usque ad renunciationem Papatus pro univerſali Eccleſiæ unione, idipſum promittendo, & aſſerendo, nec non & juramentum interponendo, de quibus apparent alibi copiæ inſtrumentorum, & literarum,

 &etiam

(*a*) Innocentio VII. e vita ſublato ſucceſſit *Angelus Corrarius*, anno 1406. electus, die 30. Novembris, ut aliqui putant, vel die 2. Decembris, ut Pagius in Breviario poſt Raynaldum.

& etiam literæ in parte conſimiles alterius pro Papa Benedicto XIII. ſe gerente. Cum autem procederet annus Milleſimus quadringenteſimus ſeptimus, ego inter alia direxi unum de ſupradictis inſinuatum cum libello de copia, & privilegiis Conventui Urbevetano Provinciæ Romanæ. Transmiſi etiam quinque ſimilia ſupradicto Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, apud Bononiam tunc ibidem celebranti Capitulum Generale, per ipſum tradenda Provinciali Ordinis extra Italiam. Et conſequenter tradidi ego unum Provinciali Dalmatiæ in Octavis B. Dominici Patris noſtri, ac etiam ordinavi quod alia . . . inſinuata, ſupradictis ſimilia, de Curia ſupradicti Epiſcopi Caſtellani, ut ſic poſſet habiliter, prout foret expediens, hinc inde transmitti.

Adveniente autem Venetiis Archiepiſcopo Soltanienſi, de quo circa medium iſtius Operis ſupra facta eſt mentio, ſupplicavi ſibi de menſe Junii, quatenus eidem placeret concedere iſtis de Pœnitentia B. Dominici eaſdem Indulgentias; quas eis Prælati ſupradicti conceſſerunt. Et ita dignatus eſt facere. Cujus tenor talis eſt, videlicet:

Johannes, (*a*) Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Soltanienſis, ſive totius Orientis, Univerſis Chriſtifidelibus tam noſtræ magnæ Provinciæ, quam quarumcumque aliarum Diœceſum, & Provinciarum, ad quos literæ præſentes pervenerint, Salutem in Domino ſempiternam.

Quoniam præcipuum, & ſpeciale debitum charitatis amplius urget, quam ſolummodo generale; hinc eſt, quod tam ex debito paſtoralis officii, quam ex noſtræ profeſſionis primevæ, quam in Ordine ſacro Prædicatorum fecimus, de quo, divina diſpenſante Clementia, fuimus ad Archiepiſcopatus apicem ſublimati, non ſolum erga Fratres, & Sanctimoniales Ordinis antedicti, ſed etiam erga Fratres, & Sorores, qui, & quæ Ordinis de Pœnitentia B. Dominici nuncupantur. (Qui Ordo eſt per Sedem Apoſtolicam approbatus, & confirmatus, prout nobis plene conſtat, qui Privilegium dictæ confirmationis cum Papali Bulla perſonaliter vidimus, cum

(*a*) *Joannes, Archiepiſcopus Soltanienſis, ſive totius Orientis* in Armenia majori. Lequienium conſule. Literæ ejus datæ ſunt *Venetiis apud Conventum Sanctorum Joannis & Pauli Ordinis Prædicatorum*, anno 1407. die 13. Menſis Junii. Ejusdem Ordinis alumnum fuiſſe ex hoc documento noſcitur.

cum multis aliis privilegiis Apoſtolicis, Ordini præfato indultis,) præcipua nos cura ſollicitat, ut omnes circa illa, quæ Divinum cultum, & ſuæ Religionis augumentum concernere dignoſcuntur, congruis, & devotis favoribus proſequamur. Cum ergo pro parte Prioris Fratrum, & Priorissæ Sororum dicti Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, nobis fuerit humiliter ſupplicatum, quatenus in favorem Divini cultus, & ſuæ præfatæ Religionis, tam ipſis, quam aliis, eisdem in Domino devote affectis, aliquas elargiri Indulgentias dignaremur: cupientesque, quod ipſis Religionis, & Ordinis fraternitatis debitis honoribus frequentetur, & conſervetur, ac etiam augumentetur; præſertim ex eo, quod de dicto Ordine extitit inter alias præcipuæ Sanctitatis perſonas eximia, & admirabilis Virgo, B. Catharina de Senis, ad quam, ejusdem mirandis virtutibus attentis, per Orbem usquequaque diffuſis, præcipua devotione afficimur, hujusmodi, ex ſupradictis cauſis, ſupplicationibus merito inclinati, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui dictum Ordinem de Pœnitentia B. Dominici intraverint, fuerintque in eodem profeſſi, & etiam tam eis, quam aliis, ſibi affectis, qui in eorumdem Capitulis, quæ ſecundum eorum Inſtituta menſe quolibet celebrantur, affuerint, nec non & omnibus viris, qui Fratres, & cunctis mulieribus, quæ Sorores Religionis hujusmodi in neceſſitatibus eorumdem charitatis obſequia exhibuerint, ac etiam cunctis, qui in exequiis perſonarum ejusdem præſentes extiterint, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus, meritis, & auctoritate confiſi, quadraginta dies Indulgentiarum de injuncta, ſeu debita eis pœnitentia pro actu quolibet ſupradicto miſericorditer in Domino relaxamus. Concedentes hanc gratiam non ſolum perſonis, ad noſtram jurisdictionem pertinentibus, ſed etiam quarumcumque Diœceſum, vel Provinciarum, dictæ pietatis opera, ut dictum eſt, proſequentibus, dummodo Prælati, atque Diœceſani eorumdem, ad id voluntatem præbuerint, & conſenſum. De quo conſenſu, quantum ad Dominum Petrum, Cardinalem Baſilicæ duodecim Apoſtolorum, & tunc Legatum de Latere Innocentii Papæ VII. in nonnullis partibus Italiæ; & quantum ad Patriarchas Alexandrinum, & Gradenſem; & Archiepiſcopos Creteuſem, & Thebanum; ac Diœceſanos Caſtella-

ſtellanum, Torcellanum, Cluginum, Aghinenſem, Connavienſem, & Veronenſem plene conſtat, qui literas ſolemnes vidimus prædictorum. In quorum omnium teſtimonium præſentes literas fieri fecimus, ſigilloque, quo in noſtræ peregrinationis proceſſu utimur, impreſſione juſſimus communiri. Datum Venetiis apud Conventum SS. Johannis, & Pauli Ordinis Prædicatorum Anno a Nativitate Domini MCCCCVII. Indictione quintadecima, & die decimatertia menſis Junii. Pontificatus in Chriſto Sanctiſſimi Patris, & Domini noſtri, Domini Gregorii Papæ XII. Anno primo.

Item ſcripſi Fratri Johanni Dominici, (a) de quo ſæpe ſupra facta eſt mentio, qualiter in favorem Religionis impetrare dignaretur a dicto Domino noſtro Papa Gregorio XII. Indulgentiam plenariam omnibus utriusque ſexus, ad noſtrum Ordinem pertinentibus, & obſervantiam regularem zelantibus. Et in effectu de menſe Februarii mihi per ſuas literas intimavit, quomodo pro omnibus in obſervantia regulari in Conventibus Venetis, & Clugienſi degentibus, cum Monialibus Corporis Chriſti, impetraverat plenariam Indulgentiam ſemel in vita, cum quibus tamen perſonæ Ordinis de Pœnitentia B. Dominici minime includebantur; propter quod eidem iterum reſcripſi. Qui poſtea tam pro omnibus ſupradictis, quam etiam pro præfatis de Pœnitentia Beati Dominici, plenariam Indulgentiam in mortis articulo impetravit. Unde cum ipſe Frater Johannes Dominici Venetiis Nuncius Apoſtolicus (b) de menſe Auguſti poſtmodum de Curia adveniſſet pro cauſa unionis Eccleſiæ, antequam inde diſcederet,

(a) Joannes Dominici anno 1407. ineunte, & poſtea menſe Auguſto ejusdem anni dum Nuntius Apoſtolicus Venetias adveniſſet, ſimplici Fratris titulo notatur, ita etiam ſe ipſe Fratrem appellat nullo addito titulo in litteris, quas ſcribere fecit in Conventu SS. Joannis & Pauli de Venetiis ipſo anno 1407. die IV. menſis Auguſti in vigilia S. Dominici; Eo enim ævo Feſtum S. Dominici celebrabatur die V. Auguſti, ſed poſtmodum Paulus Papa IV. anno 1558. die VI. Auguſti, dato diplomate alligavit Feſtum S. Mariæ ad Nives ad diem V. Auguſti, aſſignavitque diem IV. ejusdem Menſis pro feſtivitate S. Dominici. De ipſius Joannis Dominici electione ad Archiepiſcopatum Raguſinum, & ad Cardinalatum Biographi Antuerpienſes in ejus vita ad diem X. Junii, Pagius in Breviario Roman. Pontif. S. Antoninus Par. III. tit. XXII. & alii.

(b) De hac Legatione nihil in Bull. Ordinis.

ret, dimiſit omnibus Collegiis ſupradictis literas teſtificatorias ſuper præfata gratia Indulgentiæ plenariæ prælibatæ. Tenor autem literæ teſtificatoriæ dictæ gratiæ, ſed ſolum pertinentis ad perſonas de Pœnitentia B. Dominici, talis eſt, videlicet:

Noverint Univerſi, præſentes literas inſpecturi, quod Anno Domini MCCCCVII. die undecima menſis Junii a Domino noſtro Summo Pontifice, Domino Gregorio XII. Ego Frater Johannes Dominici de Florentia, Ordinis Fratrum Prædicatorum, obtinui gratiam oraculo vivæ vocis valituram ſine Bullis, quibuscumque in contrarium non obſtantibus, plenam Indulgentiam in mortis articulo pro venerabili Collegio Fratrum, & Sororum de Pœnitentia B. Dominici, ſub cura Fratrum Prædicatorum degente Venetiis, & in territorio Veneto exiſtente: cum hac tamen conditione, quod prædicti Fratres, & Sorores Eccleſiæ jejunia obſervent, nec non aliis ſex diebus ſibi placitis ſingulis annis jejunent, niſi præfatos ſex dies redimere vellent, dando in pias cauſas centeſimum lucri ſui juſti ſimiliter annuatim. In quorum omnium teſtimonium præſentes literas fieri feci in Conventu SS. Johannis, & Pauli, dicti Ordinis Prædicatorum de Venetiis, Anno, quo ſupra, die quarta menſis Auguſti, in qua celebratur vigilia ipſius ſupradicti B. Dominici, Patris noſtri; & ſigilli, quo tunc utebar, impreſſione muniri.

Ad finem altera manu, & videtur eſſe antiqua ejusdem temporis, habetur.

In Dei filio ſibi Chariſſimis, Sororibus Ordinis de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis, & ejus diſtrictu. Frater Thomas de Senis Ordinis Fratrum Prædicatorum, Conventus SS. Johannis, & Pauli, ejusdem Ordinis Magiſter, ſeu Director veſter indignus, ſalutem, & conceſſæ gratiæ beneficium plenarie adipiſci.

Cum ad mei inſtantiam pro amplius alliciendis noſtris Fratribus, & Sanctimonialibus cum illis de Pœnitentia B. Dominici utriusque ſexus ad exhibendum in ſuis Ordinibus devotiorem, & magis ſedulum Altiſſimo famulatum, per Reverendum Patrem, Fratrem Johannem Dominici de Florentia, dicti

dicti Ordinis Prædicatorum, tunc in Romana Curia exiſtentem, & nunc in Provincialibus pro negotio unionis Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ ad diverſas partes Italiæ, & præſertim ad Venetos, & Januenſes (*a*) ſpecialem Nuncium Sedis Apoſtolicæ deſtinatum, impetrata fuerit gratia plenariæ Indulgentiæ in mortis articulo a Domino noſtro Papa Gregorio XII. de menſe Junii immediate præterito, Pontificatus ſui Anno primo, tam pro Fratribus Conventualibus Conventuum SS. Johannis, & Pauli, S. Dominici de Venetiis, & ejus diſtrictu, Fratribus de Clugia, quam etiam pro Sanctimonialibus Monaſterii Corporis Chriſti de Venetiis, & utriusque ſexus perſonis Ordinis de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis, & ejus diſtrictu, Oraculo vivæ vocis, prout apparet diſtincte de omnibus præfatis per literas ſpeciales dicti Patris Fratris Johannis, proprio ſigillo munitas, & in depoſito dicti Conventus SS. Johannis, & Pauli exiſtentes: quarum literarum, quantum ad illas ſolum, quæ pertinent ad dictas utriusque ſexus perſonas Ordinis de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis, & ejus diſtrictu, tenor cum ſigillo dicti Fratris Johannis etiam habetur apud Prioriſſam veſtram: Hinc eſt, quod pro veſtro abundantiori in Chriſto ſolatio, ad declarationem ampliorem præmiſſorum, & ut de dicta gratia, vobis conceſſa, ab omnibus, diſcrete ſentientibus, ubicumque vos ad mortem infirmari contingeret, adhiberi valeat plena fides, non ſolum iſtas generales literas fieri feci, & ſigillo meo muniri, ſed etiam alias literas ſingulares pro unaquaque veſtrum, inferendo in qualibet tenorem dictæ literæ Fratris Johannis. Anno Domini MCCCCVII. menſis Auguſti, in Octava, videlicet B. Dominici, Patris noſtri.

(*a*) Jo. Dominici ad Januenſes etiam Nuncius deſtinatus.

THO

THOMÆ ANTONII SENENSIS

HISTORIA

Diſciplinæ regularis inſtauratæ in Cœnobiis Venetis Ordinis Prædicatorum, nec non Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Dominici, in Civitatem Venetiarum propagati.

INcipit prologus in libellum, ſive tractatum (1) principiorum de origine ſive ortu atque proceſſu ſtatus Fratrum, & Sororum Ordinis de Pœnitentia S. Dominici in Civitate Venetiarum. Quemadmodum pro conſolatione generali cunctorum Chriſtifidelium, & præſertim anhelantium ſpecialiter informari de primordiali ac originali ortu pariter & proceſſu, approbatione, & confirmatione, atque promotione generaliter Status Fratrum, ac Sororum Ordinis de Pœnitentia S. Dominici; de quo Ordine inter alias eximiæ Sanctitatis perſonas extitit Venerab. Virgo Beata Catharina de Senis, editus fuit per nos, utpote per R. P. F. Bartholomæum Dominici Sacræ Theologiæ profeſſorem, (2) & per me F. Thomam Antonii, ambo de Senis, & de Ordine Prædicatorum, quidam tractatus ad plenum informationem continens præfatorum: ita etiam & pro ſolatio in Domino ſpirituali aliquarum perſonarum, & ſignanter de alma Civitate Venetiarum ego F. Thomas prædictus dignum duxi quemdam alium tractatum

(1) Præcipuum Auctoris conſilium eſt, propagationem *Tertii Ordinis de Pœnitentia* in Civitate Venetiarum diligentius deſcribere: ſimul attamen fuſiori calamo agit de Regulari diſciplina, quæ Raimundo de Vineis a Capua Generali Ordinis Prædicatorum Magiſtro promovente, operamque ſuam conferente Joanne Dominici Florentino, in Cœnobiis Venetis inſtaurata fuit, indeque in alios Provinciarum Conventus traducta; ex quibus demum coaluit celebris olim Congregatio Lombardiæ, nunc Provincia utriusque Lombardiæ.

(2) Hoc opus recenſent Quetifus & Echardus Tom. I. Scriptorum Ordinis Prædicatorum, in *Bartholomæo Dominici*, & *Thoma Antonii*.

ctatum (3) ſive libellum per modum cujusdam .... hiſtoriæ, ſeu narrationis componere; in quo hiſtoriter ut prefertur declaratur atque narratur de origine, & proceſſu aliquali præfati Status & Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici in Civitate præfata; & perſonis utriusque ſexus usque ad iſtud tempus in Venetiis ad dictum ſtatum receptis ſolemniter ſecundum ejusdem ſtatus & Ordinis modum; & conſimiliter de perſonis utriusque ſexus de Venetiis ejusdem ſtatus, qui tranſierunt ex hac vita, ſeu de prędicta Civitate Venetiarum ad aliam; de quarumdam aliarum perſonarum incidentaliter ibidem tranſitu, quæ vel fuerunt de Ordine Prædicatorum, aut præfatis ſtatui, & Ordini dilectione præcipua ibidem affectæ. Fitque ibidem mentio aliqualis de quibusdam geſtis & operatis tam Venetiis, quam alibi pertinentibus aut generaliter aut ſpecialiter ad ſtatum, & ordinem ſupradictum de Pœnitentia Beati Dominici, & inter perſonas alias ſingulariter ad Beatam Catharinam ſupradictam. Inſuper ſuadetur in proceſſu hujus libelli ex cauſa ſpeciali rationibus quampluribus, quod valde decenter ſtatus præfatus de Pœnitentia Beati Dominici ſit in Civitate Venetiarum præmittendo etiam & in principio ejusdem libelli, qualiter dictus ſtatus ortus, atque productus eſt in Civitate præfata, quemadmodum ſtatus Monialium Corporis Chriſti civitatis ejusdem, (4) utpote ex præcipua vitæ, ac doctrinæ ſanctitate, atque obſervantia regulari tunc vigentibus in Conventibus Venetiarum, & de Clugio Ordinis Prædicatorum, nec non & de origine (5) præfatæ obſervantiæ regularis, in Conventibus & Monaſterio prælibatis, Ordinem minime dividentis, ſed mirabiliter promoventis, ut ex dictis patebit. Et hoc totum narrabitur pro animarum ſalute, ad quod Ordo noſter principaliter noſcitur inſtitutus, cooperante Domino cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pro

(3) Ab opere ſuperius laudato *Tractatum* iſtum, ſeu *libellum* diſtingue. Hujuſce nulla mentio apud eosdem Quetiſum & Echardum.

(4) De Monaſterio Sanctimonialium ſub nuncupatione *Corporis Chriſti*, conſule quæ protulimus Operis hujus decade I. pag. 115.

(5) Hæc obſervantiæ reformatio originem habuit in Conventu S. Dominici Venetiarum, ut mox dicemus ipſum illuſtrando.

Pro executione ergo ſupradicti Tractatus ſive libelli, ſit notum omnibus, & maxime Venetis hæc infraſcripta legentibus ſive audientibus, qualiter circa annum Domini MCCC. octuageſimum nonum incepta eſt aliqualis Ordinis Prædicatorum reformatio in partibus Alemaniæ, per quemdam Rev. P. F. Conradum Theutonicum, de voluntate & ordinatione Reverendiſſimi Patris tunc Magiſtri Raimundi de Capua, Generalis dicti Ordinis Prædicatorum. Qui Magiſter Ordinis (6) anno Domini MCCCLXXXX. obtinuit in Capitulo Generali, quod in qualibet Provincia Ordinis unus ſaltem conventus ſtatueretur in quo vigeret obſervantia regularis. Propter quod ordinavit idem Magiſter Ordinis hoc ipſum per patentes ſuas literas eodem anno, concurrentibus etiam literis Apoſtolicis Bonifacii Papæ IX. in quibus dicti Reverendiſſimi Ordinis literæ ſunt inſertæ, & executioni debitæ demandandæ, collatione cum diſcretis Patribus tam intra, quam extra ordinem cum cæteris venerandis Eccleſiæ Prælatis prius ſuper hæc habita diligenti. Dictarum autem literarum tenor hic ſequitur & eſt talis: " Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei ad „ perpetuam rei memoriam. Apoſtolicæ Sedis benignitas &c.

Cum autem dictus Magiſter Ordinis præſentaſſet ſupplicationem Bullæ ſupradictæ cuidam Domino Philippo de Lanconio Cardinali Hoſtienſi, (7) & poſtea idem Dominus de illa informatus foret oblique, ipſe præfatus Dominus hoc perſentiens curavit dicto Domino ad ipſum contra ſiniſtram informationem reformationis ſcribere, & ita fecit in hunc modum videlicet: " Reverendiſſime Pater, & Domine. Quia „ Dominatio veſtra (8) &c.

Quibus litteris dictus Dominus informatus, taliter poſtmodum

(6) Comitia generalia Ordinis Prædicatorum hoc anno 1390. celebrata non memorat Echardus Tomo I. Scriptorum Ord. Prædic. in Serie Capitulorum Generalium, Operi præmiſſa. Res eſt ab aliis, ad quos magis attinet, diligentius expendenda.

(7) Is Patriarchatum Aquilejenſem ab anno 1381. ad 1387. inter maximas Provinciæ turbas exceptum ab aliis, ab aliis rejectum adminiſtravit. Conſule Clar. V. Jo: Bernardum Mariam de Rubeis in *Monumentis Eccleſiæ Aquilejenſis, Commentario-Hiſtorico-Chronologico-Critico illuſtratis*; atque Venetis typis editis anno 1740.

(8) Integrum *ſupplicem libellum*, deſcriptum vide apud Fontanam in Conſtitutionibus &c. Ord. Prædic. V. *Reformatio*.

dum eſt ſecutum, quod dicti Ordinis reformatio ſequenti anno videlicet 1391. & de menſe Septembri, in Conventu B. Dominici de Venetiis, qui tunc erat deſolatus ex toto, accepit exordium per R. P. F. Johannem Dominici de Florentia, Romanæ Provinciæ. Cum quo ſe tunc invenerunt infraſcripti Fratres & Patres, videlicet, quidam R. P. F. Robertus de Venoſa, nobilis parentelæ, & ſingularis ſanctitatis, & famæ, & R. P. F. Petrus de Aquila, ambo de Provincia regni. Fr. Clemens, & Guido & Roggiolo, de Conventu Florentino, Provinciæ Romanæ: F. Hieronymus de Dulcigno de Provincia Dalmatiæ, & Fr. Johannes de Camareno, de Provincia tunc Lombardiæ inferioris. Et alii conſequenter de menſe Februarii ibidem venerunt de Provincia Romana, quidam R. P. F. Thomas Ajutamichriſto de Piſis, præcipuæ Religionis, factus Prior in dicto Conventu S. Dominici, per R. Magiſtrum eorum ſupradictum, & cum eo aliqui Fratres juvenes, videlicet F. Bartolomæus de Piſcia, F. Benedictus, & F. Baſilius de Florentia. Eodem etiam anno, cum tamen intraſſet annus 1392. non ſolum intravit Ordinem in dicto Conventu S. Dominici, quidam nobilis dictus Fr. Johannes Benedicto de Venetiis, ſed adhuc duo ſæculares de ſtudio Bononienſi, quorum unus dictus eſt F. Nicolaus Magiſtri Johannis Phyſici de Ravenna, & alius F. Angelus de Camareno; & quidam alii de Venetiis, videlicet F. Antonius Corrario, F. Nicolaus Magiſtri Jacobi, & F. Juſtus. Venit etiam ibidem, quidam R. P. F. Johannes de Duracio, de Provincia Dalmatiæ, qui Epiſcopatui renunciavit, odore obſervantiæ regularis attractus: & de Provincia Romana R. R. Patres F. Paulus Ugolinus, & Franciſcus de Urbe veteri; F. Philippus de Apulia, de Provincia Regni, & F. Antonius de Civitate. Et poſtea ibi receptus eſt ad Ordinem, F. Hieronimus de Tarviſio, & alii. F. Bartholomæus de Cattis, de Provincia Lombardiæ Superioris, F. Antonius de Venuſio, de Provincia Regni, & alii. Sicque creſcente numero Fratrum bene vivere volentium in dicto Conventu S. Dominici de Venetiis, extendit ſe dicta regularis obſervantia ad Conventum Cluginum, qui tunc non ſolum, quantum ad Religionem erat totaliter deſolatus, reſidentibus ibidem duobus Fratribus ſine libris & paramentis, & hujuſmodi, ſed etiam in magna parte mate-

ria-

rialiter deſtructus propter guerram Venetorum cum Januenſibus, quæ annis multis præceſſerat. Unde tunc factus eſt ibi Prior ſupradictus P. F. Robertus; & modicum poſt factus eſt ibi Prior P. F. Paulus de Urbe veteri ſupradictus. Et ſubcreſcente numero Fratrum in dicto conventu S. Dominici de Venetiis, extendit ſe reformatio præfatæ Religionis ad Conventum civitatis Caſtelli Romanæ Provinciæ, qui tunc erat multipliciter deſolatus, ubi acceſſit ſæpedictus P. F. Johannes Dominici de Florentia cum 18. Fratribus auctoritate ſupradicti Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis, & gratia Civium dictæ civitatis intervenientibus. Et deinde rediens Venetias ad Conventum S. Dominici ſupradictum, cum ibidem invaleſceret devotio tam Fratrum, quam etiam ſecularium, acceſſit ad Curiam, ubi obtinuit Bullas pro uno Monaſterio conſtruendo. Et cum rediſſet ad Conventum S. Dominici de Venetiis, inde ad aliquos menſes celebratum eſt Capitulum Generale in Conventu Sanctorum Johannis, & Pauli. Poſtea de menſe Auguſti immediate ſequenti extendit ſe conſequenter dicta reformatio, prout in dicto Capitulo extitit ordinatum ad Conventum SS. Johannis, & Pauli de Venetiis, interveniente auctoritate ſupradicti Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis, ac Duce Venetiarum, videlicet Domino Antonio Venerio, Ordinis Prædicatorum ſingulariter devoto, cum reliquo Dominio id ſpecialiter affectante propter modicam religionem, quæ in dicto Conventu ante ſervabatur. Unde dictus P. F. Joannes Dominici, cum [illegible] Fratribus de dicto Conventu S. Dominici, ad dictum Conventum SS. Johannis, & Pauli acceſſit, exiſtente ibidem tunc Priore, & ad idem affecto R. P. Magiſtro Gregorio de Ceſena. Quod fuit anno Domini 1390.

In quo anno a ſupradicto Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis factus eſt dictus P. F. Johannes Dominici in dictis eorum Conventibus, quod poſſet recipere ſeu fabricare unum Monaſterium Monialium in Venetiis habita licentia Apoſtolica, & Bulla ad hoc aptis, quarum literarum tenor talis eſt, videlicet: „In Dei filio ſibi Chariſſimo Fratri Johanni Dominici de Florentia, Vicario in Conventibus Venetis, & Clugienſi Provinciæ Lombardiæ inferioris, ac in Conventu Caſtellano Provinciæ Romanæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, F. Raimundus ejuſdem Ordinis humilis magiſter & Servus,

 „ſalu-

„ ſalutem, & Chriſtum Dominum efficaciter imitari. Quamvis per conſtitutiones Ordinis noſtri, ſit expreſſe inhibitum ne aliquis Frater curam mulierum ipſi Ordini noſtro procuret propter multiplicia ſcandala, quæ quandoque inde ſequuntur; quia tamen ubi fructus animarum & ſalus manifeſte apparet, non debemus nos retrahere a labore, potiſſime cum Ordo noſter ſecundum dictarum conſtitutionum tenorem noſcatur inſtitutus pro animarum ſalute; vobis de cujus zelo erga eamdem ſalutem animarum experimentaliter, & multipliciter ſum longo tempore informatus, (nec eſt mihi dubium, quin prudenter & diſcrete vos habeatis in omnibus ſicut ſemper hactenus habuiſtis) præſentium tenore committo plenarie vices meas omni modo, quo melius poſſum, & valeo, quatenus vice mei poſſitis, præſuppoſita ſemper Apoſtolicæ Sedis licentia, in inclita Civitate Venetiarum recipere unum locum ſeu Monaſterium, & ibidem congregare ſorores, quæ regulam S. Auguſtini, & conſtitutiones aliarum Sororum noſtro Ordini commiſſarum juxta modum conſuetum profitentes obſervent, ſecundum gratiam a Domino ſibi datam. Cæterum quia conſtat mihi nihil, quod ſuper dicto Monaſterio recipiendo Bullas Apoſtolicas impetraſtis, quarum tenorem non vidi; ad habendam tamen cautelam, vobis & cunctis præſentes literas inſpecturis notifico earumdem tenore, quod nullatenus intendo ſicut non valeo, ab Apoſtolicæ conceſſionis ſeu diſpoſitionis tenore quomodolibet deviare. Quin imo ipſis Apoſtolicis literis quantum poſſum, humiliter me conformo, & vobis mando diſtrictius quod eas in omnibus obſervetis & ſecundum illarum formam transfero in vos & vobis committo plenarie vices meas, ut absque denunciatione quacunque poſſitis omnia & ſingula facere in receptione, ordinatione, & congregatione tam Monaſterii quam Sororum ſupradictarum, quæ ego facere poſſem ſi præſens eſſem, etiamſi mandatum exigerent ſpeciale; prohibens cuicunque me inferiori, quod vos in prædictis non valeat impedire quoquo modo; decernens etiam irritum & inane quidquid per quemcunque me inferiorem contra præſentem conceſſionem & commiſſionem fuerit attentatum. In quorum omnium teſtimonium preſentes patentes literas fieri feci, & mei Ordinis ſigillo munniri.

„ ri. Datum Romæ die 10. Menſis Madii 1393. “ Item tenor aliarum literarum ſupradictarum a Sede Apoſtolica impetratarum pro dicto Monaſterio proſequendo talis eſt : “ Bonifa-
„ tius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Vener. Fr. Epiſcopo
„ Caprulenſi Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Apoſto-
„ licæ Sedis circumſpecta benignitas &c. (9)

Alterius vero pertinentis ad ſupradictas Sanctimoniales de Piſis talis eſt. “ Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei ad
„ futuram rei memoriam. Ut inter æternæ beatitudinis ama-
„ trices &c. (10)

Proſequtus eſt autem dictus P. F. Johannes Dominici negotium Monaſterii ſupradicti coactus a conſcientia ex concurſu multarum relationum habitarum de dicto monaſterio conſtruendo, quæ etiam habentur in ſcripto Monaſterii Codice. (11) Unde ſub titulo Corporis Chriſti, & ad formam Monaſterii S. Dominici de Piſis dictum Monaſterium fabricavit, & taliter quod in ſequenti anno MCCCLXXXXIV. de menſe Junii triginta moniales introduxit in illud ad obſervantiam regularem diſpoſitas non ſolum ſub perpetua clauſura, ſed etiam quod nunquam aliquam perſonam ad extra videre vel ab aliqua quovis modo videri poſſent.

Poſtmodum vero in dicto anno Domini MCCCLXXXXIV. de menſe Novembri factus eſt dictus P. F. Johannes per ſupradictum Magiſtrum Ordinis, Vicarius Generalis ejusdem etiam in Conventibus cæteris Italiæ, qui ad præfatam reformationem reducerentur. Dicti autem Vicariatus literarum tenor talis eſt. Videlicet : “ In Dei filio ſibi cariſſimo F. Johanni
„ Dominici de Florentia, nunc Provinciæ Lombardiæ infe-
„ rioris Priori Conventus S. Dominici in Venetiis Ordinis
„ Fratrum Prædicatorum F. Raimundus ejusdem Ordinis hu-

„ milis

(9) Vide Bullarium Ord. Præd. Tom. II. in Bonifacio IX. Conſtitut. XLII.

(10) Extat in Bullario citato Tomo VII. in ſupplemento ad Conſtitutiones Urbani VI. & Tomo III. inſertum Conſtitutioni LII. ab Eugenio IV. datæ. Alliganda eſt hæc Urbani VI. Conſtitutio ad diem 25. Julii, & annum 1387.

(11) Is, qui dicitur *ſcriptus Monaſterii codex*, brevis eſt MS. Hiſtoria ejusdem Monaſterii a Joanne Dominici incepta, ſed non completa, quam dedimus Operis hujus Tom. I. pag. 126. Latiorem, & integram MS. Hiſtoriam Sanctimoniales aſſervant, ab ornatiſſima Virgine *Bartholomæa Riccobona* ejusdem loci Sorore diligenter deſcriptam, ex qua nonnulla excerpſimus, obtulimusque ad Monaſteria Corporis Domini & S. Andreæ.

„ milis Magiſter, & Servus ſalutem, & Chriſtum Dominum
„ efficaciter imitari. Quia noſtri Sanctiſſimi Ordinis famam
„ celebrem, ac præclaram ubique terrarum cordialiter eſſe
„ deſidero, & ipſius reformationem zelo Dei, me adſtringen-
„ te pariter, & cogente hactenus concupivi, & inpreſentia-
„ rum cupio totis præcordiis veraciter apparere, & augmen-
„ tari; hinc eſt, quod de multorum proborum Fratrum Or-
„ dinis conſilio, & aſſenſu feci quaſdam reformationes circa
„ obſervantiam regularem, & conſtitutiones noſtras ad plene
„ ſervandas, ad hoc deputando diverſos Conventus per univer-
„ ſas Provincias, qui, Deo dante, ad incrementum proficiunt,
„ & augentur. Quamobrem, ut intentio mea magis ponatur
„ in executione, & reformatio luceat, tanquam lucerna ſuper
„ candelabrum poſita, ut Deus honoretur, ac Sanctorum Pa-
„ trum noſtrorum traditiones & ceremoniæ (proh dolor) ni-
„ mium enervatæ ad priſtinum redeant Statum, & feliciorem
„ conſuetudinem Ordinis; vos de cujus ſingulari religione,
„ ac morum gravitate & Ordinis zelo confido quampluri-
„ mum, per preſentes in dictis Conventibus jam aſſumptis,
„ & per vos ſint vobis aſſumendis per univerſam Italiam,
„ meum facio Vicarium Generalem cum plenaria, & totali
„ poteſtate in ſpiritualibus, & temporalibus in capitibus &
„ membris, dans vobis auctoritatem viſitandi, reformandi,
„ ordinandi, corrigendi, inquirendi, præcipiendi, & vocandi,
„ revocandi, innovandi, exigendi, expellendi, concludendi,
„ ſententiandi, determinandi, permutandi, decidendi, alie-
„ nandi, & aſſignandi, ſilentium imponendi, & omnia & ſin-
„ gula faciendi, quæ ego ipſe facere poſſem, ſi in ſupradictis
„ Conventibus præſentialiter eſſem. Ut autem Conventus præ-
„ fatos agilius liberius & commodius gubernare & regere va-
„ leatis, prout velle me noſtis, volo, quod aliquis me infe-
„ rior, ſe de vobis vel eis quomodolibet intromittere poſſit
„ ſine mea licentia ſpeciali, non obſtante quacunque aucto-
„ ritate ſub quavis forma verborum, cuicumque alteri data
„ vel conceſſa. Excepto dumtaxat, quod præſidentes Provin-
„ ciarum numerum Fratrum fideliter, & ſinceriter teneantur
„ augere, fovere, & nutrire omni palliatione & ſophiſtica-
„ tione remota. Si quid autem quæſtionis, vel defectus, quod
„ abſit, emerſerit, nolo quod ſub aliquo colore viſitationis

„ ſeu

„ ſeu promotionis Præſidens Provinciæ vel Præſidentes per
„ ſe, vel per alios, Fratres ipſos vexare, aut perturbare, vel
„ moleſtare, ſeu amovere valeant, vel poſſint quovis modo
„ ſine mea licentia ſpeciali, ſed omnem cauſam, aut quæ-
„ ſtionem, & quidquid ſequitur ad ipſam mihi reſervantes
„ ſignificabunt; In quorum omnium teſtimonium præſentes
„ patentes literas fieri feci, & mei Ordinis ſigillo muniri.
„ Datum Romæ die xx. menſis Novembris 1394." Quibus literis habitis, diligenter dicti Vicariatus officium executioni mandavit.

Contigit autem dicto anno me prædicare in Civitate Piſana, ubi cum Deo dante, quosdam præcipuos juvenes induxiſſem ad Ordinem noſtrum, ac etiam aliquas Dominas ibidem ad habitum de poenitentia B. Dominici recepiſſem, & ex alia parte occurriſſet mihi modus accedendi ad ſepulchrum Dominicum, quibusdam Nobilibus de Janua Piſas adventantibus, & me, de dicto acceſſu cum eisdem requirentibus, prout me exiſtente lectore in Janua condixeramus ad invicem, idipſum acceptans, ordinavi de dictis juvenibus, quod Venetias ducerentur ad ſupradictum Conventum B. Dominici, promittendo eis, quod in meo reditu de ſepulchro ego ad videndum eos Venetias Deo dante venirem. Et ita factum eſt, ipſo Domino concedente. Nam eodem anno circa finem menſis Novembris de ſepulchro Dominico rediens, & apud Conventum Sanctorum Joannis & Pauli de Venetiis perveniens, indeque ad Conventum S. Dominici accedens, & juvenes ſupradictos ibidem lætos & gaudentes reperiens, poſt verba gratulabunda ipſos valefaciens in Domino, pro tunc ab eis diſceſſi. In die autem Sancti Andreæ in Monaſterio de Cœleſtibus (12) miſſus fui ad prædicandum, & deinde in dicto Conventu SS. Johannis & Pauli. Conſequenter vero poſt aliquos dies, habito cum ſupradicto P. F. Johanne Dominici colloquio de perſona mea, poſt plura collata adinvicem de voluntate ſua in dicto conventu remanſi, & de voluntate & ordinatione ejusdem prædicare ibidem proſequens in quadrageſima immediate ſequenti de conditionibus Leonis, ſex alas haben-

(12) Veneti vocant Monaſterium *S. Mariæ ad Cœleſtia*; unde nominis hujus occaſio, dicemus, cum illud Monaſterium illuſtrabimus.

habentis, per quem S. Marcus Evangeliſta repræſentatur cum bona gratia prædicavi, & ulterius inibi, & alibi per Venetias annis plurimis officium prædicationis exercui, prout ex dicendis patebit. Verum quia me redeunte de ſepulchro in Venetorum galeis, cum quadam occurrente fortuna me & alios recommendaſſem B. Catharinæ de Senis, & incolumis cum cæteris Venetias perveniſſem, habitis quatuor ducatis a Januenſibus ſupradictis, qui me conduxerunt, de licentia feci dipingere dictam Beatam, & poſui in Eccleſia ſupradicti Conventus ob receptam gratiam ſupradictam. Supradictus etiam P. F. Johannes per Civitatem Venetiarum, aliquando non ſolum ſemel, ſed bis & ter cum animarum fructu mirabili prædicabat in die, & eodem modo quidam Dominus Presbyter Leonardus Piſani de Venetiis, vir devotus & bonus ac nobilis affectus tunc temporis hinc inde per Eccleſias, & ſignanter in Eccleſia SS. Apoſtolorum de Venetiis, cum mirando fervore & gratia prædicabat. Et ita quam plures noſtri Ordinis Fratres per dictæ Civitatis Baſilicas, & cum præcipua gratia verbum Dei populis propinabant. Propter quas prædicationes regulari, & ſanctæ vitæ conformes, ſeu corriſpondentes, contigit, quam plures Ordinem Prædicatorum intrare, in tantum quod in modico tempore Fratres dictorum quatuor Conventuum ad non parvum numerum pervenerunt, licet propter peſtem in Venetiis annis pluribus, modo intenſius modo remiſſius ſe habentem, plurimi ad Dominum feliciter tunc migrarent, ex regulari vita ſervata in ſuo tranſitu ſpiritu exultantes, ac per hoc ipſi Domino immenſas gratias referentes. Simili etiam modo contigit, quod plurimæ fœminei ſexus ex prædicationibus ſupradictis, rejectis ex toto vanitatibus ſæculi, ſupradictum Monaſterium Corporis Chriſti intraverunt cum mirando fervore, intantum ut infra triennium vel circa ab ejuſdem Monaſterii inſtitutione Moniales ad numerum ſeptuagenarium ſeptimum pervenirent, & multo plures ibidem intraſſent, ubi capacior, & habilior patuiſſet ingreſſus.

Poſtmodum ſciendum, quod cum ſupradictus Magiſter Ordinis currente anno MCCCLXXXXV. foret in partibus Siciliæ Apoſtolicus Nuncius ſcripſit literas exhortatorias, quas direxit cuidam Reverendo Patri Magiſtro Bartholomæo Dominici de

ci de Senis (13) tunc Provinciali Romano, & totius Italiæ ejuſdem Magiſtri Generali Vicario: & ille ipſas transmiſit Reverendo Provinciali Lombardiæ inferioris, tunc ſub his verbis videlicet: " In Chriſto ſibi Chariſſimis F. Nicolao de „ Civitato, (14) Sacræ Theologiæ Magiſtro Provinciali Lom-„ bardiæ inferioris, Ordinis Fratrum Prædicatorum, cæteris-„ que Fratribus univerſis dictæ Provinciæ F. Bartholomæus „ Romanæ Provinciæ, ejuſdem Ordinis Prior Provincialis in-„ dignus, ac Reverendiſſimi Patris Magiſtri Ordinis noviter „ Generalis Vicarius inſtitutus, ſalutem & ſinceram in Do-„ mino charitatem. Epiſtolas prædicti Reverendiſſimi Magi-„ ſtri, me noveritis ſuſcepiſſe die XXVIII. menſis Aprilis, qua-„ rum tenor ſequitur in hæc verba. In Dei filio ſibi chariſ-„ ſimis, & dilectis univerſis Fratribus tam præſidentibus, „ quam ſubditis, ſive in Provinciis, ſive in Conventibus cu-„ juscumque gradus, ſtatus, dignitatis, ac conditionis exiſtant „ Ordinis Fratrum Prædicatorum, Fr. Raimundus ejuſdem „ Ordinis Magiſter, ſalutem & Chriſtum Dominum efficaci-„ ter imitari. Urget neceſſitas (15) &c.

Non eſt autem admirandum de quantitate pecuniæ in ſupradictis literis explicatæ, quia me exiſtente in Venetiis, & in Clugio vidi ratione obſervantiæ regularis Conventum S. Dominici de Venetiis, in Eccleſia, dormitorio, & ſecundo clauſtro ampliatum; Monaſterium Corporis Chriſti conſtructum; & præterea Eccleſiam SS. Johannis, & Pauli pro media parte inferiori conſtructam, & Capellam S. Dominici ibidem cum campanili ad modum illius Fratrum Minorum Sanctæ Mariæ de Venetiis completam. Et adhuc vidi Conventum Clugienſem, qui propter guerras fuerat deſtructus, poſtmodum per Fratres ibidem religioſe viventes reparatum.

 Cum

(13) Idem, de quo Nota (2).

(14) Scilicet de Civitate Auſtria, ſeu de Forojulio in Provincia Forojulienſi: ubi Cœnobium extat Fratrum Prædicatorum, quod olim ad Provinciam, *Lombardiæ inferioris* dictam, attinebat: nunc vero ad Congregationem ſub titulo *B. Jacobi Salomonii*.

(15) Integras Raimundi Magiſtri Generalis literas deſcribit Fontana loco ſupracitato. V. *Reformatio*, anno 1395. *die* 26. Menſis Martii Panormi datas, apud Fontanam legitur dies 16. Bartholomæi vero literæ datæ leguntur *Romæ die VIII. Madii anno Domini* 1385.

Cum quibus omnibus abſque aliis fabricatus Conventus in dictis locis, & eleemoſynis pro victu & veſtitu, atque paramentis & libris receptis, aſcendere debuerunt expenſæ longe ultra ſummam pecuniæ ſupradictam. Item contigit in dicto anno, quod quædam vidua de tertio Ordine S. Franciſci, ſingularis opinionis & famæ in ſanctitate, ac ætatis . . . . dicta Donna Lucia, habitans prope S. Raphaelem pro me miſit dixitque mihi in ſecreto, a Domino ſibi revelatum fuiſſe de quodam ſingulari Prædicatore in Venetiis venturo cum reportatione non parvi fructus in animabus. Aſſeruitque, me ipſum eſſe, de quo ſibi fuerat revelatum, habitisque ad invicem aliquibus ſermonibus, ab ea diſceſſi ſibi valefaciens. Eodem etiam anno cum quædam dicta Domina Mina Berengo, quæ virum habebat, & tunc apud S. Marcolam (16) morabatur, mirabiles pateretur motus, & geſtus in corpore, licet mirabiliores, & terribiliores adhuc per prius paſſa fuiſſet, in tantum, quod multæ perſonæ utriusque ſexus concurrebant ad eam, ex quibus aliqui compungebantur, aliique opinantes illam incurriſſe infortunium ſingulare, ſibi plurimum compatiebantur, aliqui vero putabant illud eſſe opus diabolicum, & operatione Dæmonis taliter vexaretur. Præfatus ejus Vir primo, & inde ſupradictus D. Presbyter Leonardus me duxerunt ad viſitandam illam, quæ me reverenter & devote ſuſcepit: & ex tunc aliquando viſitavi eam, & confeſſionem audivi, & ſic ab illa plurima ſingularia reportavi. Indeque ad aliquos annos, Domino ſibi revelante, habitum S. Dominici de Pœnitentia eſt induta, prout ex dicendis in ſuis locis infra patebit. Item modicum poſt contigit, quod quidam Doctor artis gramaticæ de Piſis, dictus ſ. Nuncius, vir devotus, & bonus, cum ſupradicti quinque juvenes de Civitate Piſana Venetias adducti fuiſſent de ſcholaribus ſuis, pro ipſis in Religione confortandis, & de profectu eorumdem in regulari obſervantia ſolatium in Domino haberet non parvum, ſcripſit inter alias literas eisdem unam. Item quidam Reverendus

Ma-

(16) Qui vulgo Venetiis appellatur S. Marcola, eſt S. Hermagoras Mart. & primus Epiſcopus Aquilejenſis. Sub ejus nuncupatione exſtat Eccleſia Parœcialis; de ea in Operis Noſtri decade I. Tom. I.

Magiſter in Theologia, dictus Frater Dominicus de Pectioli (17) de Conventu Piſano Ordinis Prædicatorum, cum recepiſſet quamdam literam a quatuor de prædictis juvenibus, eisdem ſub his reſcripſit verbis, videlicet: " Chariſſimis filiis
„ & Fratribus Guillelmo, Laurentio, Thomæ, & Andreæ de
„ Piſis, Venetiis apud S. Dominicum de Caſtello exiſtenti-
„ bus. Firmamentum verum, quod Deus eſt lætificat ani-
„ mam, ut in ipſo exultaverit ſpiritus meus per literam ve-
„ ſtram tam dulcem, tamque ſuavem. Profeſſio veſtra indubia
„ mihi ſemper, in ſenio meo confortat, ut renovetur & am-
„ plius valeſcat, ſi poſſem vere dicere, quod ſit ſenectus mea
„ ſicut uniformis in miſericordia uberi, per filios ſpiritus,
„ qui dicere vere poſſunt inimicis noſtris, & generis totius
„ humani; Ventilabimus cornu. Confirmet ergo Dominus,
„ quod operatus eſt in vobis a Templo ſuo, qui elegiſtis po-
„ tius abjecti eſſe in Domo ſancta ſua, quam habitare in ta-
„ bernaculis peccatorum; ut dicere valeatis, lætati ſumus pro
„ diebus, quibus nos humiliaſti. Humiles enim ſpiritu ſal-
„ vabit, & omnem populum humilem. Sapientibus non di-
„ co plura. Sed hoc oro ſuper omnia, ut charitas veſtra ma-
„ gis, ac magis abundet in ſcientia non quidem, quæ inflat,
„ ſed quæ ædificat i. ſcientia quidem quam fundat bonitas,
„ quam erigit diſciplina. Otium ſine literis mors eſt, & vi-
„ vi hominis ſepultura. Igitur validiſſimi bellatores, nemo
„ vos ſeducat inanibus verbis, ut literarum ſtudia dimittatis.
„ Hic ordo priſcorum Patrum fundantium Ordinem, qui vo-
„ cat mundum ad agni nuptias quibus datum eſt, ſemen zi-
„ zaniorum, & hæreſum purgare de agro cœleſtis agricolæ;
„ quibus collatum ab initio docere, ſed prius diſcere. Quo-
„ rum unus interrogatus, quam regulam profeſſus fuiſſet?
„ dixit aperte Prædicatorum, quæ talis eſt, honeſte ideſt virtuoſe
„ vivere. Hæc enim vita ſola meretur honorem. Igitur ho-
„ neſte vivere, 2. diſcere, 3. docere. Nulla quidem ars recte
„ docetur, niſi prius intenta meditatione diſcatur. Sic enim
„ diſco, ut doceam; ut contemplando ſim Rachael, docendo
„ fœcunda ſim Lia: meditando ſim Maria, docendo ſim Mar-

(17) Alias *de Peccioli*. Egregii Viri elogium vide apud Echardum in Scriptoribus Ord. Præd. Tom. I. ad ann. 1420.

„ tha. Videte per prius, quibus datum eſt, primam artem
„ gramaticæ noſſe, Bibliam totam ſecundum literalem ſen-
„ ſum. Videte literam hiſtoriæ, & hiſtorias ſcholaſticas ple-
„ ne, & quidquid ad prædictum ſenſum pertinet. Quod ſtu-
„ dium erit perfectum in uno anno completo. Secundo vi-
„ dete Sanctiſſimi Patres, unam de artibus liberalibus, quam
„ ſic vocant, non quidem ad fallendum, ſed falſitates viden-
„ dum; non ad decipiendum, ſed ad ſanctam cautionem.
„ Talis enim eſt hodiernus modus. Hoc erit in tribus annis:
„ quo tempore ſemper de Doctoribus aliquid hauriatis, ut
„ neminem gloria apprehendat inanis. Si enim ſpiritu vivimus
„ ſpiritu & ambulemus, ut non efficiamur inanis gloriæ cupi-
„ di &c. Tertio videnda eſt naturalis ſcientia, per quam haben-
„ tur cauſæ naturalium factorum ſecundum quod Altiſſimus,
„ qui creavit, in effectibus ordinavit, quam ſcilicet Philo-
„ ſophiam vocant. Cujus quidem auditores in . . . erit vobis
„ perfecta. Quarto concedente Altiſſimo poteritis lucrari quam-
„ plures, ut videlicet duobus annis alios Logicam doceatis.
„ Sexto ſacram Theologiam ſcholaſticam poteritis plene co-
„ gnoſcere ſive in ſtudiis univerſitatis, ſive quocumque modo.
„ Et ſic in 8. annis nihil de pretioſo tempore perdentes, eritis
„ perfecti in omni ſenſu, & in omni ſcientia, ut quaſi luminaria
„ ſitis in Templo, & candelabra, inter quæ ſemper ſit filius homi-
„ nis ſcilicet Chriſtus. Qui enim ad ſcientiam erudiunt multos,
„ erunt quaſi ſtellæ in perpetuas manſiones, quæ quidem ſtel-
„ læ manentes in ordine ſuo, contra Siſaram pro poſſe pu-
„ gnabunt. Tantum vobis ad memoriam reduco, quod pau-
„ ci in iſta religione ſine ſcientia facti ſunt Sancti: ſed quot-
„ quot Sanctos habuit hæc ſancta religio, in ſcientiis floruе-
„ runt. Hæc dico perfunctorie, alias forte vivæ vocis actu
„ latius enarrabo. Agite igitur viriliter, & confortetur cor
„ veſtrum, qui ſperatis in Domino. Recommendo me ora-
„ tionibus veſtris. Scribo F. Thomæ de Senis ſi poſſibile fo-
„ ret vobis redire: eſſemus enim cum iſtis domeſticis veſtris
„ in majori pace. Fiat tamen voluntas Dei, & pax ejus,
„ quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, &
„ intelligentias veſtras in Chriſto Jeſu Domino noſtro Amen.
Item ſi bene occurrit, in dicto anno in feſto S. Apollina-

ris, ad prædicandum in ſua Eccleſia (18) invitatus cum me prædicante in ambone, ubi Evangelium decantatur, juxta morem calefactus ferventer geſtibus manuum, & totius corporis prædicationem proſequerer, contigit fruſtum lapideum ſive marmoreum, ubi poni conſuevit Evangeliorum liber, de columna in qua cum ferro fixum fuerat, proſilire; attamen me deſuper manus tenente, & geſtus ſupradictos agente, ex quibus debuerat cadere infallanter. Unde non parvum miraculum, quod non ceciderit, reputatum fuit, adſtantibus cunctis, nec ſine cunctorum mirando terrore; eo quod ſi cecidiſſet, aliquas perſonas per directum ſub dicto lapide reſidentes, infallibiliter colliſiſſet. Cum autem ego de hoc advertiſſem, & præ terrore efficerer non modicum alteratus; nihilominus dextera manu illud, Domino concedente, accipiens, quaſi non fuiſſet lapideum, & forſan ponderis centum librarum, ſed uti fuiſſet unum inciſorium ligneum, ipſum tradidi juxta me reſidentibus in loco ubi prædicabam prædicto, cunctis de hoc dare advertentibus. Quo facto veluti ſtupidus effectus fui ex conſideratione multiplicis periculi, quod occurriſſet, niſi Dominus taliter providiſſet. Sicque in dicta traditione evidenter apparuit, ſecundum miraculum additum primo. Adfuit autem tunc inter alias quædam ſingularis devotionis perſona, quæ dum hæc agerentur, vidit quemdam in habitu Pontificali coram me ſtantem, & reputatum eſt, quod fuerit Sanctus Apollinaris, mihi contra præfata pericula benigne & miſericorditer occurrens, ac adjuvans. Propterquod concepi ex tunc ſemper de dicto Sancto memoriam facere. Et cum poſtea ad ejus Eccleſiam invitarer ad prædicandum, tanquam eidem ſingulariter obligatus, ſemper acceptavi lætanter. Interfuit autem prædictæ prædicationi ſupranominatus D. Leonardus Presbyter cum ſua comitiva. Nam veniebat tunc libenter, cum poterat, ad me audiendum, eo quod videbat me cum fervore prædicare, ut faciebat & ipſe. Similiter & Dominus Patriarcha Conſtantinopolitanus, poſtea Gregorius

(18) Eccleſia Paternialis in Urbe Venetiarum. Vide Operis Noſtri Tom. II. Dec. IV.

gorius XII. (19) aliquando prædicationi meæ voluit intereſſe. Et ita factum eſt, ut licet prius apud aliquos me prædicare cum dictis actibus, fervoribus & geſtibus, ac cantibus non placeret: attamen ex tunc taliter gratum communiter extitit, ut a vulgaribus vocarer Dilectus; fructuſque non parvus ſecutus ſit, tam communiter, quam ſpecialiter, ex prædicationibus hujuſmodi, prout etiam ex dicendis infra patebit. Sicque veritatem habere compertum eſt, quod ſupradictum fuerat per Dominam Luciam prænominatam, ex eo quod a ſecundo non fuit auditum, nec per me, nec per alios, de aliquo Prædicatore, qui in prædicando taliter ſe haberet. Conſequenter de menſe Septembris invitatus prædicavi in S. Michaele de mane ſermocinaturus, ſi bene occurrit, apud Monaſterium S. Hieronymi. De menſe vero Octobris prædicavi de S. Franciſco in loco majori, Ordinis Minorum ... Antea vero prædicaveram apud S. Mauritium; & poſtea de menſe Novembris apud S. Leonardum. Nam licet tunc prædicarem regulariter in Conventu, attamen propter gratioſam famam ad prædicandum hinc inde a quamplurimis requirebar.

Circa vero Nativitatem Domini contigit ſupradictum Magiſtrum Ordinis de Sicilia, advenire Venetias ad Conventum SS. Joannis & Pauli, ubi in die præfato ſermonem devotum feci in latino coram populo, & juxta morem (20) aliqualiter in vulgari, proponendo: *Videamus hoc verbum, quod factum eſt*, & de eodem verbo mirabiliter proſequendo. In quadrageſima autem immediate ſequenti MCCCLXXXVI. alii ex noſtris Fratribus per Venetias, hinc inde prædicaverunt: Ego autem prædicavi in ſupradicto Conventu Sanctorum Joannis & Pauli, prædicando de Seraphico Crucifixo, cui Beata Virgo Catharina de Senis ſingulariter extitit confirmata, die quolibet Dominicæ quadrageſimæ id ipſum deducens, & oſtendens de dicta Beata, habita prius de dicta prædicationis materia

(19) Caſtellanæ Eccleſiæ anno 1379. exeunte præfectus Angelus Corrarius; rexit eam ad annum 1390. quo translatus fuit ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum.

(20) Ex iis manifeſtatur mos concionandi ſermone *latino*, cui plura miſcebantur lingua *vulgari* dicta.

teria cum ſupradictis Domino Patriarcha, & D. Presbytero Leonardo ſerioſa collatione. Oſtendi autem in feſtis Paſchalibus dictæ Quadrageſimæ unum brachium argenteum in reverentiam Virginis prædictæ per dictum Magiſtrum ordinatum, ad Conventum S. Mariæ ſuper Minervam Ordinis Prædicatorum de Urbe, ubi corpus ejusdem Virginis requieſcit, ſuo tempore deportari, ſicuti & factum eſt. Cum autem ſupradictus Generalis Magiſter portaſſet ſecum de Sicilia Legendam prolixam hujus Virginis per ipſum compoſitam, & completam de mandato ſuo feci copiare illam, & tandem copiata poſita eſt in libraria dicti Conventus Sanctorum Johannis, & Pauli. (21) Et conſequenter datus eſt ordo, ut etiam copiarentur de aliis in reverentiam Virginis, & pro dilatatione ſanctæ vitæ, & doctrinæ ejusdem ad diverſas hinc inde Provincias, & ad loca diverſa, & cum principiatione annualis memoriæ dictæ Virginis, in Eccleſia dicti Conventus. Exiſtentibus etiam duabus legendis (*cætera deſiderantur in pagina culmo amputata*). Poſtea vero cum aliquando interveniſſet ſermo præſente ſupradicto Magiſtro, de fructu animarum, qui fiebat in Venetiis mediantibus prædicationibus, & obſervantia regulari, & quomodo propter diverſitatem perſonarum utriusque ſexus; licet non omnes eſſent aptæ ad relinquendum mundum ex toto, multæ tamen poſſent habiliter aſſumere ſtatum & habitum de Pœnitentia Beati Dominici, de ſtatu ratione ſupradictæ B. Catharinæ de Senis, quæ fuit Soror dicti Status & Ordinis, jam erat per me aliqualiter prædicatum, placuit præfato Reverendiſs. Magiſtro Ordinis mihi negotium de introductione dicti Status in Venetiis committere, una cum R. P. F. Johanne Dominici, unde mihi ſuper id ſuas literas antequam diſcederet de Venetiis, de menſe Julii ordinavit, quarum tenor talis eſt, videlicet: " In Dei „ filio ſibi Chariſſimo F. Thomæ Antonii de Senis Ordinis „ Fratrum Prædicatorum, F. Raimundus ejusdem Ordinis Ma- „ giſter, & Servus ſalutem, & Chriſtum Dominum efficaci- „ ter imitari. Cupiens, & affectans, noſtrum Ordinem non [illegible] ſo-

(21) Vitam Sanctæ Catharinæ de Senis intellige, a Raimundo de Vineis concinnatam. Proſtat in Actis Sanctorum, ac ſeorſim etiam Italicam in linguam tranſlata eſt.

„ ſolum quantum ad Fratres, & Sorores Sanctimoniales, ſed „ etiam quantum ad Fratres & Sorores de Pœnitentia B. Do- „ minici, non tantum quoad meritum, & numerum, ſed „ etiam ad quæque mundi loca ad hoc diſpoſita, & ſignan- „ ter in Civitate famoſa Venetiarum, ad Dei gloriam & ani- „ marum ſalutem, ad quam Ordo noſter noſcitur principali- „ ter inſtitutus, continue de bono in melius creſcere, & „ dilatari: idcirco vobis, de cujus bono zelo, & affe- „ ctione plene confido, concedo auctoritatem meam plena- „ riam, quatenus poſſitis ſupradictam Religionem, ſeu Con- „ gregationem ſingulariter Sororum de Pœnitentia Beati Do- „ minici, inchoare, inchoatam dirigere & gubernare Domi- „ nas quasque juxta diſcretionem veſtram ad habitum dicta- „ rum Sororum recipiendo, Prioriſſas & Subprioriſſas eis in- „ ſtituendo capitula eisdem tenendo, nec non & in abſentia „ veſtra Vicarium inſtituendo & omnia circa ipſas, quæ ego „ facere poſſem ſi præſens eſſem faciendo, ſignificando omni- „ bus præſentes literas inſpecturis, qualiter ultra omnia ſu- „ pradicta, etiam ſingulari intuitu B. Catharinæ de Senis Ma- „ tris & magiſtræ meæ, quæ fuit de dictis Sororibus de Pœ- „ nitentia B. Dominici, ego peroptarem ubique & ſignanter „ in Civitate præfata, ut præfertur, Congregationem ipſarum „ adeſſe, & tam merito quam numero augeri. Quapropter „ confidens ad plenum ſuper hoc de F. Thoma prælibato, „ ſupraſcriptam auctoritatem ei plene concedo, nolens, quod „ aliquis me inferior eum in aliquo impedire præſumat, ſeu „ quovis modo de ſupraſcripta materia valeat, niſi quantum „ & quomodo dictus Fr. Thomas una cum F. Johanne Do- „ minici duxerit attentandum. In quorum teſtimonium ſigil- „ la noſtra duxi præſentibus apponenda. Anno Domini „ MCCCLXXXXVI. die XII. Menſe Julii.“ de quo tenore etiam habetur in ſupraſcripto Tractatu Generali (22) iſtius ſtatus modicum ante regulæ narrationem. Siquidem ob reverentiam D. Dominici, intuituque dictæ B. Virginis, optabat præfatus Magiſter Ordinis quamplurimum, quod in Civitate Venetiarum eſſet Collegium Venerabilium Dominarum dicti habi-

tus,

(22) Vide ſuperius num. (2).

tus, prout erat etiam in Civitate Senarum unde ex hoc ſingulariter mihi impoſuit, ut circa id darem operam juxta gratiam a Domino mihi datam, & ob hoc ipſe mihi fecit literas ſupradictas juxta quas, concurrente F. Johannis Dominici conſenſu, poſſem audentius Dominabus ad hoc aptis, & avidis habitum tradere ſupradictum, quemadmodum in aliquibus aliis Civitatibus feceram.

Contigit autem poſt hoc ſæpedictum Magiſtrum ad partes Alemanniæ ſe transferre; de menſe vero Auguſti ſequenti pervenit ad manus meas unus Tractatus de materia unionis Eccleſiæ, tunc noviter factus ab univerſitate Pariſienſi, (23) qui mihi præſentatus eſt a quodam Francigena tanquam Prædicatori Conventus, ut ſic illum populo publicarem, cujus copia habetur alibi, videlicet inter alios Tractatus de eadem materia per me recollectos: quemadmodum autem in anno ſupradicto, ita etiam in iſto in menſibus Septembris, & conſequenter aliis prædicavi in S. Michaele, in Conventu Majori Minorum, & in locis aliis ſupranominatis. Iſto etiam tempore, prout mihi occurrit, cum ſupradictus R. Magiſter Fr. Gregorius de Ceſena Prior Conventus SS. Johannis, & Pauli acceſſiſſet ad ſepulchrum Dominicum, factus eſt Prior ibidem R. P. Thomas Ajutamichriſto de Piſis, & ejus Subprior F. Nicolaus Magiſtri, Joannis de Ravenna, de quo ſupra in principio facta eſt mentio: Frater utique ſingularis devotionis, ac religionis exiſtens. Quidam vero F. Bartholomæus de Piſcia, etiam ſuperius nominatus factus eſt Prior in Conventu S. Dominici de Venetiis. Ulterius accidit ſequenti menſe Februarii ab Incarnatione Domini MCCCLXXXXVI. ut rumores ſentirentur in Venetiis de miraculis, quæ fiebant ad ſepulchrum Beati Marculini de Forlivio Ordinis Prædicatorum, (24) qui circa finem menſis Januarii præcedentis deceſſerat.

(23) Anno 1394. die 16. Septembris defunctus eſt Clemens VII. qui Avenioné ſedebat. Ante obitum ejus Univerſitas Pariſienſis, extinguendi ſchismatis zelo ducta, commodiores, quas cenſebat, unionis inſtaurandæ vias ſcripto propoſuit. De his agunt Raynaldus in Annalibus; & Cæſar Egaſſius Boulæus in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis ad eumdem annum 1394.

(24) Beati Marcolini Forolivienſis immemorabilis cultus nuper confirmatus fuit ejusque officium proprium ſub ritu duplici conceſſum univerſo Prædicatorum Ordini, & Forolivienſi civitati pro die XXIV. Januarii. Ejus ſepulcrum viſitur Forolivii in eadem Eccleſia, in qua jacet B. Jacobus Salomonius Venetus ejusdem Ordinis Prædicatorum ſanctiſſimus alumnus.

Unde quidem inter alios Forlivienſes ſuper id ſcripſit Domino Leonardo Delphino, tunc Epiſcopo Caſtellano de Venetiis (25) literas, quarum tenor talis eſt, videlicet: " Reverendiſſime Pater & Domine. Quoniam Omnipotens Deus
" mirabilis in Sanctis ſuis, & in operibus manuum ſuarum,
" eligens infirma, ut fortia quæque confundat, nuper in
" hac Civitate mirabiliter operatus eſt, & operatur continue
" ad ipſius Omnipotentis Dei, laudem & gloriam; Paternitati veſtræ, quam novi ex ſpiritualibus donis quamplurimum congaudere, ſignificare compellor, quod cum diebus
" proxime elapſis circa menſem, de hoc ſæculo migraſſet
" quidam homo ſimplex, rectus & caſtus, peritus, & humilis de Ordine Fratrum Prædicatorum, nomine F. Marcolinus de Forlivio, qui per annos ſexaginta, & ultra in dicta Fratrum Prædicatorum Religione laudabiliter vixit.
" Ipſe Benedictus Deus, qui non ſcientiam, quæ inflat, ſed
" per charitatem, quæ ædificat hominem afficit & beatificat,
" dignatus eſt meritis dicti Beati Fratris miracula oſtendere infinita. Nam mutorum os aperuit, auresque ſurdorum; claudos erexit, contractos abſolvit, gibboſos, & impetiginoſos ſimiliter liberavit, & cætera, quæ per ordinem
" & explicate opportunitate capta eidem Paternitati veſtræ
" curabo ſerioſius indicare. De quo, ut ſuppliciter poſtulo,
" Omnipotenti Deo gratias referatis; precantes, ut hunc locum, in quo tanta dignatur oſtendere, conſervet, adaugeat,
" & confirmet in gratia ſua ſancta. Amen. Supplico inſuper,
" ut aliqualem reſponſionem reſcribi faciatis de facto illius
" Domini Clerici, de quo ad inſtantiam Prioris Sancti .....
" Paternitati veſtræ reſcripſi cui me humiliter recommendo.
" Scripta Forlivii die xx. Menſis Februarii per ſervitorem
" veſtrum Bellum de Forlivio.

Prædicta autem audiens R. P. F. Johannes Dominici Vicarius ſupradicti Magiſtri pro inveſtigando de præfatis plenius veritatem, miſit Forlivium in præfato menſe ſupradictum Subpriorem cum aliquibus ſociis, qui cum rediiſſent, & de veritate ſupradictorum plene teſtimonium perhibuiſſent, ſcripſit ſuper

(25) Venetam Caſtellanam Eccleſiam ab anno 1392, regebat Leonardus Delphinus.

ſuper præſatis dictus P. F. Johannes Dominici unam epiſtolam (26) Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, qui tunc in Colonia, vel circa illas partes degebat, cujus Epiſtolæ tenor talis eſt, videlicet: " Diutius mens mea inter oppoſita pugnans
„ an ſcilicet nefandus, & malus prædicator exiſtam divinæ
„ laudis, mirandis his diebus oſtenſis in horto Patris noſtri
„ glorioſi Dominici Roſa fragrans ſiquidem inde de menſe
„ Januarii immediate præcedenti extat evulſa, quæ Divino
„ conſpectui per Angelos præſentata, etiam univerſo dat re-
„ fundens ſuavitatis odores. Credo conſuetudinem vertes in
„ naturam ad partem præſumptionem accedere: infinita enim
„ fere a ſcriptura Scriptorem repellunt, ſed pauca conducunt,
„ inter quæ hoc eſt principaliſſimum, ut Pater Reverendiſſime
„ gaudeatis, quod ſub virga, & cultura veſtra talis ovis &
„ planta ſit reperta, quæ Dominum prædicans in ſuis crea-
„ turis mirabilem, ei aquirat populum ſpecialem, atque ſuo
„ exemplo aliorum gregis ejusdem tepentia corda ad charita-
„ tis priſtinum ignem verbis literis, & exemplis viriliter ſi-
„ ne timore, ut optatis, revocare poſſitis. Porro roborante
„ fama ſcripto ſimul, & voce de novis miraculis patenter
„ oſtenſis meritis Fratris vere Beati Marcolini de Civitate
„ Forlivii hoc anno præſenti die 24. Januarii (vas terreum
„ relinquens infima ſpiritu petenti alta Cœli veſtigia) nimis
„ credula, certificari cupiens, illuc Superiorem noſtri Conven-
„ tus, & F. Marſilium de Senis, cum uno nobili iſtius Civitatis
„ celebris famæ, & alio populari optimæ diſpoſitionis transmiſi.
„ Qui converſi narrant, quæ viderunt, & audierunt tot, &
„ tanta, quod fama prior pro nihilo reputatur. Nam mihi
„ portaverunt in ſcriptis, teſtibus juratis, & ipſis plusquam
„ octuaginta miracula, quæ Dominus infra paucos dies ad
„ tumulum præfati Beati, & in aliis locis ad invocationem
„ ejusdem eſt operatus benigne. Cum quibus venit unus
„ Forlivienſis civis, qui cum eſſet genitalium fractione per-
„ cuſſus, intra ſe emiſſo voto, quod prædicaret eum Beatum,
„ ſi reciperet ſanitatem, mox ſe ſenſit ſanatum; & tantum
„ ſuis genitoribus, & uxori beneficium narrans, quibus nota

(26) Hanc Joannis Dominici Epiſtolam memorat Jo: Michael Pius, ſeu Plodius, Par. I. *degli Huomini illuſtri di S. Domenico*.

„ eſſet infirmitas, verecundia ductus aliis manifeſtare ſilebat,
„ unde de novo ſe conſpicit repercuſſum. Tunc reſolvitur in
„ fletus, ſuam infidelitatem deplorat, ſatisfactionem promit-
„ tit: ſequitur promiſſionem liberatio nova. Quapropter non
„ contentus in terra ſua, cujus eſt Civis conditionis honeſtæ,
„ hoc propalare, meis nunciis ſe junxit, hicque narravit audi-
„ re volentibus, quæ in ſe ſenſit, & ſimiliter narrat de aliis.
„ Narrant mihi hi omnes uno ore, quod non eſt aliqua hora
„ infra diem naturalem, in qua ſint pauciores mille trecentis
„ perſonis in Eccleſia noſtra, quæ hoc ſancti corpus continet
„ tumulatum. Petunt continuari verbum Dei, die noctuque
„ quærunt copiam confeſſorum, nec ſufficiunt operarii ad meſ-
„ ſem tam uberem & felicem. Ibi peccatorum lacrymæ, devo-
„ torum ſingultus, languentium voces, beneficia, clamores po-
„ ſcentium, laudantiumque jubilum audiuntur permixta. Et li-
„ cet in corpore ſanentur innumeri, plures tamen abſque compa-
„ ratione eripiuntur a Dæmone, quos peccatis poſſidebat immer-
„ ſos. Quid referam de quodam blaſphemo in Deum & Sanctos,
„ cui tradita fuit parva particula de panno cappæ Sancti præ-
„ fati, ut illius virtute deſiſteret a peccatis; quam recepit
„ corpore, ſed non mente, poſuitque in marſupio ſuo forſi-
„ tan cum taxillis. At reverſus ad domum devotionem ſuorum
„ deridens (fuit enim hoc in principio ſignorum) accenſo
„ igne pannum cappæ inter prunas locavit ignitas, cooperuit
„ ignem, & abiit ſeſe jactans, quod tantus eſſet, quod ſan-
„ cti potuiſſet comburere cappam. Et factum eſt autem poſt
„ biduum, tertia ſcilicet die, cum præfatus ludo omnem pe-
„ cuniam amiſiſſet, quærebat ſolertius an aliquid æris reman-
„ ſiſſet in burſa iterum ad ludendum, nec aliud invenit
„ quam pannum Beati, quem nudius tertius putabat eſſe com-
„ buſtum. Quo viſo, in anima tactus, corde & lingua con-
„ tritus cœpit rei prædicare magnalia, & intus obſtinatus lu-
„ pus verſus in agnum pandere verbum dicitur: ſicque cœ-
„ pit fama in Civitate clarius dilatari. Nunc autem currunt
„ undique ſenes & parvuli, juvenes, & Virgines ad laudan-
„ dum nomen Domini, & eo quod magis Fratres ſilebant,
„ & occultabant gemmam ſub terra latentem, lapides prædi-
„ cabant in tectis. Curſu enim ſui incolatus conſummato fe-
„ lici, ſine ulla ſolemnitate fuit traditus ſepulturæ. Quod

„ fieri

„ fieri non potuit clam , cum eſſet in Civitate notiſſimus ,
„ licet ſimplex homo ab omnibus reputatus , imo eo defuncto
„ puer unus 7. annorum per Civitatem ipſum denunciabat
„ obiiſſe: quo factum eſt Deo hominum corda movente , ut
„ Fratres defunctum , ut moris eſt , ad Eccleſiam deferentes
„ invenerunt ipſam hominibus utriuſque ſexus repletam; di-
„ centes , Sanctum occulte vultis tradere ſepulturæ , divina
„ notitia philoſophante turbam , ut ſimplicem ruſticanam .
„ Sed ſolus cocus conventus cœpit adhærere vocibus populi ,
„ eo quod lavans corpus humandum , callos magnos in ge-
„ nibus reperiſſet orantis . Irruit plebs ſuper corpus Beati .
„ Beatus, qui poteſt contingere ſanctum , & ex indumentis
„ accipere partem. Nitentibus tamen ex alia parte Fratribus
„ ejus accipere corpus , & cum cæteris defunctis humili tra-
„ dere terræ, inter depromentes laudes , & reprimentes ter-
„ minatur pugna cum die . Nocte igitur, laicis repetentibus
„ ſua , Fratres feſtine ſepulturæ debita perſecerunt. Sed die ſe-
„ quenti Sole renato , currit undique populus, petit theſaurum
„ abſconditum , vult exhumare corpus, Fratres obſiſtunt, ver-
„ ba creſcunt: illi dicunt, injuſtum eſſe, ſimplicem hominem
„ revereri ut Sanctum : obiiciunt iſti , nimis fore iniquum
„ ejus abſcondere ſanctitatem , quam Deus revelat . Interea
„ non eſt Sanctus; imo eſt ſanctus; non modica fit concerta-
„ tio. Adeſt inter laicos carpentarius unus, qui refert fideliter
„ dicens: cum inciderem lapides , manum meam acuto mal-
„ leo tam atrociter caſu percuſſi , ut pars non parva deſide-
„ retur a toto. Cum mæſtus , mala conſuetudine mea inter
„ gemitus Deum voce blaſphemarem & ſanctos, hic pius Pa-
„ ter accurrit , amplectitur me, dulciter reprehendit, herbam
„ primam ſibi occurrentem electam de prato apponit vulne-
„ ri , jubet ut manum teneam obſeratam , intrat Eccleſiam ,
„ in qua morula contractus , ad me reverſus dixit: fili , ape-
„ ri manum , ſed ipſe renuebam , ajens , dimitte , ſtate Pater ,
„ quia herba mitigavit dolorem , & neſciebat quod herba ap-
„ poſita erat ad occultandam Dei virtutem in humilitate præ-
„ ſtita . Ille vero dicebat : ergo aperi ſecure , ne timeas . Quod
„ faciens , ex toto inveni me ſanatum . Volo ſuorum pedum
„ oſculari veſtigia , ipſe renuens præcepit, ut de re in vita
„ ſua non loquar. Adeſt alter , qui nocte fuerat viſione per-

„ ter-

„ territus; nam ut ſibi videbatur, erat in Eccleſia Fratrum
„ Prædicatorum ante tribunal irati judicis conſtitutus, vide-
„ batque Fratres ſedere, ſed ſolum Beatum Fratrem Marcu-
„ linum ſtare. Jubebat judex, ultricibus flammis tradi ſenem
„ quemdam, qui a magno tempore non erat confeſſus, om-
„ neſque circumſedentes ſilere. At ille venerandus Frater,
„ qui ſtabat, pro damnato veniam poſtulans obtinebat; dice-
„ batque illi, vade, & confitere, & ſalvus eris. Et evigi-
„ lans die facto, uxori damnandi viſionem aperuit. Illa ve-
„ ro non celavit marito: qui audiens, ad Eccleſiam venit
„ Prædicatorum, cum lacrymis multis confeſſionem fecit
„ publicam & occultam. Non deeſt, quod quidam pueru-
„ lus, qui jam ei decrepito aſſiſtebat in cella, a quo non
„ poterat ſacras devotiones abſcondere. Hic perceperat,
„ quod in cella ante quamdam imaginem Virginis matris,
„ dilectum filium tenentem in ulnis; ſedule orabat dicens
„ centum Pater Noſter, & totidem Ave Maria, more Con-
„ verſorum quamvis eſſet Dei Sacerdos. Cantabat eidem
„ hymnos & pſalmos & pauſando a cantu dicebat: O quam
„ pulcher eſt filius tuus, quam ſpecioſus! Eh da mihi eum
„ &c. talia ſimplicia, non fucata. Hic puer jam viderat,
„ quod omni ſero linteamina deponebat de lecto, puto, ut
„ ordinat Ordo noſter. Diſciplina utebatur, quam in matera-
„ cio abſcondebat, ne videretur. Eum ſolum viderat com-
„ municantem, ſed ſecum plures voces perceperat jubilantes.
„ Proteſtabantur etiam multi, & multi ipſum fuiſſe magnum
„ Prophetam, cum prædixiſſet eisdem occulta, & ignota, &
„ futura, & cordium ſecreta frequenter, licet in vita dixiſ-
„ ſent eum arte divinatoria talia prædicere; a qua fama ſe
„ non purgat Pater humilis & ſanctus. Lamentabantur jugi-
„ ter utriuſque ſexus pauperes multi, quibus ipſe pauperrimus
„ nihil habens proprium, largiſſime providebat. Et quod mi-
„ rum & laudabile eſt: ſic vixerat & opera Dei compleve-
„ rat, ut qui fuerat expertus miracula, de Prophetiis neſci-
„ ret: & qui prophetam comprobaverat, ignoraret ipſum ad
„ pauperes pium, vel in orationibus pernoctantem, ut videa-
„ tur in tota vita ſua nihil ſedulius ſtuduiſſe, quam virtutem
„ humilitatis, omnis ſanctitatis magiſtram. Igitur ſolis Fra-
„ tribus ejus laudem tacentibus, imo reprimentibus, & di-

„ cen-

„ centibus non licere fieri novum Sanctum & maxime ho-
„ minem ſimplicem, nec magnæ literaturæ, in verbo non
„ acutum, vel gratioſum, dormientem in miſſa, & menſa, &
„ in via ambulantem. Ignorabant enim pro tunc, qualis eſſet
„ ille ſomnus quietis. Aliis vero attollentibus, violentia re-
„ volvitur lapis ſepulturæ, exhibetur corpus Sancti, odoris
„ fragrantia repletur Eccleſia. Iterum ejus veſtimenta decer-
„ puntur in fruſta a fidelibus, ut fuerit neceſſe pluries, ipſum
„ habitu Ordinis veſtiri. Tunc currunt languidi, & membris
„ privati, & quid fuerit, faciatque Dominus omni die meri-
„ tis ejus, ſtupor eſt audire, videre mirabile, impoſſibile reci-
„ tare, & credere pium atque devotum. Miracula ejus quæ
„ nota ſunt vulgo, aliqua faciam ſcribi de multis & ſi non
„ eſſem in janua quadrageſimæ, ipſe libenter notarem, ni for-
„ ſitan etiam obſtaret verborum penuria & ignorantia devoti
„ ſtyli. Si autem quæris de vita ipſius, & de humili homi-
„ ne in ſecreto devotius operante; Pauca reperio præter ea
„ quæ ſuperius brevi confuſo narravi ſermone. Celebra-
„ bat omni die, & celebrando ſæpius dormire videbatur.
„ Die noctuque debitis horis erat in choro: ſe claudebat in
„ cella, & ſolus manens, ſolus non erat, ſed loqui videbatur
„ cum multis; unde Fratres deridebant eumdem. Si autem ſci-
„ ret, Eccleſiam fore vacuam perſonis, in ipſa orabat. Co-
„ medebat cum cæteris, ſi vocabatur; nam alias divino ſom-
„ no depreſſus campanam, quæ eſt nota comedendi, non
„ ſentiebat, ſic nec alias campanas, niſi quando pro elevatio-
„ ne Corporis Chriſti quantumcunque parva eſſet, ictibus re-
„ ſonabat, prout experientia docebat. At ubi revertebatur ad
„ ſenſus, deſcendebat, & ſi jam Fratres ſederent ad menſam,
„ in coquina ſe ponebat cum famulis in tripede ſedens: ſicque
„ quæ ordinis erant ſobrie comedebat; jam octuagenarius, &
„ quaſi ſurdus, indefeſſe jejunabat omnibus diebus ab Eccleſia
„ conſtitutis, & etiam ab Ordine, quæ obſervari debent intus
„ & extra, induebatur vilibus pannis, & ſatis .... ſolitarius
„ erat multum, & ſolum cum pueris parvulis innocentibus,
„ quorum eſt regnum Dei ob dilectionem & memoriam par-
„ vuli Jeſu Chriſti, ad quem totus erat affectus, aliquando
„ converſabatur, a quibus derideri gaudebat, & trahi per cap-
„ pam. Maxime affluebat viſceribus caritatis. Quærebat enim

„ ſe-

„ ſecreto pro Fratribus, & pauperibus aliis, & diſtribuebat aſ-
„ flictis, taliter quod nemo noverat, niſi qui accipiebat; nec
„ unus accipiens de alio ſciebat. Tanta enim pauperibus ero-
„ gabat, quod veſtiri commode poſſent: unde tanta haberet,
„ niſi Dominus in manibus ejus aquiſita multiplicaret? Pa-
„ rum loquebatur, & bonas confeſſiones audiebat libenter, &
„ ſine querela. Talis erat, qualem Dominus faciebat, tantum
„ humilem, ut Dominus ipſum exaltaret immenſe, tantæ
„ perfectæ ſcientiæ, ut Doctores præcedat in regno Dei. O
„ miſera ambitio noſtra! Aut quærimus famam, aut non fu-
„ gimus. Regnare volumus in terra: vel terram, ſicut decet
„ non contemnimus. Ecce quod indocti rapiunt cœlum, hu-
„ miles ad ipſum accedunt, ſimplices ipſum mercantur, acqui-
„ runt pauperes, pœnitentes aſſequuntur. Aſt nos miſeri,
„ ambitioſi, ſuperbi, & elati, noti hominibus Deoque ignoti,
„ quo pergamus, neſcimus; vereor dicere, ad inferna demer-
„ gimur. Excitemur, o miſeri! noſcamus præſentem vitam
„ fugacem fallacemque, & ad illam ſuſpiremus, ad quam fe-
„ liciter humilis plantula in horto Dominici Sancti plantata,
„ anima B. Marcolini coronata ſertis aſcendit. Amen." Item
eodem menſe ſcripſit mihi de Forlivio quidam, hoc eſt F. Geor-
gius de Pera ſuper materia dicti Beati duas literas quarum pri-
mæ tenor talis eſt, videlicet: "Reverendo Patri meo F. Tho-
„ mæ de Senis F. Georgius de Pera cum recommendatione
„ ex corde, Rev. Pater non miremini, ſi literæ veſtræ non-
„ dum reſpondi: quoniam hoc vere fuit propter multas &
„ varias occupationes meas. Sed quoniam ad facta iſtius Bea-
„ ti Marculini, vere plura ſunt, quam dicantur, & multis
„ claret miraculis iſte Sanctus noſter." Deinde ſubnectit de
quibusdam aliis ad ſe pertinentibus. Alterius vero literæ te-
nor talis eſt: "Pater mi poſt recommendationes multimodas.
„ Scire velitis quomodo recepta litera veſtra, in qua mihi
„ ſcribitis, quod debeam vobis aliquid notificare de vita &
„ miraculis iſtius quam glorioſi ſancti. Idcirco de primo no-
„ veritis qualiter vita ſua, nonniſi ut plurimum privative
„ cognoſcebatur, utpote quia nunquam turbabatur, nec alios
„ turbabat. Erat humilis, & pacificus: nunquam impediebat
„ ſe de factis proximi, niſi in bonum. Non retinebat ſibi
„ aliquid, ſed totum dabat pro Deo. De commendandis per
„ eum

„ tunc nihil ſibi penitus procumbat : ſed illud, quod coram „ eo ponebatur, comedebat: & ubi ei aliquid defuiſſet, por„ tabat patienter, jejunia Eccleſiæ cum quadrageſima plenarie „ obſervabat ; & etiam multas alias vigilias, quæ per Eccle„ ſiam non mandantur. De jejuniis vero Ordinis in adventu „ & in cunctis ſextis feriis jejunabat : de jejunio vero Sanctæ „ Crucis, cum contigiſſet Priorem alios diſpenſare, & tunc „ ipſe tali diſpenſatione utebatur, in oratione vero aſſiduus „ erat, & ſecundum quod videtur pro majori parte noctis oc„ cupabatur in illa. De . . . vero, utpote de miraculis ſuis, „ ſciatis qualiter die ſequenti, ex quo hinc diſceſſit F. Nico„ laus cum ſuis conſociis, facta ſunt XXIIII. miracula circa „ varias infirmitates, & ita conſequenter quotidie ſine fine. „ Unde velle illa totaliter enarrare, nimis foret difficile. „ Aliud non dico pro nunc. Dominus vos cuſtodiat, & pro „ me veſtra Paternitas orare dignetur. Datum Forlivii die „ XXI. Martii per veſtrum filium F. Georgium de Pera Ordi„ nis Fratrum Prædicatorum.

Deinde in quadrageſima immediate ſequenti MCCCLXXXXVII. prædicavi in Eccleſia S. Salvatoris, de vitiis videlicet quibus damnamur, & de virtutibus quibus ſalvamur . . . . in dicto autem temporis proceſſu in publicis prædicationibus, & privatis per me, tam inter me, quam inter Dominas, facta eſt mentio ex intentione de dicto ſtatu de Pœnitentia B. Dominici intantum, quod aliqui Viri ad illum ſumendum ſe quam devote diſpoſuerunt. Siquidem ex ſupradictorum vita pariter & doctrina, & ex devotis obrenunciationibus, ac ingreſſibus ad Religionem utriusque ſexus, ac ex ſupradicta publicatione ejusdem vitæ, & doctrinæ B. Catharinæ de Senis converſi ſunt quamplures viri, & mulieres ad tenendam aliam vitam devotam & honeſtam, & ad projiciendum omnes vanitates, intantum quod aliqua ad vanitatem pertinentia tunc temporis, quaſi totaliter ſunt de dicta civitate ſublata de medio, artificibus præfatarum vanitatum id ipſum non parum ægre ferentibus. Ex præfatis autem converſis, moti ſunt ulterius aliqui viri, non valentes intrare, nec aptos ſe reputantes ad intrandum Religionem Prædicatorum, ad petendum ſaltem habitum ſupradictum. Ex quibus unus fuit quidam dictus D. Antonius de Superiatio nobilis, & parentelæ non par-

væ, qui cum prius fuiſſet homo quaſi totaliter mundo, ac ejus vanitatibus, ac vitiis deditus, in primis ſupradictis prædicationibus noſtris converſus eſt taliter ad Dominum, ut dictum habitum de Pœnitentia B. Dominici finaliter ſumeret, ut patebit. Quidam alius, dictus Limettus de Venetiis cum tenuiſſet uxorem alterius non parvo tempore, converſus ad Dominum, petiit habitum præfatum. Et conſimiliter quidam alter dictus Grandens de Bononia, & uxoratus, per bonum tempus continentiam ſervans, & ſervare affectans, impoſterum idem habitum pluries petiit, & tandem accepit. Et alii plures de quibus infra patebit.

Contigit autem dicto anno circa menſem Auguſti, ſupervenire peſtem (in) Civitate Venetiarum: dignatuſque eſt Dominus inter alios, etiam nos Fratres de Conventu SS. Joannis & Pauli viſitare de peſte, intantum, ut quamplures de illa ex noſtris feliciter migraverint ad Dominum, inter quos unus fuit Vener. P. F. Thomas Adjutamichriſto de Piſis, (27) tunc Prior dicti Conventus: item Fr. Hieronymus de Dulcigno fervens prædicator, & tunc Magiſter Noviciorum; nec non & aliqui alii Diacones, & Subdiacones, Novitii, & Converſi, quorum omnium, F. Johanne Dominici ac me & aliis præſentibus, unus diſceſſit cum decantationibus laudum, alius cum mirandis viſionibus, alius cum devotionibus ſingularibus, alius cum præfatis omnibus ſimul, & ſic conſequenter ipſorum cujuslibet fuit devotiſſima ſepultura. Ex quibus omnibus utpote tam charitativis viſitationibus, & mutuis ſubventionibus, quam devotis migrationibus ac etiam ſepulturis non erat aliquis ex noſtris, qui diſcedere vellet a nobis, & alibi accedere, ut peſtem evaderet. Et cum me teſte contigiſſet, F. Johannem Dominici quoſdam velle mittere ad cautelam, & jam hoc ipſum ordinaſſet, & illi ad implendam obedientiam prompti, & parati exiſterent; cum innotuiſſet eis de cauſa, dicto Patri humiliter ſupplicarunt, quatenus eidem placeret ex hoc eos nolle emittere, quia longe amplius conſolati manebant, ſic cum ſociis permanendo, quam pro tutela alibi accedendo, fuerunt autem omnes ſupradicti circa xv.

qui

(27) Ipſius mentionem faciemus ad Monaſterium *S. Dominici Venetiarum*.

qui in dicto tempore feliciter ad Dominum migraverunt. Nec existimo silentio transeundum, quod dicta peſte durante, & in dicto Conventu continue prædicante, mirabiliter mihi conceſſit Altiſſimus, in tantum populo adveniente ſolatia ſpiritualia tradere, ut magna portio ſe prompte diſponeret ad talem mortem ſuſcipiendam lætanter, & conſimiliter ad confortandum infirmos de morbo peſtifero; allegans inter alia hoc tempus fore ſimile quodammodo tempori Martyrum, in quo tam Martyres, quam Martyrum confortatores pariter merebantur. Et licet multi Venetorum, & ſignanter nobiles, propter peſtem de Venetiis diſceſſiſſent, ac etiam aliqui, quod dictus F. Johannes, & ego quod deberemus ſecedere, ſuaderent; attamen publice prædicabam, qualiter ſupradictus Pater & Ego parati eramus pariter ad vitam, & ad mortem cum eis immobiliter & viriliter permanere, ac omnes viſitare, omniaque nobis poſſibilia, & principaliter ad ſalutem animarum pertinentia executioni debitæ demandare. Inter hæc autem inſonuit vox de maxima penuria, & indigentia tam corporali, quam ſpirituali quamplurium infirmorum, & ſingulariter popularis ſtatus hinc inde per civitatem commorantium; propter quod quidam de noſtris, videlicet F. Johannes Benedicto de Venetiis (28) tam in prædicatione, quam in aliis piis operibus totus fervens, ſupradictis miſeriis ex corde compatiens veluti a Domino inſpiratus, & accepta licentia a prædicto F. Johanne, acceſſit ad patrem ſuum carnalem, & obtentis ab eo decem ducatis, cœpit hinc inde diſpergere tam verecundis, quam omnis conditionis infirmis, eis non ſolum corporaliter ſubveniendo, ſed etiam ipſos conſolando, & ad confeſſionem audiendo. Cum autem ſuccreſcerent indigentiæ ſupradictæ acceſſit etiam audacter ad Dominium, a quo ducatos III. centum obtinuit, quibus conſumptis verſus Triviſium iter arripuit; ubi multi nobiles declinaverant propter peſtem; Quos requirens, ab eis trecentos ducatos alios reportavit. Deinde per Venetias hinc inde diſcurrens a diverſis ultra ducatos quadringentos invenit, ut ſic aſcenderet præ-

(28) De Joanne Benedicto [illegible] Veneto, Electo Patriarcha Gradenſi, & poſtea Epiſcopo Tarviſino. Vide Tom. III. hujuſce operis in ſerie Patriarcharum Gradenſium ad Eccleſiam S. Silveſtri.

ſata pecunia infirmis per ipſum hinc inde diſperſa longe ultra mille ducatos, prout idem F. Johannes perſonaliter affirmavit. Cum qua pecunia duplex opus miſericordiæ, tam ſpirituale, quam corporale, longanimiter eſt proſecutus, quamdiu videlicet a Prælatis ſuis fuit ſibi permiſſum. Nec eſt tunc reperta memoria ſimilis operis, hoc ſibi concedente bonorum omnium largitore.

Eodem etiam anno de menſe Octobris contigit me prædicare in Conventu Majori Minorum de S. Franciſco intermiſcens de materia mortis cum non parva conſolatione auditorum, qui interfuerunt prædicationi præfatæ: & conſimiliter F. Nicolaus Magiſtri Joannis in loco minori S. Franciſci de Vineis mirabiliter prædicavit. Item in ſequenti menſe Novembris, Magiſtro Ordinis exiſtente in Conventu Colonienſi, me fecit Provincialem Provinciæ Græciæ (29) transmittens mihi literas dicti Provincialatus, quarum tenor talis eſt, videlicet: " In Dei filio ſibi chariſſimo F. Thomæ Antonii de
„ Senis Provinciali Provinciæ Græciæ, Fratrum Prædicatorum, F. Raymundus ejusdem Ordinis humilis Magiſter, &
„ Servus ſalutem, & Chriſtum Dominum efficaciter imitari.
„ Licet onus officii paſtoralis quieti propriæ vacare volentem,
„ ac ſoli creatori adhærere totis affectibus inhiantem propter
„ occupationem extrinſecam videatur aliqualiter impedire;
„ premium tamen bene poſſidentibus repromiſſum debet devotum ſubditum animare ad ſupportandum dictum onus,
„ cum injungitur. Si enim terreat labor regiminis, laborem
„ tamen mitigat ſpes mercedis. Cum igitur Fratres ſupradictæ Provinciæ Græciæ per mortem F. Nicolai de Peruſio
„ Magiſtri in Theologia quondam ibidem Provincialis, fuerint Patris ac Paſtoris ſolatio deſtituti; volens eisdem de Paſtore
„ ac capite providere, convocato diſcretorum Fratrum & Magiſtrorum conſilio auctoritate Generalis Capituli mihi in hac parte ſpecialiter commiſſa vos in Provincialem antedictæ Provinciæ elegi, & de eorum conſilio confirmavi, & tenore præſentium vos in Provincialem ejusdem Provinciæ Græciæ
„ eli-

(29) Hanc Provinciæ Græciæ Præfecturam Thomæ Antonii de Senis collatam ignoraſſe videtur Echardus in ejus elogio: quod plurimum augeri, & exornari poteſt ex Codice, quem modo publici juris facimus.

„ eligo , & confirmo ; curam & regimen Fratrum , & Soro-
„ rum, Conventuum & Monaſteriorum ejusdem Provinciæ ,
„ tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus in capitibus &
„ in membris, vobis eodem tenore committens; & nihilomi-
„ nus vobis in virtute ſanctæ obedientiæ, & Spiritus Sancti,
„ ac in remiſſione peccatorum veſtrorum , præcipio , quate-
„ nus viſis præſentibus , vel auditis , dictum Provincialatus offi-
„ cium, tanquam verus obedientiæ filius ſuſcipiatis humili-
„ ter, & rogo ac injungo, quod exequamini diligenter, tali-
„ ter tamque ſolicite recturi dictam Provinciam, ut ex veſtro
„ regimine bono , Deo , & ordini fructus, ac fama Fratribus &
„ Provinciæ , vobisque premium æternæ retributionis accre-
„ ſcant . Cæterum ad majorem veſtræ conſcientiæ ſerenitatem in-
„ dulgeo , ut dum fueritis in prædicti Provincialatus officio , poſ-
„ ſitis vobis eligere confeſſores , qui vos a ſententiis & pec-
„ catis abſolvere, & vobiſcum ſuper irregularitatibus , ſi quas
„ contraxeritis , valeant ſecundum noſtri ordinis privilegia
„ diſpenſari . Inſuper eadem auctoritate vobis concedo , qua-
„ tenus executiones ultimarum quarumlibet voluntatum reci-
„ pere valeatis, & ipſas executioni debitæ demandare coram
„ illis, quorum interfuerit, locis & temporibus opportunis . In
„ quorum omnium teſtimonium præſentes patentes literas fie-
„ ri feci , & noſtro ſigillo muniri . Datum Coloniæ Provin-
„ ciæ Theutoniæ Anno Domini MCCCLXXXVII. die XXVI.
„ menſis Novembris . " Conſequenter autem dictis literis ha-
bitis , contigit de conſenſu Fr Johannis Dominici me illuc
mittere quosdam Fratres , & ibidem facere unum Vicarium
pro tunc , cogitans illuc tempore ſuo perſonaliter accedere .
Cum autem poſtmodum ibidem peſtis occurreret , illuc ire
non fui permiſſus unde remanens in Venetiis in Quadrageſi-
ma immediate ſequenti videlicet MCCCLXXXVIII. prædicavi
apud S. Moyſem de Pater noſter , & Ave Maria . Quidam
autem Presbyter Dominus Leonardus , de quo ſupra facta eſt
mentio , in Sancto Apoſtolo prædicavit Pater Noſter . Cum
autem dictam prædicationem perfeciſſem , fui poſtea requiſi-
tus poſt Paſcha valde inſtanter , quod deberem prædicare in
Eccleſia S. Agnetis per Dominicos dies ſequentes ; & ita fa-
ctum eſt , faciendo ſæpius mentionem de materia habitus de
Pœnitentia B. Dominici . Et quamvis haberem commiſſionem
a Re-

a Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis ſuper receptione perſonarum ad dictum habitum, ut patet ex litera ſupradicta MCCCLXXXXVI. mihi conceſſa; attamen circa id lentiſſime pede incedebam, recogitans hoc ipſum nullatenus proſequendum, niſi ſignum adeo efficax divinæ complacentiæ reſpectu hujuſmodi operis compareret. Unde ſignis tandem aliquibus ſuper id mihi traditis, finaliter dicto negotio dedi exordium, prout ſequitur, in hunc modum. Siquidem concurrente aſſenſu ſupradicti F. Johannis Dominici, cum auctoritate ſupradicta a Reverendiſs. Magiſtro mihi tradita contigit tunc temporis quod cuidam devotæ perſonæ quædam revelatio fieret, adhibitis ad ejus confirmationem ſignis valde ſingularibus, & expreſſis, & ſignanter ſuper mutatione, & contritione cordium peccatorum; qualiter videlicet in Eccleſia S. Mariæ de Charitate, quæ dictæ Eccleſiæ S. Agnetis eſt propinqua, debebam dare habitum ſupradictum ſaltem pro tunc dominabus duabus viduis, & devotis, miſſa ibidem & prædicatione præmiſſis, ac etiam aſſiſtentibus inter alias quibuſdam perſonis determinatis. (*Habitus hac data occaſione ſermo integer deſcribitur.*)

Eodem anno MCCCLXXXXVIII. die 2. Menſis Julii, videlicet in feſti foro Viſitationis Beatæ Virginis diſceſſimus de Venetiis, præfatus P. F. Johannes Dominici, alius P. F. Taddeus de Urbe veteri, & ego cum cæteris aliis Fratribus de Thuſcia, & ſupradictus etiam Dominus Antonius Superantio voluit venire nobiſcum, habitu indutus de pœnitentia S. Dominici. Tranſeuntes autem per Civitates intermedias, & per Piſciam atque Lucam, non ſine fructu, ad Civitatem Piſanam pervenimus omnes incolumes. Ibique tam a Fratribus noſtris quam a Sororibus ſive Monialibus S. Dominici, ubi quædam inſignis ſerva Chriſti tunc præſidebat, quæ dicta eſt Soror Clara filia olim Domini Petri de Gambacurtis, (30) fuimus cum mira charitate ſuſcepti. Stanteque ibidem quaſi per menſem cum dimidio, dictus Dominus Antonius cum dicto habitu S. Dominici hinc inde per Civitatem prout erat opportunum incedens pluriſmos ædificavit; F. Johanne autem in Con-

venu

(30) Beatæ Claræ Acta proſtant. apud Bollandi Continuatores ad diem XVII. Aprilis: Mentionem ejus ingeſſimus hujuſce Operis Tom. II pag. 125.

ventu prædicante ; & me in Eccleſia majori , & aliis apud Monaſterium dictarum Sororum , & per alias Eccleſias , non parvus exinde ibidem ſecutus eſt fructus ; nam aliquæ Dominæ per manus meas dictum habitum de Pœnitentia B. Dominici ſuſceperunt : aliqui, ut intrarent Ordinem Minorum, Corſicam acceſſerunt : alii Cartuſiam , quidam vero ad intrandum Ordinem Prædicatorum ſe diſpoſuerunt , nobiſcum Venetias acceſſuri . Ex quibus quidam dictus Johannes de Seta vir ſatis grandævus & uxoratus nobiſcum infallanter veniſſet , niſi matrimoniale vinculum obſtitiſſet .... Cum deberemus inde diſcedere , prius ſingularem cum Fratribus Ordinis Minorum etiam Conventualiter fecimus caritatem : præmiſimusque quamdam prædam , utpote quemdam juvenem Lucanum Venetias . Cunctis igitur valefacientes , & de Piſis diſcedentes , cum perveniſſemus ad quemdam tranſitum ſatis obſcurum inter territorium Piſanum & Florentinum , parentes ſupradicti juvenis, cum nudis enſibus & lanceis omnes nos ex inſperato terribiliter ſunt aggreſſi . Sed Domino miraculoſe operante , modicum poſt taliter mitigati ſunt , atque reconciliati , quod omnes nos illæſos , & incolumes pariter dimiſerunt . Et ſic inde procedentes circa feſtum Nativitatis Beatæ Virginis ad Conventum Senenſem pervenimus , viſi cum omnimoda charitate a Fratribus & a cunctis . Facientes autem ibidem reſidentiam circa 15. dies , & prædicante ſupradicto P. F. Johanne Dominici in Conventu per totam octavam dictæ Nativitatis Virginis , & me in Eccleſia Cathedrali tam in dicto feſto , quam in diebus aliis prædicabilibus , ac etiam alibi , & cum omni gratia , ac ſi duo novi Apoſtoli perveniſſent , ibidem non parvum ſpirituale ſolatium in quamplurimis animabus , & fructus bonus & multiplex eſt ſecutus ..... De Senis autem accedentes ad Civitatem Caſtelli , mecum aſportavi cappam ſive chlamydem B. Catharinæ de Senis quam mirabili modo obtinui , cum eſſemus in Senis . Et etiam habui duo volumina Epiſtolarum Virginis a quodam Fratre de Hoſpitali S. Mariæ, dicto Fratre Chriſtophoro Gani , qui fuit de ſingularibus diſcipulis Virginis : & qui latinizavit libros Virginis . Verum quidem de dictis Epiſtolis ego feci alia duo volumina ſub alio ordine videlicet in uno ponendo omnes Epiſtolas pertinentes ad ſtatum religioſum , & clericalem ; in alio pertinen-

tes ad ſtatum ſecularem. De Civitate autem Caſtelli, ubi tunc dicta obſervantia regularis vigebat ut ex ſupradictis apparet, per Ariminum, & Clugium procedentes, circa finem menſis Septembris Venetias ſoſpites pervenimus, Domino conducente.

Cum autem Venetias rediſſemus, contigit ſupradictum P. F. Johannem Dominici recipere quaſdam literas de menſe Octobris per ſupradictum Magiſtrum Ordinis Coloniæ ſcriptas de menſe immediate ſupradicto Septembris, quarum tenor talis eſt, videlicet: " In Chriſto Jeſu Domino noſtro prædilecte Vicarie. Poſt ſalutes cordiales in ipſo, communem filium F. Johannem Benedicto ... quodammodo fugitivum iſtis diebus recepi lætus quidem, haud dubium; quia libenter videt oculus, quem animus diligit: ſed ut verum fatear etiam tremens eum aſpexi; metuens ne aliquid novi adverſi Sancto gregi, quem diligo, accidiſſet. Sed ipſe me lætificavit in primis verbis, quæ protulit, aſſerens ſe non adverſa, ſed bona nova, mihique placita detuliſſe. Quo percepto quievit animus: ſed adhuc ſolicitus manſit inquirendi, & ſciendi, quæ poſt meum diſceſſum particulariter evenerint. Perceptis igitur cunctis, quæ mihi retulit, primo te namque habeo admonere, ut non deficias in tribulationibus & perſecutionibus, quas ſuſcitat inimicus. Nimis namque proculdubio erigeremur in innatam nobis quodammodo elationem, ſi nobis agentibus quæ Deo ſunt placita, cuncta ſuccederent proſpere, ut optamus. Quamobrem ipſa Dei ſapientia pro ſecuriori ſalute, tam noſtra quam aliorum, arte mirabili providit, ut etiam bene agentes ſæpius conturbemur. Habes in Paulo Apoſtolo hujus ſententiæ centumplicata exempla, qui non modo a Judæis incredulis, non tantum a gentilibus perfidis, non ſolum ab hujus ſæculi filiis, ſed etiam a Pſeudo Apoſtolis, a filiis quampluribus, Fratribus, & quandoque a propriis diſcipulis ſæpe patiebatur; & tamen cum omnibus his Chriſto teſtante, ne magnitudo revelationum ipſum extolleret ſuperadditus fuit ſibi ſtimulus carnis ſuæ. Cernis ne, dilecte Frater, quam periculoſa ſit excellentia iſta in Sanctis Viris, quæ potuit etiam tam Sancto Apoſtolo, tamque in caritate Dei confirmato excellentiæ periculum generare? Nos

" igi-

„ igitur quam querelæ habemus materiam, ſi pro noſtro re-
„ medio & ut liberemur a noxa elationis, ſtimulum patimur
„ perſecutionis etiam ab intimis noſtris? His non pro tui mo-
„ nitione, qua, ut ſpero, non indiges, ſed pro rememoratione
„ ſic ex abundantia cordis prolatis, venio ad praticam agen-
„ dorum. Sicut ego verbo dixi dicto F. Johanni, nullo mo-
„ do mihi videtur, quod ipſe deſerat pro nunc proprium Con-
„ ventum, aut propriam Civitatem, quia nihil aliud eſſet
„ quam exemplum dare mortiferum cæteris, & ſanctum gregem
„ collectum exterminii periculo totali exponere. Ducit me
„ etiam ad hoc fructus animarum, quem per eum dignatur fa-
„ cere aſſidue Dominus, verum de ſuperioratus officio, ut cor
„ meum aperiam, compatior ſibi, potiſſime quia impeditur
„ per illud officium a fructu animarum jamdicto. Sed rurſum
„ etiam compatior tibi, quia novi, te non habere copiam
„ talium, quos confidenter præponas regimini aliorum. Nihil
„ ergo reſtat, niſi quod relinquam te tibi, & quid ſit in hoc
„ negotio agendum, tu videris, qui melius noſti particularia
„ cuncta gregis tibi commiſſi, & zelas pro uniuscujusque
„ bono. Mihi vero quidquid inde feceris, erit gratiſſi-
„ mum. Cæterum ne adventus dicti F. Johannis vacuus eſſet
„ a fructu, mitto tibi literam unam medicinalem ungentem
„ pariter, & purgantem pro remedio inſidiarum filiorum Fra-
„ trum, ut aliquid de furia proferamus, qui nec ipſi volunt
„ intrare, nec alios permittunt per viam regiam ambulare,
„ quam nullo modo timeas pandere; ſed mone ſubditos tuos,
„ ne audeant cogitare, nedum agere contra tenorem literæ ſupra-
„ dictæ. Ego autem quemcumque invenero oppoſitum facientem,
„ indubitanter teneas, quod taliter puniam, quod erit toti Ordi-
„ ni in exemplum. Poſtremo multa tecum haberem conferre,
„ de quibus non eſt modo ſcribendum per ſingula: ſed F. Jo-
„ hannes ſæpius nominatus lator præſentium tibi oretenus
„ aliqua declarabit, cui ſcio, quod fidem præſtabis. Vale in
„ Domino Jeſu, quem orari facies, & orare non ceſſes, &
„ quæ corde concepi ad perfectionem ipſe deducat. Dat. Co-
„ loniæ die 27. menſis Septembris. " Item adhuc recepit alias
per eumdem Reverendiſſimum Magiſtrum Ordinis, aliis Fra-
tribus directas talis tenoris, videlicet: " In Dei filio ſibi cha-
„ riſſimis Fratribus, univerſis, & ſingulis reſidentibus pro

„ nunc, & qui futuro tempore reſidebunt, ſeu fuerint aſſigna-
„ ti per me, vel per F. Johannem Dominici Vicarium meum,
„ in Conventibus SS. Johannis & Pauli, & S. Dominici de
„ Venetiis, ac Clugienſi Provinciæ Lombardiæ inferioris, nec
„ non Caſtellano Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum,
„ F. Raimundus ejusdem Ordinis humilis Magiſter, & Ser-
„ vus ſalutem, & Chriſtum Dominum efficaciter imitari.
„ Quia ſacris ſcripturis teſtantibus, & doctrinis & exemplis
„ Sanctorum Patrum nos informantibus, experimentaliter no-
„ vimus, Apoſtatam Angelum humani generis inimicum ſem-
„ per inſidiari, innumerabilibus modis, hominibus, qui ſe to-
„ taliter dederunt ad ſerviendum Altiſſimo, ac inſuper huma-
„ næ malitiæ fiunt frequenter inſtrumenta ejusdem hoſtis an-
„ tiqui; idcirco decrevi, ſuper vos & quemlibet veſtrum ape-
„ rire quotidie magis ſollicitudinis oculum; & contra tenta-
„ tiones, ſeu deceptiones, vos ſtimulantes apponere remedium
„ opportunum. Sane ad aures meas pervenit, quod quidam
„ ex vobis ſub colore diſcendi ſcientias, ſapientiam veram,
„ ad quam cœperunt per viam regiam currere, deſerere jam
„ diſponunt, non attendentes, quod Deus ſcientiarum eſt Do-
„ minus, nec quod ſcientia inflat, charitasque ſola ædificat;
„ nec intelligentes, quod unctio Sancti Spiritus docet de om-
„ nibus; imo nec advertentes, quod Sanctus Doctor noſter
„ Thomas plus oratione, quam humano ſtudio totam ſcien-
„ tiam, imo ſapientiam aquiſivit: Quamobrem ne quisquam
„ ex vobis materiam habeat conſentiendi tanto errori, teno-
„ re præſentium vobis omnibus & ſingulis tam Præſidentibus,
„ quam ſubditis præcipio in virtute ſanctæ obedientiæ, quod
„ nullus audeat, a Conventu in quo eſt, ad alium Conven-
„ tum accedere, ſive ad quodcunque ſtudium, niſi fuerit aſſi-
„ gnatus per me, vel per F. Johannem Dominici meum Vi-
„ carium Generalem; declarans, quod nullus me inferior
„ præter dictum Vicarium poteſt vos, aut quemcumque ve-
„ ſtrum alteri Conventui aſſignare, ſive ſtudio cuicumque
„ vos deputare. Poſtremo dicto F. Johanni Vicario mando
„ eodem tenore, quod nullum ex vobis aſſignet aliis ſtudiis, niſi
„ me prius conſulto. Novi enim, quod bene poteſtis ſtude-
„ re, ſi vultis, in locis ubi nunc reſidetis; ſicut & ego fe-
„ ci, qui nunquam ivi nec Pariſium, nec Angliam, nec ad

„ quod-

„ quodcumque ſtudium extra meam Provinciam: & tamen
„ nec fui, nec ſum per gratiam Dei unus converſus, ſicut
„ tentantes vos prophetant de vobis in Baal potius, quam in
„ Domino. Verum ad removendum totaliter hanc tentatio-
„ nem a vobis, & refrenandos ſeductores præfatos, & pſeudo-
„ prophetas, tenore præſentium committo ſimiliter, & man-
„ do diſtricte dicto F. Johanni Vicario meo, quod quando-
„ cumque ſenſerit veridice de aliquo Fratre forenſi, ſeu ho-
„ ſpite veniente, aut tranſeunte, ſive de aliquibus Fratribus
„ cujuscumque ſtatus, dignitatis, officii, aut conditionis exi-
„ ſtant, quod talibus verbis, ſeu perſuaſionibus malis unum,
„ vel plures ex vobis voluerint inducere ad recedendum, de
„ Congregatione, in qua voluntarie poſitus eſt, ſive ſub co-
„ lore ſtudii, ſive ſub quacumque alia colorata fallacia, ipſo
„ facto illum, vel illos Fratres auctoritate mea, quam ſibi
„ in hac parte, quam magis plene poſſum concedo, privet
„ quod amplius non poſſit venire nec intrare Civitatem Ve-
„ netiarum absque mea licentia ſpeciali: præcipiendo eidem,
„ vel eisdem in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna gra-
„ vioris culpæ, quam ipſo facto ſe noverit, vel noverint in-
„ curriſſe, oppoſitum faciendo, quod ad dictam Civitatem Ve-
„ netiarum amplius non accedant absque licentia ſpeciali in
„ ſcriptis obtenta. In quorum omnium teſtimonium præſentes
„ patentes literas fieri feci, & noſtro ſigillo muniri, quas mando
„ legi in publico in dictis eorum Conventibus per Præſiden-
„ tes in Capitulo Fratribus omnibus congregatis. Datum Co-
„ loniæ ſub anno Domini MCCCLXXXXVIII. die 27. Menſis
„ Septembris.

Conſequenter autem eodem anno de menſe Octobris lite-
ras a ſupradicto ſ. Nuccio doctore artis grammaticæ de Piſis,
per ipſum ſupradicto P. F. Johanni pariter, & mihi directas
recepimus, & conſimiliter a ſupradicta Sorore Clara Prioriſ-
ſa ſupradicti Monaſterii S. Dominici de Piſis, intimantes,
qualiter duo juvenilis ætatis, vir, & uxor, ſatis nobiles &
rerum temporalium locupletes, pariter convenerunt, & tali-
ter, quod vir Cartuſiam de Gorgonio, uxor vero præfatum B.
Dominici Monaſterium ſunt ingreſſi (*Nucii literæ deſcribun-
tur.*) Item conſequenter dicto anno MCCCLXXXXVIII. & die
III. menſis Novembris contigit de peſte decedere bonæ me-

moriæ F. Nicolaum, Priorem Conventus S. Dominici de Venetiis ſupradictum, (31) qui videlicet fuit ſocius meus, & una mecum apud S. Mariam de Charitate, in die receptionis ſupradictarum Dominarum Catharinæ, & Aſtrologiæ ad habitum Sororum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici. Et ne manus meæ prætereant ex toto vitam ſanctitate præcipuam dicti Fratris, dignum non immerito judicans aliqualiter inſiſtere circa ipſam; idcirco pro hujusmodi proſecutione ſciendum: quod ipſo exiſtente Bononiæ, ad ſtudium in habitu ſeculari pro adipiſcenda finaliter ſcientia medicinæ, & eſſet in artibus Doctoratus, cœpit mirabiliter tangi intrinſecus, & inſpirari, ut videlicet depoſitis cæteris ſtudiis, ad ſtudium Theologicum ſe transferret. Et tam efficaciter, ut ex hoc quaſi factus in agonia, cum modo ad locum Cartuſiæ, modo ad locum B. Dominici de Bononia, pro conſilio ſuper hoc habendo pluries acceſſiſſet; contigit ipſum ſemel audire de obſervantia regulari, quæ incepta erat, atque fiebat in Conventu S. Dominici de Venetiis. Quo certitudinaliter percepto, mundum ex toto relinquere, & Deo ſe totaliter dedicare diſponit: & pro hoc exequendo ad plenum intrare Ordinem Prædicatorum, in præfato Conventu devovit. Et ſic tandem factum eſt, non obſtantibus parentum ſuorum renitentiis quampluribus, de quibus omnibus plena reportata victoria, receptus eſt ad Ordinem in prædicto Conventu per F. Johannem Dominici anno Domini MCCCLXXXXII. menſe Septembris, viginti fermè annorum ætatis exiſtens. Cum tanto autem ſpiritus fervore habitum Ordinis Prædicatorum ſuſcepit, & Religionem intravit, quod aſſumptis tribus votis voluntariæ paupertatis, caſtitatis & obedientiæ cum aliis ceremoniis Ordinis, tanquam inſtrumentis ad perfectionem facientibus taliter, & tam plene ipſis uſus eſt, quod in modico tempore ad ſingularis perfectionis apicem eſt perductus, indiciis præfatæ perfectionis evidentiſſimæ apparentibus in eodem etiam longe ante diſceſſum ſuum, in quo viginti ſeptem annorum vel circa erat ætatis. Siquidem ad plenum ſua præfata

(31) Ravennam patriam habuit Nicolaus. Laudes ejus dabimus ad Monaſterium S. Dominici. Probitatem ejus maximè commendant, quæ hoc loco Thomas Senenſis fuſe recenſet.

ſatæ vota, ac Ordinis ceremonias, cum tanto vigore in ſe ipſo ſervavit, & ſervari, cum præſideret in aliis, procuravit, quod in præfatis omnes tranſcendere videbatur. Et eodem modo in orationibus aſſiduis, in ciliciis, vigiliis, & diſciplinis, ac aliis rigiditatibus, quibus usque ad ſuum tranſitum utebatur, & conſimiliter etiam in magnis raptibus, & pernoctationibus in Eccleſia mirabilibus cum lacrimoſis rugitibus, ſupernis viſitationibus, & divinis allocutionibus, quibus ſignanter per non parvum tempus, antequam migraret ad Dominum, fruebatur. Supradicta autem, ſcilicet cilicia, diſciplinæ & cætera hujusmodi reperta, poſtquam migravit ad cœlos, F. Johannes Dominici, prout mihi retulit, pro ſingulari . . . ac ſui & ſuorum ſolatio, dicti dilecti tradidit genitrici, videlicet Dominæ Luciæ, de qua ſupra facta eſt mentio, & quæ fuit præſens in receptione ad habitum ſupradictarum Sororum de Pœnitentia B. Dominici apud S. Mariam de Charitate: Domina utique magnæ reverentiæ exiſtens, & venerandæ ſobolis; prout totum eſt notum Civitati Venetiarum. Verum quia quemadmodum fide digna relatione percepi, de ſuis ciliciis etiam unum habuit de gratia ſpeciali quidam F. Martinus Theutonicus, ſingularis virtutis vir nunc actualiter ſuperior exiſtens in Conventu SS. Johannis & Pauli, unum etiam habuit quædam Sanctimonialis ſupradicti Monaſterii Corporis Chriſti germana ſupradicti dilecti, re ac nomine Margharita, & filia ejusdem matris, quemadmodum & ejusdem Patris Reverendi, videlicet Magiſtri Johannis famoſiſſimi Medici Phyſici in Civitate Venetiarum, licet de Ravenna originaliter oriundi. Cum quo cilicio habuit dicta Soror unam cordam campinam miro modo contextam, qua Domini Dilectus utebatur ad carnem, & etiam partem de ſua ſanguinolenta, & ferrea diſciplina. Cujus etiam partem habuit quidam nomine Sandrus dicti dilecti ſingularis devotus. Sed ut præfati Domini Dilecti eximia ſaltem aliqualiter plenius ac ſpecialius eluceſcant, eſt ſciendum quomodo & antequam eſſet Sacerdos, quamplura per eum, ac de ipſo præludia & indicia ſanctitatis apparuere; inter quæ, quod ſemel ipſo exiſtente in Civitate Caſtelli, cuidam perſonæ volenti derogare dictis & factis ſuis, B. Dominicus, & B. Petrus Martyr apparuerunt dicentes: cave ne dicas aliquid de F. Nicolao, quia quidquid facit,

pura

pura intentione facit, & eſt unus Sanctus. Aliud eſt, quod cum eſſet Venetiis, in Diaconatus officio conſtitutus, conſtanter, & ferventer annuncians verbum Dei, contigit ipſum Torcellum apud Monaſterium S. Joannis, accedere ad prædicandum in feſto Pentecoſtes. In quo feſto conſuetudo erat ibidem fieri feſtum potius mundanorum, quam ſpiritualium animarum, cum ſuis truffis & buffis, tam ex parte Monialium, quam ſæcularium prædictarum. Quod ſervus Dei abhorrens, cum omnino interdixiſſet, non conſuetudinem, imo abuſionem præfatam, & ex hoc in dicto feſto per plures vices acies juvenum ſæcularium advenientes, ibidem reperiſſent dictum Fratrem adeſſe, & præfata interdixiſſe, furore commoti Eccleſiam intrantes, & Dei ſervum quærentes, ut ipſum diverſimode male tractarent, propter id quod ordinaverat, judicantes ad ipſum talia minime pertinere; occurrens eiſdem ſervus Altiſſimi, taliter & cum tanta poteſtate per ipſum Dominus eſt loquutus, quod muti effecti, & velut agni de Eccleſia præfati Monaſterii exeuntes ad propria rediere, non ſine omnium aſſiſtentium, ſive audientium admiratione non parva, advertentium evidenter Dominum participaſſe cum ſervo ſuo poteſtatem, quam exercuit contra Scribas & Phariſæos in Templo vendentes, & ementes ejiciendo de ipſo. Contigit etiam, antequam Miſſam novam celebraret, quod cum quædam perſona devota pro ipſo intenſe oraret, vidit ipſum ante quoddam altare mirabili luce circumdatum, albis veſtibus indutum, & deſuper audivit unam vocem dicentem: hic ſemper erit unum lilium, & faciet totam voluntatem meam. Et conſimiliter cum quondam ſemel præfata perſona oraret, contigit ipſam videre unum circulum ſplendidiſſimum aureum, in quo erat iſte Dei ſervus F. Nicolaus orans, ſuper quem una facies, & una columba albiſſima diſtendebatur, & tunc audiebat unam vocem dicentem, contemplaris iſtum, quia iſte facit ſemper voluntatem meam, & eſt ſpeculus animarum multarum. Proinde antequam dictus Domini dilectus haberet officium ſuperioratus, contigit, quod a quadam perſona viſus eſt in ſomnis, veluti indutus ſingulari veſte purpurea: & cum ſic videret, audivit vocem dicentem ſibi, ſic eſt Superior Domini ſui Dominicus. Et non poſt multos dies, dicta perſona de hoc penitus ignorante, coactus eſt per obedientiam recipere offi-

officium præfati ſuperioratus in Conventu SS. Johannis & Pauli, quod ita ſollicite eſt perſecutus, atque ferventer, quod integraliter, & ſine diminutione perfecit, ac maxime commendabiliter ad finem usque complevit per aliquos annos, non obſtantibus ſuis privatis orationibus, quas ex hoc minime omittebat, vel rurſum actionibus, quibus ſæpius, & præcipue elevabatur in Deum, prout quotidie videbamus, & licet contingeret, quod modo in Choro, modo in refectorio, modo de die, modo de nocte reciperetur in Deum; ſignanterque tamen contigit quodam die in Ramis Palmarum, ipſo exiſtente in Choro Eccleſiæ ſupradicti Conventus, & me celebrante in Capella S. Dominici, quod dum cantaretur paſſio, & deveniretur ad illud, *Jeſus autem iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum*, tam fortem & excellentem clamorem, ſeu rugitum emiſit, transformatus in Chriſti tranſitu, quod per totam Eccleſiam reſonavit, etiam me audiente cum aliis, & ſtupente, qui celebrabam in Capella præfata. Quo rugitu emiſſo, ſtatim quaſi mortuus, immo tanquam mortuus in eodem loco cecidit, & poſt prandium inde velut exanimis ad Sacriſtiam, & deinde ad cellam deportatus per quemdam juvenem ſæcularem, & ſæculariter viventem, & ſuper hoc plurimum ſtupeſcentem, ſcilicet Sandrum ſupradictum; cum ſtetiſſet per plures horas ſine alicujus vitæ indicio, tandem reviviſcens, & rediens ad vitæ corporalis exercitia priſtina, miro modo factum eſt, ut præfatus juvenis ſæcularis, qui tunc erat mortuus Deo, reſurgeret, & deinceps viveret Domino Jeſu Chriſto, ac devotus intimus hujus dilecti efficeretur de cætero: & hoc ad præfati ſigni ſingularem approbationem, ut quemadmodum Dominus Jeſus per mortem ſuam nos ad vitam reduxit, ita & per talem mortis imaginem ſervi ſui præfatum Juvenem Chriſto mortuum ſpiritualiter ſuſcitaret, gratiamque mirabilem usque ad finem ſui tranſitus reportaret. Conſequenter vero cum anno Domini 1397. de menſe Februarii, Venetiis fama inſonuiſſet de ſanctitate & miraculis B. Fratris Marcolini de Forlivio Ordinis Prædicatorum, & de licentia & ſpeciali beneplacito F. Johannis Dominici dictus F. Nicolaus cum ſocio, F. Marſilio de Senis, & Domino Antonio Superantio, atque Limetto nunc Fratribus de Pœnitentia B. Dominici Forlivium, pro inveſtiganda veri-

veritate ſuper præfatis acceſſiſſet, atque rediiſſet cum ſociis ſupradictis, ſecumque adportaſſet ſcripturam de manu ſua mentionem facientem de vita dicti Beati & miraculis prælibatis, ipſe tam per dictam ſcripturam, quam etiam de viſu una cum prædictis ſociis, teſtimonium perhibuit veridicum ſupradictæ divulgationi, & famæ conforme. Quamvis etiam poſt tam Epiſcopus Caſtellanus, quam ego inde receperimus literas ſuper id, propter quod circa idem tempus direxit præfatus F. Johannes Dominici unam literam, tanquam Epiſtolam, ſuper commendatione dicti B. Marcolini Reverendiſs. Magiſtro Ordinis, ut patet ſupra in loco ſuo; ubi etiam tenores omnium dictarum literarum narrantur. Poſt reditum autem dilecti præfati Patris Nicolai de Forlivio, in tanta dilectione prædictus dilectus ſuccrevit ad B. Marculinum, quod memorias fecit tam matutinales, quam veſpertinas in reverentiam dicti Beati, quæ nunc habentur apud ſupradictas Moniales Corporis. Et cum preterea factus eſſet præfatus dilectus Prior in Conventu B. Dominici, ut dicetur, intantum exarſit in devotionem dicti Beati, quod tam in publica confeſſione, quam faciebat in miſſa, quam in prædicatione ipſum B. Marculinum inter alios ſanctos explicite annumerabat, & cum ſuper hoc interrogaretur, ac etiam reprehenderetur, ſe ad id coactum dicebat propter plurima, atque certiſſima dicti Beati ſanctitatis indicia, inter quæ erat quod Chriſtus revelaverat hoc ſibi, & quod dictus Beatus ſecum ſæpius loquebatur, affirmans ſe eſſe cum Chriſto, & hujuſmodi: licet humiliter dictam correptionem reciperet, ac etiam a præfata nominatione, pro poſſe, deſiſteret, refugiens ſemper credere ſibi ipſi. Cogimur autem quodammodo confiteri, in dilecto taliter eveniſſe tanquam præſagium futurorum; utpote quod beatus beatum imitari & concomitari debebat, velut hic per gratiam, ita & modicum poſt ad ipſum tranſeundo per gloriam, quemadmodum poſtea rei probavit eventus. In dicto autem tempore ſui ſuperioratus, ſcripſit inter alia Tractatum unum devotum, qui dicitur *ſpiritualium nuptiarum*, qui eſt in Libraria Conventus. (32) Et hinc inde tam in Conventu,

(32) Hinc inter Scriptores Ordinis locum meretur Nicolaus. Num in aliqua Fratrum Prædicatorum Bibliotheca aſſervetur Tractatus *Spiritualium Nuptiarum*, ignoro.

tæ, quam per diverſas Eccleſias, tam Torcellanæ, quam Caſtellanæ diœceſis, pluries prædicavit, nec ſine ſpeciali fervore, nec animarum ſalute, libere annuncians verbum Dei; ſermocinando etiam aliquoties in Conventu, & Fratres docendo verbo pariter & exemplo, ac etiam juxta facultates pro tempore ſuis Confratribus magis expedientes. Multa etiam in dicto officio fecit quibus finis imponitur, quod nimium foret ſingula enarrare diffuſum. Poſtmodum vero abſolutus ab officio Superioratus præfati & cogente obedientia, Conventus S. Dominici factus Vicarius; contigit inter alia quondam ſemel in die S. Niceti Martyris, apud Eccleſiam S. Raphaelis ipſum accedere ad prædicandum, in qua Eccleſia tunc exiſtens quædam perſona ſingularis vitæ, & digna fide, intuita eſt ipſum F. Nicolaum aſcendentem ſuper pulpitum, ut prædicaret de dicto Sancto. Cumque ſecum tacitus conſideraret, ac mente revolveret, quam videlicet bene, & ſancte dictus F. Nicolaus vitam ſuam ducebat, in flore juventutis exiſtens; volens idem hoc ſibi Dominus evidenter oſtendere, & quam ei eſſet acceptus, & gratus lucide propalare; contigit tunc dictam perſonam totaliter commoveri, anxiari, & gemere: ſicque inter hæc elevans oculos, vidit deſcendere unum Angelum pulcherrimum in veſtibus albis, ſolaribusque ſplendoribus refulgentem, ſuper caput præfati Fratris, qui habens in manibus coronam auream per totum intextam lapidibus pretioſis radiantibus, circum circa capiti dicti F. Nicolai impoſuit, ac impreſſit: ſicque diſparuit micantibus, atque coruſcantibus mirabiliter radiis tam circa caput, quam circa totum ſuum corpus, quod ipſo prædicante poterat conſpici, fuitque tantus præfatæ claritatis ſive fulgoris exceſſus, ac cum tanta mentalis dulcedinis perſonæ contuentis perceptione, quod ipſa propter exceſſum id ferre non ſuſtinens, cœpit altis vocibus clamare, ac ſupergemere, propter quod a pluribus perſonis aſſumpta, de Eccleſia educta, & ad domum perducta per plures poſt dies ſic gemendo, & mutulando remanſit tam ex claritate, quam ex præconcepta mentis præfata dulcedine tam ſtupenda. Nullique omnino hominum hoc revelare diſpoſuit, dicto Domini dilecto vivente: ſed poſtquam ipſum ad Dominum migraſſe perſenſit, id confeſſori ſuo ſecrete & humiliter revelavit ad gloriam Dei, ac etiam ſervi

ſui dilecti. Nec ſolum ſemel hoc accidit, quod videlicet eo prædicante, circa ipſum viderentur miranda, ſed etiam alias tam inviſibiliter quam viſibiliter coram cunctis, de quibus hic infra, Deo dante, dicetur. Ulterius autem per præceptum coactus ſubire onus officii Prioratus Conventus præfati, videlicet S. Dominici, quemadmodum in officiis altioribus promovebatur, ita in geminæ Charitatis perfectione quotidie & continue, amplius creſcere per experientiam cernebatur. Siquidem aſſidue raptus frequentes extaſes, & mentis exceſſus patiebatur, prout quaſi omnibus erat notum. Et quamvis obedientia urgente omnia ſibi impoſita ad exitum perficeret corporaliter; attamen quaſi a cunctis corporalibus abſtractus, totus videbatur abſorptus cum Deo mentaliter. Propter quod vacantibus exercitiis corporis, vel etiam in ipſis exiſtens, & de Domino Jeſu, vel ſui corporis Sacramento aliquid intente percipiens, quaſi ſubito ſurſum aptus ſpiritus rapiebatur in Deum, quemadmodum aliqualiter ex dicendis patebit. Nam ut de ſuæ prædicationis fervore tempore dicti Prioratus ſibi impoſiti, aliquid videre incipiamus; cum tanto ſpiritus ardore proponebat populo verbum Dei, quod in Eccleſia B. Dominici per totam unam quadrageſimam prædicans ſuo modo, contigit ſignanter in die Paraſceve de Paſſione Domini prædicando; quod cum ad crucifixionem ejuſdem Domini explicandam perveniſſet, manus ſurſum levans in modum Crucis cum mira contractione nervorum, ac proferens, quæ Chriſtus in Cruce protulit cum altiſona expreſſione verborum, videretur a cunctis præſentibus veluti Cruci affixus taliter ſurſum agi, ac etiam elevari, quod tum ex devotione, tum ex pavore, ne de pulpito ſeu pergulo ſuper populum caderet, clamor cum lacrymis ipſius præſentis populi non parvus attolleretur, propter quæ quidam eidem propinqui exiſtentes ipſum Domini dilectum ne caderet complexantes, eum quaſi ſtupidum, & cum mirabili viſcerum interiori ſonitu, & ſtrepitu perceperunt, atque ſic veluti quemdam hominem cruci ſine cruce affixum tenuerunt, quouſque rediit ad ſeipſum. Poſt quæ inchoatam prædicationem, taliter mellificatis atque liquefactis utriuſque ſexus ad Chriſtum cordibus ad finem uſque complevit. Sed etiam cum prædicaret in Conventu S. Franciſci de Venetiis in feſto ejuſdem Sancti,

[illegible], taliter eum, cum prædicaret, ſpiritus, & fervor arripuit, quod propriis manibus exuta cappa, coram toto populo in ſcapulari actualiter prædicando remanſit. Narravit etiam mihi quædam fide digna perſona, quomodo ipſo ſemel in Eccleſia ſupradicta B. Dominici more ſuo fervide prædicante, vidit Dominum in effigie Crucifixi dictum dilectum circa cor complexantem, ac videnti dicentem. *Hic eſt mihi dilectus, quem nunquam dimittam, quouſque eum ad mei facialem viſionem deducam*. Ex quibus perſona videns concepit, dilectum Domini debere modicum ſupervivere hac vita mortali: & ſic fore contigit poſtmodum per effectum. Similiter tunc temporis uſque ad finem ſuum, tanto ſacro mentis incendio afficiebatur ad miſſam propter Dominicum Sacramentum, quod non ubicunque ipſam Miſſam decenter poterat celebrare, intervenientibus in illo ſibi multiplicibus mirandis geſtibus, lacrymoſis cum ſingultibus, ac rugitibus, ſurſumque actionibus: licet quod eſt dictum mirabile, quia non obſtantibus ſupradictis nunquam tamen Miſſam celebrando, circa ſacrum Miſſæ ſuum miniſterium aliquid ab ipſo delinqui, vel aliquid ſcandali evenire perceptum fuit, ipſum gubernante & ſecum taliter ſe habente, qui indefectibiliter cuncta & ſignanter dilectos ſuos gubernat & regit. Cum autem ipſo in Conventu modo hora ſexta, modo hora alia Miſſam celebrante, hoſtiam conſecraſſet, tanta familiaritate vigebat cum Domino in Sacramento prædicto; quod prout tempore, quo mecum acceſſit ad ſupradictam Sanctam Mariam de Charitate, mihi ſecreto retulit, ſentiebat, & audiebat ab ipſo Domino Jeſu Chriſto in Sacramento, ſe filium ſuum & dilectum ſuum pluries nominare. Et quod plus eſt, quia prout habui a confeſſore ſuo, qui aliquando ſolus ibi præſens, dum celebraret, reperiebatur, hoſtiam conſecratam ſumere, & communicare non poterat, quouſque vocem Domini audire de Sacramento prodeuntem, & dicentem, *modo fili mi, & mi dilecte me ſuſcipe*. Poſt quam receptionem, dulcedinem Jeſu tanquam melos in aure, mel in ore, jubilum in corde, tam pleno hauſtu percipiebat, quod velut amore Chriſti totaliter ebrius, totus lætabundus, & tam corde, quam mente jucundus, & tantæ mentalis ſuavitatis præſentiam ferre non ſuſtinens, nunc rugitus mirabiles emittendo, nunc ſonoris vocibus jubilando,

nunc elevatis manibus plaudendo, nunc pedibus tripudiando, & hinc inde ſaltando, ac Domino de tantis acceptis gratias referendo, recte quemadmodum alter David indutus Ephod lineo aſſiſtentibus ſeptem choris, & victima cum gaudio, & organis armigatis in jubilo, & clangore buccinæ, totis viribus ſaltans ante arcam Domini videbatur. Propter quas Dominicas & divinas in Miſſa perceptiones, tanta devotione ad dictum Sacramentum Domini ferebatur, quod tum in Miſſa quam etiam extra, cum de ipſo Sacramento coram eo ſermo ſpecialis intervenifſet, ſubito rapiebatur; & ſicut ſpiritu, ita & corpore ſurſum pariter elevabatur. Unde cum in Conventu ſupradicti S. Franciſci de Vineis, majorem Miſſam in feſto ejuſdem Sancti, poſt quod feſtum modicum ſupervixit, devotius celebraret, in exceſſu veniens, viſus eſt ab omni populo expanſis manibus ſuper cæteros elevari per palmum, & exiſtimatum fuit, nihil omnino tangens, vel præciſe extremitatibus ſeu ſummitatibus principalium digitorum pedum ſuperficiem prædelæ altaris contigens & nihil aliud quovis modo, quod etiam ſibi pluries alias in Miſſa contigerat, & etiam poſtmodum contigit, prout mihi retulit præfatus Confeſſor ſuus. Et inter alias vices ſemel apud Monaſterium Corporis Chriſti celebrans, taliter viſitatus fuit in dicta Miſſa a Domino; quod poſt conſecrationem revelata ſunt ei omnia myſteria Paſſionis, prout ipſe ſuæ ſupradictæ germanæ ſanctimoniali ſecreto revelavit, & ipſa mihi oraculo vivæ vocis. Narravit etiam mihi Dominus Presbyter Leonardus Piſani, de quo ſupra facta eſt mentio, quod hic Domini dilectus per aliquos dies ante ipſius obitum, acceſſit ad domum ſuam viſitationis gratia, in qua tunc caſu aderat venerabilis presbyter Dominus Antonius David, qui fuit Magiſter Domini Angeli Corrario, nunc Patriarchæ Conſtantinopolitani, & qui poſtmodum fuit Cardinalis, deinde Innocentii Septimi ſucceſſor, cum pluribus aliis. Et cum ipſo die in dicta domo per duas vices ſeorſim intervenifſet ſermo præcipue de venerabili Sacramento Corporis Jeſu Chriſti, inter ipſos bis contigit ibidem dictum Domini dilectum coram omnibus præfatis ſurſum agi manibus elevatis, & præcipue digitorum pedum ſummitatibus ſolarium contingendo. Claruit etiam dictus Domini dilectus ſpiritu prophetiæ. Nam prout ſecreto ſupradictæ

Ger-

Germanæ ſuæ efficaciter affirmavit, ſemper quando aliquod myſterium comparere deberet in ipſo, ſibi prædicebatur a Domino. Et ſimiliter ſi quid triſtabile, vel delectabile evenire debuiſſet eidem; unde de ſupradicto myſterio in eo in die Paraſceves prædicando, oſtenſo, id per 15. dies ante præviderat. Et ſimiliter de ſupradictis myſteriis, quæ habuit in ſupradicta Miſſa, quam celebravit apud Monaſterium ſupradictum. Revelavit etiam dictæ Germanæ ſuæ quomodo Dominus expreſſe loquebatur per ipſum, evidenter advertens quando ipſe, vel quando per ipſum Dominus loqueretur: qualiter etiam ad plenum de omnibus intellectu clariſſimus reddebatur, & quomodo quaſi ſemper ejus mens elevabatur in Deum, quemadmodum contigit Apoſtolis, & Prophetis: item quomodo cognoſcebat ſemper Deum, & ex hoc ad deſiderium proprii contemptus totaliter trahebatur. Et quod licet tentationes horribiles habuiſſet usque ad hoc, quod Dæmon intraret in ejus corpus, & per ejus linguam Dominum blaſphemaret, ut ex hoc Fratres compelleretur effugere, ne ipſos ſcandalizaret: & tamen concedente Domino, omnes fuerunt per ipſum viriliter ſuperatæ: Item quomodo Corpori Jeſu Chriſti Crucifixi conformabatur, ſicut etiam menti: & ejusdem doloribus ſenſibilibus, & membris propriis afficiebatur, tanquam in Crucifixum Dominum transformatus, & uti alter Chriſtus per intimæ unionis exceſſum . . . . . effectus, quod ſignanter patuit ſupra, quando emiſſo clamore in die Olivarum, cum Chriſto ſpirante viſus eſt & ipſe emittere ſpiritum, & cum poſtea tanquam mortuus, & diſcalceatus poſitus fuiſſet ſuper lectulum cellæ ſuæ, ſecundum quod, qui eum detulit, mihi retulit, manibus in modum Crucis extenſis atque contractis, nec non & pedibus ad invicem interpoſitis, ac ſi eſſet Cruci affixus tentis per plures horas . . . . ac ſi Cruci affixus expiraſſet, permanſit. Et ad hoc etiam facit, quod ſupradictum eſt de ipſo in die Paraſceves de Paſſione Domini prædicante; nec non & aliud, quod poſt ejus deceſſum cuidam devotæ perſonæ eſt evidenter oſtenſum. Cum enim præfata perſona dilecti Domini exequiis intereſſet, & ut manus ejus deoſcularetur, anxia expectaret, contigit ipſam audire a pluribus, qualiter in dictis manibus veſtigia plagarum, quemadmodum fuerat in Chriſti Crucifixi manibus, ap-

pare-

parebant : propter quod cum ad videndum amplius inardeſceret, attamen factum eſt, ut propter preſſuram multitudinis aſſiſtentium ſacrum corpus ad ſepulchrum deportaretur, a ſuo deſiderio penitus fraudata, unde ex hoc non parum triſtis remanens, & afflicta, ſæpius nec ſine dolore, quod ſuum deſiderium complere non potuerat, ad memoriam revocabat. Cui dilectus Domini comparens poſt menſem a ſuo tranſitu, ſemel in ſomnis totus ſplendore coruſcus, apparuit, eique manus proprias cum ſignis ſtigmatis lætanter, & patenter oſtendit, ac deoſculandas benigne porrexit; dicens, *Reſpice, deoſculare, & compleas ſecure ſanctum deſiderium tuum*. Tunc illa taliter confortata, genuflectens, cum maxima devotione deoſculata eſt eas, advertens evidenter ſtigmata ex utraque parte manuum apparere eodem modo. Quo peracto, dilectus Domini dicit eidem : *Ecce completum eſt deſiderium tuum, confortare in Domino Jeſu Chriſto*. Et hoc dicto diſparuit. Tanta etiam cura erat ipſi Domino de iſto dilecto ſuo, quod ut ſupradictæ germanæ ſuæ etiam ipſe dilectus Domini revelavit, omnia quaſi juxta actualem Domini informationem, atque præceptum proſequebatur, tam pertinentia, quantum ad corporalia, & ſignanter cibi & potus cum tanta, & tanta menſura, ut etiamſi illam voluiſſet excedere, non potuiſſet; quam etiam quantum ad ſpiritualia, & præcipue vigiliarum, reſidentiæ in Eccleſia vel in Choro, ſive de die, ſive de nocte, ſeu etiam ſumptionis Euchariſtiæ, ſive celebrationis miſſæ fienda per ipſum, recipiendo ſuper his experientiam evidentiſſimam, atque probam, prout de his, & plurimis ſupradictis in ſcriptis vidi manu ſupradictæ Germanæ ſuæ, quæ hic ad plenum extendere dimitto gratia prolixitatis vitandæ. Poſt ſupradictum S. Franciſci feſtum, & viſitationem factam per dilectum Domini apud domum ſupradictam Venerabilis Preſbyteri Leonardi, in menſe immediate ſequenti, videlicet die tertio menſis Novembris 1398. infirmatus Domini dilectus per duos dies ante, vel circa in Conventu S. Dominici, ubi actualiter Prior erat, circa matutinum glorioſe migravit ad Dominum, cunctis ſumptis Eccleſiaſticis Sacramentis; ſiquidem in ultima Miſſa per dilectum Domini celebrata, poſtquam immediate ſe de peſte vulneratum fore percepit, prout ejus tunc adjutor fide dignus mihi habuit enarrare, hoſtiam conſecra-

tam

tam mirabiliter elevavit; ipſumque Chriſtum in Sacramento, antequam eumdem ſumeret, cum præcipuo fletu eſt diutius allocutus, & cum tanta lucis ac ſplendoris adjacente refulgentia, ut ipſe adjutor pro tunc nequiret ejus faciem intueri. Sumptoque cum devotione miranda Venerabili Sacramento, per non parvum ſpatium ſuper altare per modum Crucis reſidentiam fecit. Deductus vero ad infirmatorium, cum de mandato fuiſſet exutus, repertæ ſunt 5. Cruces cypreſſinæ cum aculeis in ſuo cilice circa pectus inſertæ. In cella autem ejus nihil dicitur fuiſſe repertum niſi quædam Crux lignea, & lectica ſolum cum tabulis, & abſque paleis cum una fracta carpita. Prope etiam tranſitum conſtitutus cum vomitum pateretur, & nihilominus inſtanter peteret Dominicum Sacramentum, tradentes adſtantes, diſpenſante Domino, oblivioni vomitum jam prædictum, quam prompte eidem Sacramentum Venerabile obtulerunt. Quod cum devotiſſime ſuſcepiſſet, & præfatis in memoriam veniſſet de vomitu antedicto, nec veſtigium de illo eſſet, ſumpto Sacramento, in ſervo Dei relictum, omnes præ admiratione veluti ſtupidi remanſerunt. Ut autem poſt ejus tranſitum referre habuit F. Johannes Dominici, tantam cum Chriſto familiaritatem dilectus iſte contraxerat, quod obtinebat, quidquid ab ipſo petere contigiſſet. Unde cum orando petiiſſet a Domino, quod ante mortem daret ſibi aliquid de pœnis purgatorii præſentire, a dicto peſtilentiali morbo ſe ſenſit continuo vulneratum. Pro cujus concordantia mihi occurrit, quomodo quædam Domina Soror Catharina de Pœnitentia B. Dominici, cum infirmaretur de peſte, præſente me dixit ſe pœnas quaſi purgatorii pati; mihique ſubintulit dicens: O Pater quales eſſe debent illæ purgatorii pœnæ. Cum autem per ſupradictum Domini dilectum dicta pœna a Domino ſibi conceſſa tam alacriter, quam dulciter portaretur, ſumpto quodam ſemel modico ex obedientia brodio, & cum ſimiliter præterea dormire ex obedientia conaretur, taliter obdormivit, quod tunc revelatum eſt ſibi de imminenti diſceſſu vitæ præſentis; propter quod ſtatim fecit vocare Fratres, & ab eis petita humiliter indulgentia, & obtenta, ac aliis Sacramentis, cum eſſent letaniæ completæ hora matutinali ſupradicta, quaſi ſubridendo obdormivit in Domino. Et ſic etiam uſque ad ſepulturam cum fuiſſet ejus cor-

pus

pus in feretro collocatum, immaculatum, tractabile, & abſque alicujus exhalatione fœtoris, & quaſi videns perſeveravit; prout ego propriis luminibus vidi. Nam poſt tranſitum ejus facto mane, ſcilicet die 4. menſis præfati, incepto ſolemniter officio mortuorum, & conſequenter miſſa, ac aſſiſtentibus omnibus Fratribus ſupradicti S. Franciſci de Vineis, & Confratribus ſuis una cum F. Johanne Dominici, ac utriuſque ſexus multitudine populi, me faciente officium, & fere præ ſpiritus compunctione, ac gemitu proſequi id non valente, quam devote eſt traditus ſepulturæ decerpente populo hinc inde fruſta habitus Corporis benedicti dilecti Domini Jeſu, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Apparuerunt autem multis perſonis viſiones, tam circa tranſitum, quam poſt; de quibus aliquas hic decrevi inſerere. Nam quædam devota, ac fide digna perſona, ſcire anhelans de dicto dilecto nova; cum ipſum audiſſet graviter infirmari, & oraret pro eo, veniens in ſomno viſum eſt ſibi prope horam matutinam, videre unam pulcram galeam in Eccleſia S. Dominici, veluti in mari in magna tempeſtate conſtituta, & deſuper unum juvenem pulcherrimum advenire, omnes ligaturas, & chordas galeæ pœnitus incidentem. Cumque ex hoc galea ſubmergeretur in mari, ſtatim ex ipſa proſiliit unus ancipiter, alis apertis, tam albis quam aureis evolans ad terram firmam, & pulcram. Quibus viſis excitata, mox campanam S. Dominici audivit, & de mane ſurgens reperit, quomodo illa hora in qua viderat dictam avem evolare ad terram firmam & pulcram, dicti dilecti anima, ſui corporis diſſoluta galea, velut avis evolaret ad terram viventium perpetuæ firmitatis, & quam miræ pulchritudinis cœleſtis Jeruſalem. Et hoc binis alis apertis, videlicet actuali charitate Dei, & proximi, nec non & albis ac aureis, utpote claritatis intellectus, & puritatis affectus, ſive tam contemplativæ quam activæ vitæ, quibus evolatur ad Cœlum. Quædam alia vidit in nocte ſuæ migrationis quemdam Venerabilem Dominum albis indutum, de ſe emittentem unum parvulum manus elevantem in Cœlum. Et cum interrogaſſet, quis eſſet præfatus parvulus. Reſponſum eſt ei, quod *eſſet dilectus Domini F. Nicolaus*. Item quædam alia cum oraret pro eo, adhuc ignorans de tranſitu ſuo, vidit ſibi inter alias præſenta-

ri

ri unam roſam albam pulcherrimam cunctis redolentiis ſive odoribus plenam. Super quo admirans audivit vocem unam dicentem ſibi: *Ita eſt Dilectus F. Nicolaus in conſpectu meo*. Quidam etiam ſingularis dicti Dilecti devotus, Sandrus nomine, de quo ſupra facta eſt mentio, cum ſumme affectaret per certitudinem obtinere aliquid ſuper ſtatu dilecti Domini; & ob hoc bene per x. dies in lacrymis & pſalmis, ac devotis orationibus perduraſſet, tandem cum ſuper hoc oraret coram Crucifixo intenſe, dictis ſeptem Pſalmis, & cunctis orationibus, ecce nuncius venit ad ipſum, dicens novitatem ſingularem ſuæ eveniſſe uxori. Propter quod ſtatim accedens ad ipſam, reperit qualiter ipſa exiſtente in horto, viderat lucem magnam, & in ejus medio dilectum Domini Fr. Nicolaum, auris per totum indutum, Angelis hinc inde ſociatum unumque Angelum alium ſuper caput ipſius coronam auream, intextam lapidibus pretioſis imponentem radiantibus circumcirca mirifica claritate; quam ſerva Dei ferre non ſuſtinens, & cum pavore genuflectens ad terram dixit: *Domine non ſum tam alta, atque miranda videre digna*. Quam dilectus Dei confortans dixit: *Adhæreas Domino Jeſu Chriſto, ſervias Domino Jeſu Chriſto*; hoc ipſum eidem replicans per tres vices, ex quibus confortata remanſit, & maritus ejus ſatisfactus de eo, quod tam avide concupierat, ut prefertur. Habui autem, eo quod mihi dictum eſt ab utroque ipſorum in confeſſione oraculo vivæ vocis. Cuidam etiam devotæ perſonæ oranti apparuit dilectus Domini totus ſplendidus, & pulcher, ac albis inductus & cum interrogaret eum, an ſenſiſſet magnam pœnam in infirmitate ſua, reſpondit quod ſic: & quod hoc ſibi permiſſum fuit in augmentum meriti, & in exemplum multorum. Et eidem perſonæ etiam, cum oraret alia vice in Eccleſia, ſibi apparuit dilectus Domini, cum pulcherrima & magna comitiva totaliter albis induta, & ſingulariter lætabunda: ad quem præfata perſona, dirigendo ſermonem dixit: *Quæ eſt virtus, quæ haberi poſſit ab anima, per quam ipſa plus placeat Deo?* Cui ille: *in igne divini amoris ardere*. Tunc iterum illa ipſum interrogat: *Qui* videlicet *erant illi tanti, & tam ſpectabiles, a quibus comitabatur*. Cui ita reſpondit: *Iſti ſunt Fratres noſtri Ordinis, & veri milites Jeſu Chriſti: nos enim ſumus in gradu Apoſtolorum*. Et cum dicta perſona iterum vel-

let eum interrogare de aliis, videbatur ſibi quod Domini dilectus haberet feſtinantiam, & ex hoc diceret ſibi : *Hic prope adeſt B. Hieronymus, & B. Martinus Confeſſores, qui me expectant* ; & dicto hoc diſparuit. Cuidam poſtremo Sanctimoniali eſt in viſione oſtenſum, qualiter dictus Domini dilectus erat in magna gloria propter ſuæ charitatis fervorem. De quibusdam autem miraculis auditis, & per me viſis in ſcriptis, tam in vita, quam poſt mortem patratis mediantibus quibusdam veſtibus habitus ſui, & apparitionibus ſuis dimitto hic ſuperaddere ad prolixitatem vitandam.

Verumtamen ad commendationis majoris cumulum dilecti Domini, etiam hoc parum addo. Videlicet, quod ſupradictus F. Johannes Dominici mihi aſſeruit, & aſſerere habuit pluries coram multis : quomodo inter alia nunquam ſimilem vidit, vel ſimilem habuit in obedientia, quæ cunctis, & votis omnibus antefertur. Et cum tunc dictus Frater Johannes actualiter legeret in Conventu Sanctorum Johannis & Pauli librum Canticorum ſuper illo verbo, quod ſibi tunc temporis occurrebat, videlicet: *Indica mihi, quem diligit anima mea;* quamplura laude digna de dicto Domini dilecto, in ipſa lectione inſeruit in hunc modum. " Videlicet : Quærit ſancta
„ mens ipſam, quam amat ſapientiam invenire. Et inventam
„ in ſe naturaliter latitantem exorat dicens: *Indica mihi &c.*
„ Non vadit ad Philoſophos, non ad Prophetas, utique nec
„ Angelos ipſos requirit ; ſed cunctis aliis poſt ſe derelictis,
„ ſolum ipſum Deum inventum, & magis inveniendum precatur, & dicit : *Indica mihi*. Neceſſe eſt autem, ut inve-
„ niat, quia quærit, ut debet. Sicut quæſivit DD. & invenit;
„ ut patet in pſalmo, in quo dicit ſe *introiſſe in potentias*
„ *Domini*, licet literaturam ignoraret. Sicut & filius ejus Sa-
„ lomon 3. Reg. 3. ſapientiam obtinens ſuper omnes Principes
„ terræ. Hac etiam via ſub quercu & fago oratione devota
„ Bernardus, & Thomas effecti ſunt mundi doctores. Quid
„ præterita proſequimur tam remota? Vidimus oculis noſtris
„ carum & ſuperdilectum Fratrem noſtrum, cujus heri lacry-
„ moſis ſingultibus corpuſculum nobis relictum tradidimus ſe-
„ pulturæ, ſpiritu cœli ſecreta petente : F. videlicet Nico-
„ laum Priorem S. Dominici annorum XXVII. quem dum
„ adhuc ordiretur, peſtis mortalis ſuccidit. Cujus ſancta mens

„ adeo

„ adeo hanc ſapientiæ rectiſſimam tenuit viam, ut nullius „ rei quantumcumque parvæ . . . cupiditatem haberet, præter proximorum in Deum, amorem ordinatum. Hic ſolus „ inter omnes, ſacras Patrum ſanctiones ſectans, ſingularem „ uſum rerum abhorrebat: qui nec Bibliam, nec Breviarium, „ non diurnum, non denique qualemcunque libellum, aut „ aliud ad uſum proprium, ut moris eſt aliorum, admiſit „ præter viles veſtes, quibus tegebatur, & paucas, ita ut „ veſtiretur hyeme quantum cæteri induebantur æſtate. Cilicia ſolum, & diſciplinas ferreas ſuo ſanguine plenas, repertus eſt, ſingulariter poſſidere. Quid loquar de voluntate? Imo totaliter mortificata? Tantum enim volebat, quantum ſuus præcipiebat Prælatus, ſine inquiſitione, cur ſic „ mandas, abſque dilatione, cras agam, quod mandas; ſine „ murmuratione, quare mihi hoc mandas; ſine denique aliquo defectu: obedire integraliter, & læte ſtudebat. Quanta prudentia rexit, utrumque ſolus ipſe Conventum! Audeo dicere: non fuit integraliter regularis obſervantia ad „ plenum ita ſervata, ſicut fuit ipſo regente, de cibis & potu tacere melius reor, quam aliquid fari, cum exempla viſa de abſtinentia multa, noſtris auribus ſonent. Noſtis „ eum inſomnes plures ſæpius noctes ſimul duxiſſe, ſui dilecti Jeſu Chriſti, cujus amore flagrabat, requieſcens in ulnis. Quoties vidimus eum raptum a dulcedine verborum „ Dei in menſa, & in communibus de Deo ſermonibus? „ Quam alta ſuſpiria, clamores, & gemitus a dolore peccatorum, quæ homines ſequi videbat, frequentiſſime novimus „ eructaſſe. Vidimus eum crucifixum, immobilem, terra ſuſpenſum, pendentem in aere, frigidum velut mortuum, de „ Crucifixo ad populum prædicantem. Quando potuit more „ aliorum cum quiete vocis, & corporis Miſſas celebrare? „ Audeo dicere, nunquam. Erat enim ſibi altare menſa refectionis internæ, a cujus ubertate vitæ privabatur officiis. „ Viderunt populi, & teſtes ſunt, anno præſenti in Eccleſia „ S. Franciſci, in feſto ejuſdem Miſſarum ſolemnia celebrantem, elevatum plus quam per palmum a terra in aerem, „ in modum Crucifixi pendentem, motibus corporis, ut videbatur privatum, & non parvum, ſic in raptu ſtetiſſe. O „ felix anima, o mens hic & in patria dilecto conjuncta, o

„ fili, o Pater, o Frater, o care dilecte, dilectum inveniſti „ queſitum, quia eum non a creatura, ſed a creatore petiſti, „ dicens: *Indica mihi quem diligit anima mea*. Cum præ- „ ſente loquebaris, quem poſſidebas; ideo dicebas, *Indica* „ *mihi*. Et tamen quaſi abſentem quærebas, quia altius aſcen- „ dere volebas, non quietus ſine faciali viſione, qua nunc „ frueris; & addebas, *Quem diligit anima mea*. Ora pro „ me. “ Eſt autem ſupradicta lectura ſuper dictum canticum canticorum, licet tamen non completa, (33) apud Sorores Moniales Corporis Chriſti, inter quas eſt una dicti dilecti Germana, non parvæ virtutis & ſanctitatis Sanctimonialis. Inſuper 16. die menſis ſupradicti ſcilicet Novembris ejuſdem anni MCCCLXXXXVIII. ſcribens præfatus F. Johannes Dominici Vicario, & Fratribus Conventus Civitatis Caſtelli noſtri Ordinis, in eorumdem ſolatium ſuper tranſitu ſupradicti dilecti devotam epiſtolam deſtinavit, cujus tenor talis eſt, videlicet: “ Dilecti Fratres in Chriſto. Inter mœrorem & gau- „ dium hærens mens agitata, vix manum cum calamo du- „ cit ad ſcribendum, ſicut Agar mortem unigeniti ferre non „ ſuſtinens, deficientem reliquit, & mater amoris forti cate- „ na ligata, nec longe ſe a dilecto locavit. Sane die 3. No- „ vembris ſervum Dei præcipuum, noſtræ Congregationis „ ſpecialem Fratrem Nicolaum Magiſtri Johannis Phiſici, „ Priorem S. Dominici, peſte ſub axilla dextera cum tumo- „ re gutturis Deus Omnipotens vulnerari permiſit: & infra „ 23. horas cunctis eccleſiaſticis Sacramentis devote munitum „ corporali vita privavit, vita utique coronans æterna. O „ quam ſquallet ſacra Religio, talis ac tanti viri rutilanti- „ bus exemplis nudata! Quis ſimilis remanſit in ipſa? Quis „ namque tanta paupertate præfulget? Cui tantum ſtudium „ innocentiæ conſervandæ? Ubi reperitur etiam in perfectis „ voluntas abnegata, ſicut in præfato Dei famulo pleniſſime „ refulſit? Quando, o Fili, Frater, Amice, Pater, quam „ mihi ſemper dilecte tuam potuit non dicam rei proprietas, „ ſed uſus libri, vel libelli Bibliæ, vel Breviarii, Pſalterii, „ Diurni, pannorum, illis exceptis quibus actualiter nuda

caro.

(33) De hac Joannis Dominici *lectura* ſuper Cantica ſcripſimus Operis hujus Tom. I. pag. 137. modo extat in Bibliot. SS. Joannis & Pauli.

„ caro tegebatur, & paucis, aut etiam cultelli & panniculo-
„ rum, quibus aliquando ad terſionem ſudoris, vel ſuperfluita-
„ tum putridi corporis eget fragilitas, integram potuit paupertа-
„ tem deturpare? Novi, o fili, in hac miſeria a te dereli-
„ ctus, quem putabam bonum me habiturum hæredem, quod
„ tibi talium rerum quodammodo neceſſarium per me tuum
„ indignum, & deſolatum Prælatum uſum exhibitum renui-
„ ſti frequenter, latitans ſub amore paupertatis conceptæ, di-
„ cens: quod *nec indigeo, nec ſcirem cuſtodire, quin perderem*
„ *ſtatim*. Proprium tamen uſum ciliciorum ſupramordentium,
„ tuum generoſum corpuſculum, & diſciplinarum ex inciden-
„ tibus catenis factarum, (& tamen omnia a me petieras, ſub
„ colore perſonæ alterius, & ego nec novi tunc te ſub hu-
„ militate latentem,) habuiſti, & usque ad obitum tuum
„ tenuiſti, ſecrete veſtigia ſequens Patris tui Dominici, qui
„ carnem ſuam ciliciis, & catenis pro defunctorum, viven-
„ tium, ſuique ſalute acriter macerabat. Sane ſanguine tuo
„ preſſata, nec parum cruenta, invenimus. O quoties mihi
„ dixiſti, (& tepidus fervidis dictis non annui cum effectu,
„ licet mente viderem te dicere veritatem:) *librorum uſus*
„ *generat inordinatum affectum, a ſervitio mentes impedit*
„ *creatoris: qui cætera abſtuliſti, aufer & iſtos*. Fateor verum
„ eſſe, profiteor ignaviam meam, mentium debilitatem ti-
„ mens, ne propter hoc a more bono diſcederent, hucusque
„ Fratribus paucorum librorum uſum reliqui. Ora in Cœlis, ut
„ dudum tui Fratres videant rectum eſſe, ſicut dixiſti; & opere
„ impleant ſponte, ſicut tu indefeſſe feciſti. Scribe, o Sacra
„ Religio, in ſilice forti ſtylo ferreo, & adamantino, ut nun-
„ quam tanti viri exempla deficiant poſteros dirigenda, ma-
„ ximæ obedientiæ hujus ſingulare munus amplectentes. Se-
„ ptem annis & menſibus paucis, ni fallor, meo infelici ſub
„ regimine vixit: de quibus tribus annis præfuit cæteris in
„ Conventibus Venetis, Majori & Minori; Recordari non
„ poſſum, quod iſte ſemel tantum ſuam quæreret voluntatem
„ adimplere. Prudens nimium in agendis, in naturalibus ſa-
„ nus, in acquiſitis non dicam bonus diſcipulus, ſed jam erat
„ in ſæculo de proximo doctorandus in medicina: & in Or-
„ dine audierat, legerat, docueratque multa in utraque fa-
„ cultate ſtudentibus, & tamen nihil ſentiebat non rectum,

quod

„ quod ſuus Prælatus rectum dicebat, etiamſi Prælatus errabat: ſed tantum a me Prælato ſuo pro Conventu, in quo erat, petivit quod erat honeſtum. Reſpondi me pro tunc facere nolle: Reſpondit ille: *largire, quod peto, quia ſine non bene agere poſſum*. Iterum quæſitum negavi. Abiit ille, & die ſequenti ad me reverſus, jacuit ad pedes meos, lacrymis & ſingultibus vocem impedientibus mutus. Et poſt reſumptos ſpiritus, ut potuit, dixit: *Veniam peto*. Admiratus ego quid mali commiſiſſet innocens, quem peccantem non noveram: *de quo*, inquit, *a me veniam petis*. Et ille: *nimium heri peccavi, quia videns voluntatem tuam ſemel auſus ſum meam tuæ præferre*. O vir Sancto Abrahæ in obedientia comparandus: quia a Domino præmiſſa licentia pro populis veniam quærente ſub articulis multis, & filio proprio mortem non pepercit, potius optatum, & dilectum volens occidere filium, quam obedientiæ ſanctæ perdere bonum. Cui tantus ſervandæ pudicitiæ inerat amor, ut cum omnem obedientiam in quantumcunque aſperis faceret læte, ſolum audire confeſſiones mulierum, matris & ſororum ſuarum exceptis, ex obedientia, cum pœna ſibi faciebat invicta. Erat namque in floris ætate, quando magis, nec corrupte, vitium naturale juvenile ſolet invadere lumbos. Viginti enim, & ſeptem annorum, vel circa, dum adhuc ordiretur divina manus, eum ſuccidit, ne mala videret, quæ futura ſcivit ſuper terram, & quietem daret ſuo dilecto poſt jam perpeſſos multos labores. Unde non tantum mœror de abſentia Sacræ Religioni reſultat, ſed etiam gaudium, quia talem meruit in via habere, quem firmiter credit habere in patria interceſſorem. Quis valeat de corona dubius diſputare, qui immenſas gratias noverit in iſta peregrinatione collatas? Quoties enim a quinque annis citra, & in quanti locis nos Fratres ſui, ſed & populus multus vidimus raptum in ſpiritu mentis! Locutiones omnes, communes pariter & privatæ, quæ dulciter ſentiebant de domino, ſæpius in oculis omnium in infimis corporeis immobilibus membris relictis, animam, ad ſuperna traxerunt. Jamque anima in amore liquefacta dilecti, tantæ dulcedinis vi replebatur ejuſdem, ut jam in qualibet die in miſſa, ſæpe in aliis horis frequenter in menſa, quando aliqua dul-

„ cis

„ cis lectio legebatur, & prædicando verbum Dei populo grate, maxime de ejus paſſione & ſtigmatibus ſanctis ſermo, ſe præſentabat, Crucifixus cum Crucifixo, etiam pendens in aere, elevatus a terra, immobilis remanebat. Hoc viderunt populi, turbæ narrant, clamaverunt utriusque ſexus homines plures. Pridie namque, ut particulariter aliquid tangam in feſto B. Franciſci miſſarum agens ſolemnia in loco minori Sancti præfati, raptus fuit in ſpiritu violentia tanta, ut etiam corpus diu elevatum cerneretur a terra plusquam per palmum, ut narrant populi, qui interfuerunt cum lacrymarum devotione non parva. Quo ſatis dabatur intelligi, animam illam ſupernorum amore regi, conjunctam in iſtis infimis amplius habitare non poſſe. Cujus deſiderium Deus replens, ad ſe ut præfertur vocavit. Teſtantur hoc Angeli multis. Sed quia ex ore infantium, & lactentium Deus laudes perfecit, cæteris ommiſſis, quæ duæ puellæ viderunt, ſub compendio & brevitate percurram. Quædam enim neptis ſua ex Germano nomine Donata annorum ſeptem vidit in ſomnis eumdem in Eccleſia S. Dominici, ubi Prior erat, ſuper altare majus indutum aureo veſtimento, cereum album manu tenentem, miræ pulchritudinis in capite habentem coronam, ex qua aureæ vittæ pendentes in girum usque ad collum irradiabant ſerenius. At Fratres cæteri albis induti, cum candidis cereis orbiculariter circa præfatum conſiſtebant altare. Narravit hoc cum circumſtantiis multis ſimplex puella audiente alia annorum 13. nepte ejusdem Patris defuncti ex Sorore, quæ auditis his genuflexit, oravitque dicens: *O dulcis virgo Maria, concedatis gratiam mihi, ut videam patruum meum*. Exaudivit Virgo virginem. Nam nocte ſequenti videbatur eidem ad Eccleſiam Miſericordiæ pergere, in quo itinere juvenem conſpicit ſpecioſum ſupra ſenſum humanum pulchritudine admiranda, ſibi obvium advenire. Cui puella inquit: *Quisnam es tu tam decorus & pulcher, cui ſimilem in terris non vidi?* Et ille, *Angelus Dei ſum*, ait. Tunc virgo: *oſtende ergo mihi patruum meum*. At ille, *ſequere me*, reſpondit, *quia ad hoc miſſus ſum*. Pergunt ergo pariter, perveniuntque ad pratum amænum. Ejus dignitates ineffabiles voce neſcit exprimere. Ubi dum ſui fere oblita

„ pro-

„ propoſiti, miris delectaretur in illis, dixit Angelus ei: *Aſ-*
„ *pice ſurſum, & illum, quem quæris, agnoſce*. Et elevatis
„ ſurſum oculis, patruum intuetur, ſui Ordinis tunica & ſca-
„ pulari, lacteo candore nitentibus in quadam nebula ab An-
„ gelis multis delata reſidentem, veſtitum; cereum album
„ manibus bajulantem. Sic agnoſcit patruum ſuum, delecta-
„ tur aſpectu, & inferiorum oblita in objectum tam pulchrum
„ ipſos detinebat intuitus. Non quieſcebat autem dicta ne-
„ bula electum deferens Dei: ſed modo verſus Cœlum tra-
„ cta, deinde aliquantulum verſus eam deducta, mobilis vi-
„ debatur: ſicque tertio elevata ab illius ſe ſubtraxit aſpe-
„ ctibus, Cœlorum ſecreta penetrans altiora. Jamque iterum
„ in venuſtate pratuli conquieſcit, primique Angeli gaudet
„ aſpectu a quo deducitur, ut quorumdam loca videat præ-
„ parata: quæ cum Angelo viſitans, a matre vocata, viſione
„ ſimul privatur & ſomno. Nec ſolum hac via ſuum Omni-
„ potens pandit dilectum, ſed adhuc ex ore infantium, & la-
„ ctentium laudes prædicat ejus. Siquidem ea die, qua nobis
„ corpus reliquit defunctum, cuidam mulieri in Contrata Ca-
„ ſtelli juxta Eccleſiam B. Dominici, cujus filia menſibus
„ octo gravibus febribus laborabat, & ut ſibi videbatur in-
„ ſanabili morbo, vultu alacri apparuit dicens: *Salvabo filiam*
„ *tuam*. Quæ viſionem claram, non ſomnum lotrici panno-
„ rum continue ſtatim narravit. At ipſa dixit, *habeo tunicam*
„ *& ſcapulare ſuum, ut lavem, de quibus tibi narro, quod*
„ *vidi*. *Hoc enim anno*, inquit lotrix, *lavi pannos ejuſdem,*
„ *& lotura, devote ſperando Fratris meritis a Deo obtinere*
„ *quod volui, talem puerum ſcabie tabidum lavi ſolertius:*
„ *mexque de præfata lotura egreſſum puerum conſpexi ſana-*
„ *tum. Recipe ergo pannos ejuſdem, quos habeo apud me, &*
„ *puellam tuam tange cum ipſis, & ſi credideritis, ſanitatem*
„ *obtinebitis eidem*. Involvit mater nudam filiam in ſcapu-
„ lari defuncti: morti propinquam extraxit inde totam reddi-
„ tam ſanitati. Alteri puero duris febribus in lecto depreſſo,
„ in eadem Contrata commoranti, apparuit Dei ſervus, &
„ ſanitatem promiſit. Qui ſuæ matri narrans, hilariter indu-
„ tus tunica a lotrice ſepulti, plene liberatus ſurrexit. Jam
„ accedunt adulti, & multa narrant, quæ Dominus operatur
„ per ipſum. Quidam namque fama vitæ non infimus, &

„ Fra-

„ Fratri in vita devotus, ſuis lacrymoſis immixtus exequiis,
„ vidit eum ter manum levaſſe, & oſculanti cuidam verius
„ porrexiſſe. Alia Domina genere nobilis, celebris moribus,
„ & vita languens graviter diuque multisque curis adhibitis
„ remedium nullum recipiens, mortemque Fratris noſtri au-
„ diens, de quo bonam opinionem habebat, Deum mente &
„ ore rogavit, ut meritis ſervi ſui ſanitatem optatam dona-
„ ret. Vix preces compleverat, ſurrexit, & cum lætitia ſe
„ ſenſit ſanatam. Quid igitur dicam? Gaudium provocabo,
„ an lacrymas? Suffragia an patrocinia impetrabo? In his li-
„ beros vos relinquam. Sed quod tanti Patris ſequamur ve-
„ ſtigia, vos inceſſanter exoro. Ecce quod prædicatoris lin-
„ gua ceſſavit, eſt deſtructa ſcientia, non tamen occidit chari-
„ tas. Vana prætereunt, deficiunt cuncta creata, divinus amor
„ non aufertur, ſed creſcit. Paſſiones, cruciatus, & pœnæ
„ & omnes mundi hujus pœnitentiæ terminum habent, ſed
„ non vita, quam ſumus, ſi volumus, recepturi cum noſtris
„ dilectis æternam. Sed principaliter autem unum ex charitate,
„ quod faciatis, impono; ut ſcilicet aſſidue pro me miſero
„ Deum oretis, quatenus meritis Patris Fratris filiique mei
„ præ cunctis dilecti veram peccatorum meorum pœnitentiam
„ concedat. Et illum merear habere interceſſorem in Cœlo,
„ qui me in via plus homine vivente dilexit. Cujus adjutus
„ precibus ſanctis, una vobiſcum merear æternæ patriæ ame-
„ na gaudia poſſidere. Valete felices in Chriſto, veſter ut
„ ſuus F. Johannes Dominici. Datum Veneriis 1398. die 16.
„ menſis Novembris. (34)

Poſtmodum nullatenus judico ſilentio tranſeundum, quinimo & illud ſaltem in parte narrare compellor, antequam ſit regreſſus ad unde ſermo. Qualiter videlicet per quinquennium, & ultra ante tranſitum ſupradicti dilecti Domini Fr. Nicolai Prioris Conventus S. Dominici, & antequam ego Venetias pervenirem, quaſi per annos duos tranſiit feliciter de dicto Conventu ad Dominum quidam venerandæ memoriæ F. Robertus (35) nobilis parentelæ Neapolitanæ Civitatis

 tunc,

(34) Hactenus de Nicolao Ravennate, ejusque geſtis, ac ſanctis moribus.
(35) De Roberto hoc ad Monaſterium S. Dominici Venetiarum ſermo erit.

tunc Prior Conventus Clugienſis, ſeptuagenarius & ultra ætate, ſed quinquagenarius vel circa in Ordine, de quo etiam ſupra in principio facta eſt mentio. Cujus corpus cum in quadam capſa lignea, ut humaretur, fuiſſet depoſitum, & ſic poſtea in quadam fovea profunda ſepultum, ac tam luto, quam aqua marina circumdatum, poſt annum & circa dimidium, cum ratione ſepulchrorum fiendorum ibidem exinde traheretur, repertum eſt dictum corpus penitus incorruptum. Et cum poſtea factis ſepulchris novis in dicto Conventu S. Dominici ſupradicto, iterum idem corpus ſine capſa, in uno poneretur ſepulchrorum dictorum; contigit poſt magnum tempus F. Bartholomæum de Piſcia Priorem, tunc dicti Conventus ordinare, quod dictum ſepulchrum, in quo erat præfatum corpus aperiretur. Et cum aperientes inveniſſent illud juxta aquas, imo quaſi inter aquas conſtitutum, pannis habitus pene ex humiditate conſumptis, ipſum tamen corpus modo ſimili, ut prius, omnino reperientes intactum, extraxerunt illud de dicto ſepulchro, & in ſacriſtia cum magna devotione collocaverunt in quadam capſa. Quod ego, cum jam tres anni a Sancti Patris tranſitu præteriiſſent, propriis luminibus vidi ibidem totaliter integrum in omnibus membris ſuis usque ad capillos capitis ſui, ſolummodo aliquantula ſummitate naſi excepta. Et quod plus eſt, quia cum in uno crurium infirmitatem incurabilem, dum viveret, pateretur, cujus nomen ignoro, ſed horrendam & gravem, attamen ita integra & ſana ejus crura conſpexi, ut in nullo pateret differentia unius ab altero. Et quod etiam addo, quia nuper cum ſint anni ſex vel circa ſive ultra a tranſitu hujus Patris, adhuc videre illud volui: & ita in omnibus usque nunc integre perſeverat, ut prius. Quod omnino ſuper mirabile judicatur, quia a tantis humectativis, & corruptivis, tam ab intra, quam ab extra, & circumcirca ſe poſitis, potuerit taliter omnino præſervari intactum. Quamvis quodvis verbum minime ſit impoſſibile, vel admirabile apud Deum. Fuit autem dictus Frater ſemper ſanctæ vitæ, ſanctæ converſationis, & religionis, & famæ in Ordine. Homo utique ſimplex, & rectus, recedens a malo, & in patientia usque ad finem vitæ ſuæ infirmitatem incurabilem, de qua dictum eſt, inter alia patiendo.

do. Ipſi Job conformis totus exiſtens, in omnibus Domino gratias referens, ſemper humilis, lætus ac dulcis communis converſationis, exiſtit perfectum exemplar etiam a principio: affectans, quod tam in ſe, quam in aliis pro ſuo modulo Beati Dominici religio ſervaretur, prout audivi a fide dignis. Et nunc cum grandevæ eſſet ætatis, poſtquam ejus merui habere notitiam, non ſolum poſtquam invenit ſe in ſupradictis Conventibus Clugino, & S. Dominici in plena obſervantia regulari viventibus, ſed etiam ante in Conventibus aliis, nunquam carnes comedebat, paupertatem ſummam, & obedientiam, ac jejunia Ordinis ſine querela, & paucis contentus humiliter obſervabat. Et cum de Neapoli propter Schisma ad conſervationem ſuæ puræ conſcientiæ diſceſſiſſet, hoſpes & peregrinus per Conventus taliter antiquus, cum omni mititate reſidentiam faciebat. Et tandem fuit dictus Pater cum ſupradicto F. Johanne Dominici ad intrandum Conventum S. Dominici, anno Domini 1390. de licentia & mandato Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis, pro ibidem inchoanda & reformanda obſervantia regulari. Ubi reſidens cum receptus eſſet Conventus Clugienſis ad obſervantiam ſupradictam, factus eſt Prior dicti Conventus. Et cum de Conventu S. Dominici, ad Conventum Clugienſem acceſſiſſet, & poſt aliquos menſes ex cauſa ad Conventum rediiſſet S. Dominici de Venetiis, infirmatus eſt ibidem infirmitate, de qua migravit ad Dominum, ut ſuperius eſt prætactum. Et hoc anno Domini 1393. in die Sancti Mathiæ Apoſtoli, in cujus ſepultura multi nobiles adfuerunt, & devotæ perſonæ, ac etiam ſupradictus Dominus Presbyter Leonardus, nec non & utriusque ſexus non parva populi multitudo, quodam Magiſtro Thoma de Piſis, tunc Priore Conventus SS. Johannis & Pauli prædicante, & F. Johanne Dominici Miſſam celebrante, ac officium faciente. Cui tot ſingultus ſupervenerunt & lacrymæ, quod oportuit, ut portio officii ſine cantu proſequeretur per ipſum. Fuit autem ſupradictus Pater, in ſua præfata infirmitate ſingulariter mitiſſimus & patiens, & ſpeciali mentis alacritate refulgens. Et cum de ſuo tranſitu jam hæſitaretur a cunctis, quidam ſibi in Chriſto diſcipulus, & chariſſimus filius videlicet F. Hieronymus de Dulcigno, de quo ſupra fa-

ćta eſt mentio, accedens ad ipſum ſibi humiliter ſupplicavit, quatenus poſt ejus tranſitum venire dignaretur ad ipſum, & ſibi viſibiliter apparere. Quam puram & ſimplicem filii petitionem Pater Sanćtus, & ſimplex denegare non audens, quod in Domini beneplacito eidem libenter appareret, promiſit. Et ita poſtmodum Domino concedente, ſervavit. Nam cum dićtus Domini dilećtus F. Hieronymus inde ad plures annos in Conventu SS. Johannis & Pauli, peſtis tempore ibidem infirmaretur de peſte, & deſperatus tandem eſſet a Medicis, dićtus Pater ſuus præcipuus F. Robertus eidem cum S. Dominico, Crucifixo in medio exiſtente apparuit confortans eum quamplurimum, atque ad memoriam ſibi reducens, quomodo implebat tunc ei promiſſum de apparitione ſua, per ipſum eidem in beneplacito Dei fienda. Ex qua dićtus Domini dilećtus mirabiliter confortatus, atque lætatus me præſente cum canticis & laudibus, die poſt ſequenti valde lætus migravit ad Dominum. In cujus ſepultura mirabilis adfuit populi multitudo, ex habita quamplurium devotarum perſonarum, præcipua devotione ad ipſum. Quorum unus, qui ačtualiter patiebatur podagram ad tačtum manus prædićti dilećti Domini, cum corpus ejus ſepulturæ traderetur, prout mihi poſtmodum in confeſſione retulit, ſe ſenſit continuo liberatum. Relatum etiam fuit mihi a dignis fide, poſtquam ſupradićta redegeram in ſcriptis, quomodo ſupradićtus P. F. Robertus, non ſolum, ut ſupra tačtum eſt, jejunia Ordinis obſervabat, ſed etiam quaſi per totum anni circulum jejunabat: & quomodo ſatisfacere appetitui etiam de vilibus vitare curabat usque ad finem vitæ. Unde cum ægritudine, de qua ex hac luce ſubtraćtus eſt, laboraret, & modicum laćtucæ nimis avide petiviſſet, velut alter Thomas de Aquino, cum præſentaretur eidem, ſe illa privavit, ſe reum confitendo, & accuſando, etiam de appetitu præfato. Et cum prædićta ægritudo taliter invaluiſſet, quod mortalis judicaretur a cunćtis, ſemper Sanćtus Pater, cum omnimoda mentis dulcedine divinum officium, devote dicere, vel audire volebat: & qui continue commorari in pſalmodia a quolibet etiam Fratre Sacerdote humiliter impetravit, quod appropinquante ſuo exitu officium recommendationis animæ etiam ſeorſum per quemlibet diceretur. Et

cum

cum devotiſſime ſumptis omnibus Eccleſiæ Sacramentis morti appropinquaret, contigit quemdam F. Marſilium de Senis puræ converſationis & vitæ ibidem, cum aliis Fratribus perſonaliter aſſiſtentem videre quamdam nebulam albam, ſe inter ipſum, & dictum patrem interponentem, intantum ut ex hoc uſque ad poſt tranſitum Sanctum Patrem corporaliter videre non poſſet. Sicque factum eſt, ut diſcedente nebula alba, & pura, Spiritus Sancti Patris, & anima ejus munda ab eadem ſuſcepta diſcederet verſus Cœlum. Nec putandum, quod ſine præſentia ſocietatis .... in cujus etiam argumentum, probans puritatem pariter dicti Patris, adiicitur, quomodo dicto Patre tranſeunte, ſingularis odor ab aſſiſtentibus perceptus fuit; Cum tamen, ut dictum fuit ſupra, paſſus fuiſſet devotus, & purus Pater infirmitatem incurabilem in crure de ſui natura fætidam & horrendam. Item relatum eſt mihi a ſibi conſciis de dicendis quomodo Sanctus hic pater non propter ſchisma ſolum de Neapoli diſceſſit, ut dictum eſt ſupra; ſed etiam ut mundi gloriam fugeret, quam ſingulariter abhorrebat, & quæ ei offerebatur propter famam non ſolum ſanctitatis vitæ, ſed etiam propter quædam miracula quæ Dominus fuerat per ſervum ſuum dignatus ibidem oſtendere, & cum eſſet prædictus Pater Venetiis, ut præfertur, & conſimiliter ejus ſanctitas in notitiam deveniſſet, quamvis illam modis omnibus occultaret, contigit inter alia unum, quod mihi narravit quidam Vir nobilis, & devotus Nicoletus Janni dictus, de quodam videlicet ſocio ſuo, qui cum ex quodam ictu unius enſis in capite, caput ipſum ex toto inflatum haberet, ita quod a medicis in mortis periculo poneretur, facto ſigno Crucis per hunc Patrem ſuper caput præfati, ſtatim cœpit convaleſcere: ſicque recepit absque alio remedio plenarie ſanitatem. Habui etiam a quadam Nobili Domina uxore filii Domini Ducis Venetiarum nomine Petronilla, dicto Patri non parum ex ipſius ſanctitate devota, oraculo vivæ vocis qualiter ipſa ſæpius patiente in capite per exceſſum, & confidens, quod in caſu, quo dictus Pater caput ejus tangeret, curaretur, de conſilio, & beneplacito ſui regularis Confeſſoris, qui erat F. Johannes Dominici, quadam die requiſivit dictum Patrem ad confeſſionem, ut ſic confeſ-

ſionis

ſionis occaſione obtinere poſſet intentum. Et ſic factum eſt intantum, ut ex tunc nunquam illos dolores exceſſivos, quos modo, ſentiret. Item cum hic Beatus Pater migraſſet ad Dominum, eadem Domina, cum graviter pateretur in ſpatula dolores non parvos, facta recommendatione ad Dei ſervum, ex tunc remanſit a dictis doloribus pœnitus liberata. Item quædam alia nobilis Domina de Juſtinianis, nomine Beatrice, etiam oretenus mihi retulit, qualiter cum eſſet infirma, & febres actualiter pateretur; nihilominus audito, quod vir ſanctus migraſſet ad Dominum, volens corpus illius omnino perſonaliter videre, & ſe Dei ſervo recommendare, quam melius potuit, in barca ſe ponens cum decenti comitiva, ad Sanctum Dominicum acceſſit, & ad corpus ſancti tam facie, quam capite, in quo ſumme patiebatur, cum magna devotione adhærens, eidemque ſe ſuppliciter recommendans, remanſit continuo ſimpliciter liberata, itaut ad domum propriam peractis ſancti viri exequiis, etiam propriis pedibus remearet. Poſſent etiam hic explicatius recitari de viſionibus, & vocationibus quorumdam Fratrum factis in annis ſupradictis 1397. & 1398. concurrente peſte; ac etiam de tranſitu quam devoto multorum Fratrum merito narratione digno. Sed quia hoc in diverſis Conventibus contigit., nec pro nunc ad plenum mihi occurrunt, idcirco ad præſens pertranſeo.

Sicque poſt aliqualem transgreſſionem, ad ordinem hiſtoriæ redeundo, ſciendum: qualiter contigit ſupradicto menſe Novembri anni 1398. me recipere quaſdam literas a Generali Cartuſiæ noviter creato, & per ipſum menſe immediate præcedenti ſcriptas, quarum tenor talis eſt, videlicet: “ Salutem „ & veram pacem in Jeſu Chriſto Venerande, & dilectiſſi„ ſime. Quoniam viſum eſt bonum, in oculis omnium Pa„ trum, tam electorum, quam confirmatorum; ſed cumulum „ amaritudinis cordis mei mirabili concordia pariter omnes „ adverſum Fratrem veſtrum cogitaverunt & ſteterunt, irre„ tractabiliter decernentes, eum ſub jugo graviſſimi ponderis „ opprimere, prout Ven. P. Prior Bononiæ, lator præſentis „ cedulæ poterit oretenus enarrare. Et ideo charitatem ve„ ſtram deprecor humiliter & inſtanter, ut apud Deum me „ pauperem & ſolitarium piis precibus juvare velitis, ut mi-

„ hi

„ hi gratiam & fortitudinem ſubminiſtret, ad honorem ſuum „ ſuperimpoſitum onus viriliter ferre, & ſalutem propriam, „ & aliorum ædificationem. Et quia prædictum Priorem Bo- „ noniæ, nunc actualiter mitto Mediolanum, eum informa- „ ri de facto libri Epiſtolarum Sanctæ Matris, ut eum pro- „ curet habere, & vobis mittere, unde inde ſanctæ Virginis „ honor augeatur; Itaque loquimini ſecum, & ordinate, quod „ ſic fiat. Alia non poſſum pro præſenti ſcribere. Cum vi- „ deritis Reverendiſs. & communem Patrem veſtrum, & „ meum videlicet Magiſtrum Ordinis, me ſibi recommenda- „ re velitis, ac etiam aliis ſervis Dei vobiſcum degentibus, „ & ſingulariter Præſidenti in Monaſterio Corporis Chriſti, „ & quoniam Italiæ ſum compulſus valedicere de ſancto di- „ gito poteſtis ordinare prout veſtræ diſcretioni videtur, de „ pace tamen filiorum, & filiarum &c. Mementote mei in „ orationibus veſtris. Datum in domo noſtra S. Johannis in „ legem die XVII. Menſis Octobris 1398. Stephanus Prior Car- „ tuſiæ licet indignus. “

Item propter fructum dicto anno per nos, Deo dante, in Piſis prædictum, contigit ſupradictum P. F. Johannem Dominici tam à majoribus, quam ab aliis perſonis Piſanæ Civitatis inſtanter requiri, quod illuc in ſequente immediate Quadrageſima deberet omnino ad prædicandum accedere, etiam ad hoc cooperante Sorore Clara Prioriſſa Monaſterii S. Dominici ſupradicti. Et ita factum eſt, concurrentibus licentia & literis ſupradicti Reverendiſs. Magiſtri Ordinis ſibi de Colonia ſcribentis anno præfato de menſe Decembris, quorum tenor talis eſt, videlicet: “ Vicarie perchariſſime ac dilecte, „ poſt cordialem in Chriſto ſalutem. Recepi literam tuam „ plenam querelis, cui tarde reſpondeo, tum propter paſſio- „ nes corporis mei, tum etiam quia videbatur mihi feciſſe, „ quod poſtulabas. Remiſi enim ad te fugitivum illum filium, „ qui fugerat nonniſi ſancta intentione, neſcio tamen ſi ple- „ na diſcretione. Et forte ſic voluit Dominus, pro mea con- „ ſolatione, quia poſtquam fui hac infirmitate detentus, „ non habui tam ſincerum gaudium de cujuſcunque Fratris „ viſione. Verum quia huic principali querelæ tuæ facetico „ ſermone reſpondi; & per mercatores habeo nova, quod ſo-

„ ſpes

„ ſpes pervenit ad te, non me in hac materia plus extendo.
„ Cœterum noveris, quod ſanctimonialis fœmina, ſoror ſci-
„ licet Clara de Gambacurtis, jam per geminas literas me
„ rogavit, quod tibi imponam omnino, ut in futura Quadra-
„ geſima prædices in Civitate illa Piſana. Dicit enim, quod
„ magnus fructus ſecutus eſt ex prædicationibus factis ibidem
„ tam per te, quam per Provincialem Græciæ F. Thomam.
„ Et firmiter ſperat, quod major fructus & ſalus animarum
„ provenient, ſi tu prædicabis, ibidem in Quadrageſima ſu-
„ pradicta. Ego autem ſibi reſpondi, quod libenter facerem
„ quod petebat, dummodo abſentia tua pro illo tempore a
„ Civitate Venetiarum, ſanctæ Congregationi Fratrum & So-
„ rorum, aut etiam populo non eſſet ſcandaloſa, ſeu multum
„ nociva. Et ſic tenore præſentium tibi mando, quod vide-
„ licet, ſi abſque ſcandalo prædicatorum, ſeu nocumento no-
„ tabili potes illuc ire ad prædicandum, omnino vadas. Quia
„ ſicut prædicta Soror Clara, per literas ſuas mihi ſignifica-
„ vit, magna ſpes eſt, quod Conventus ille Piſanus reducatur
„ ad plenam obſervantiam, de quo ſumme gauderem. Inſu-
„ per literam, quam petiviſti de licentia prædicandi tam ti-
„ bi, quam filiis tibi commiſſis transmitto præſentibus alli-
„ gatam. Poſtremo licet gaudium mihi eſſet præſentialiter te
„ videre, tamen non eſt mihi multum neceſſarium, quod tu
„ perſonaliter venias uſque huc ad reducendum me in Ita-
„ liam: potiſſime quia ſcio, præſentiam tuam in Civitate Ve-
„ netiarum neceſſariam eſſe, & utilem. Sed ut domeſtice tibi
„ loquar, utilius eſſet pro reditu meo, quod tu cum Supe-
„ riore, & aliis filiis, aliquod mihi procuraretis viaticum,
„ cum quo poſſim, adjuvante Deo, redire ad vos; nam expen-
„ di, & quidquid habui, & quod nondum habeo, quia in de-
„ bitis ſum, nec puto expenſæ meæ infirmitatis cum aliis ne-
„ ceſſariis, quæ hic expendi, me completurum cum magna
„ quantitate pecuniæ. Unde, ſi quid me poteſtis juvare, faci-
„ te, quia utilem, ut puto, eleemoſynam Deo placitam fa-
„ cietis. Multis enim indigebo, ſi concedente Domino redi-
„ bo ad vos, propter infirmitatem longam, quæ me deti-
„ nuit; quibus non indigui, veniendo ad partes iſtas: totum
„ tamen committo æternæ providentiæ Salvatoris, in quo te

„ ac

„ ac familiam tibi commiſſam ſemper valere melius cupio
„ toto corde. Dat. Coloniæ die 18. menſe Dec. Tuus ut ſer-
„ vus Magiſter Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Conſequenter etiam habitæ fuerunt à dicto Magiſtro aliæ literæ tam dicto Vicario, quam aliis Fratribus directæ ſub his verbis, videlicet: “In Dei Filio ſibi chariſſimis Fratribus
„ Johanni de Florentia Vicario Generali, tam in Conventi-
„ bus Venetis, quam in nonnullis Conventibus Italiæ, cæ-
„ terisque Fratribus eidem Vicario ſubditis, deputatis ad præ-
„ dicandum verbum Dei, ſeu impoſterum deputandis Ordi-
„ nis Fratrum Prædicatorum, F. Raymundus ejusdem Ordi-
„ nis humilis Magiſter & ſervus, ſalutem & Chriſtum Do-
„ minum efficaciter imitari. Quia magiſtra rerum experien-
„ tia me diutius, & clariſſime docuit non ſine magno gau-
„ dio cordis mei, quod ex prædicationibus, quas per vos
„ concedit Omnipotens fieri, magnus & inſolitus fructus, &
„ ſalus animarum manifeſte apparet; Beatiſſimi Dominici Pa-
„ tris noſtri, qui Ordinem noſtrum ad hunc finem produxit,
„ juxta modulum meum cupiens imitari veſtigia: tenore præ-
„ ſentium vobis concedo de gratia ſingulari, quatenus ubique
„ per totam Italiam vobis liceat prædicare, & mediante ver-
„ bo Dei animas lucrifacere; ita tamen, quod nulli Conven-
„ tui vobis non commiſſo in temporalibus eleemoſynis, ſeu
„ quæſtibus fiat quæcumque injuria, nec etiam Fratribus ad
„ prædicandum deputatis, aliis in Eccleſiis, ſeu Conventibus
„ noſtris contra voluntatem ipſorum, & Præſidentium Con-
„ ventualium, fiat quæcumque moleſtia. Omnibus autem Præ-
„ ſidentibus tam in Provinciis, quam in Conventibus dictæ
„ regionis Italiæ, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipio per
„ præſentes, quatenus alii nullum vobis præſtent impedimen-
„ tum, aut præſtari procurent, per ſe vel alium, vel alios; quin
„ libere verbum Dei poſſitis proponere & fructum facere, ut
„ dictum eſt. Notificans nihilominus eis, & ſingulis eorum,
„ quod hæc ordinatio per me facta, jam eſt per Sedem Apo-
„ ſtolicam confirmata: nec licet cuicumque circa dictam Se-
„ dem in ſupraſcriptis, aliquid immutare. In quorum omnium
„ teſtimonium præſentes patentes literas fieri feci, & noſtro
„ ſigillo muniri. Datum Coloniæ anno Dom. MCCCLXXXXVIII.
„ die XX. Menſis Decembris. “ Poſtmodum vero de Menſe

Januarii, dictus F. Johannes Dominici aſſocians ſibi quemdam F. Thomam Paruta de Thomaſinis de Venetiis, Piſas acceſſit, ubi perveniens, & prædicationis officium proſequens usque ad poſt immediatam ſequentem Quadrageſimam anni MCCCLXXXXIX. bis vel ter, & aliquando quater prædicando in die, & plures reducendo & convertendo, ac ad diverſas Religiones conducendo, intenſus fructus extitit reportatus. Ipſe vero Fr. Johannes, cum præfato ſocio eodem die Venetias eſt reverſus. Interim vero in Venetiis die 2. Februarii in die videlicet Purificationis Beatæ Virginis, quidam dictus Limettus receptus eſt per me ad habitum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, in Capella ejusdem Sancti, quæ eſt in Eccleſia SS. Johannis & Pauli. Item conſequenter in dicta Quadrageſima oportuit me prædicare in Eccleſia S. Barnabæ de Venetiis, ubi prædicavi de cella mentali, de qua habetur alibi. (36)

(36) Imperfectum Codicem eſſe patet. Num incómpletum reliquerit ipſe Thomas Senenſis, incompertum mihi eſt.

DE

MONASTERIO

SS. JOANNIS ET PAULI.

INter cæteras Italiæ urbes, quas Evangelica prædicatione illuſtravit Sanctiſſimus Ordinis Prædicatorum Inſtitutor Dominicus, Venetias quoque adnumerant Ferdinandus Caſtillio pår. 1. cap. 55. Thomas Malvenda Cent. I. Joannes Flaminius in vitis Patrum Ordinis lib. III. & Marcheſius in Diario Tom. IV. pag. 200. Laudatus Malvenda Centuria citata pag. 183. hæc affert in vita S. Dominici. „Tolo„ſa diſceſſit relictis illic paucis Fratribus; ipſe vero, ut an„tea diximus, Venetias adiit, ut mare tranſiret ad Genti„les. Quid autem Venetiis egerit S. P. Dominicus, habemus „ex monumentis Clariſſimi Conventus SS. Joannis & Pauli, „quæ ad nos Patres illius Cœnobii miſerunt, quorum verba „fideliſſime referimus. *Anno D. 1217. Pater S. Dominicus* „*Venetias venit, & cum paucis aliquot Fratribus accepit a Re*„*publica Oratorium quoddam appellatum S. Danielis; quod poſt* „*canonizationem ejusdem Sancti Viri vocatum eſt Sacellum S.*

„ *Dominici : præſenti vero tempore poſt annum Salutis* 1567.
„ *dicitur Capella Roſarii. In eo Oratorio, quod prius anguſtius*
„ *multo erat, conſtruxit S. Dominicus parvum Monaſterium pro*
„ *Fratribus; Antiquæ autem illius Fabricæ cernuntur adhuc*
„ *hodie veſtigia in parietibus, & feneſtris eo in loco, qui hoc*
„ *tempore Profeſſorium nuncupatur.*

Porro ea Conventus documenta, quæ Malvendam decepe- runt, recentiſſimo tempore concinnata fuerunt, cum ex mox referendo donationis inſtrumento apertiſſime conſtet terræ planitiem anno MCCXXXIV. a Jacobo Theupolo Duce, pro extruendo ibidem Monaſterio Ordinis Prædicatorum donatam fuiſſe. Accuratiſſimus rerum Venetarum Scriptor Andreas Dandulus, cum in Chronico lib. IX. cap. IV. non ſemel Divi Dominici mentionem ingerat, atque ipſum Romam cum Fulcone Epiſcopo Tholoſano perrexiſſe, ibique Ordinis confirmationem obtinuiſſe, ac tandem Bononiæ feliciter in Domino obdormiſſe capituli citati partibus XXV. XXVII. & XXXVI. recenſeat; adventum tamen ejus Venetias, (quem a Veneto Chronologo oportebat ſingulariter adnotari.) alto ſilentio prætermittit, quamvis poſtea ſatis fuſa narratione B. Franciſcum a tranſmarinis partibus redeuntem, Venetias adventaſſe exponat. Donationem tamen, qua Fratribus Prædicatoribus terram aqua ſuperlabente conceſſit Jacobus Theupulus Dux Venetiarum, lib. X. cap. V. par. 13. refert his verbis: “ Anno VI.
„ (*Chriſti nempe* MCCXXXIV.) Ex laudatione publicæ concio-
„ nis Dux (*Jacobus Theupulus*) Fratribus Prædicatoribus,
„ terram aqua ſuperlabente in confinibus S. Mariæ Formoſæ,
„ & S. Marinæ, pro Monaſterio conſtruendo conceſſit. Quo
„ inchoato ſuam ibi ſepulturam elegit.

Quamvis autem ſolemnis donatio loci, in quo nunc ampliſſimum SS. Joannis & Pauli Monaſterium viſitur, anno MCCXXXIV. peracta fuerit, attamen Divi Dominici alumnos multo ante Venetias adventaſſe ex authenticis documentis probatur, quorum unum in Archivo S. Auguſtini de Padua Ordinis Prædicatorum aſſervatum affert ad annum MCCXXVI. Fratrem Martinum Priorem Fratrum Prædicatorum Venetiis commorantium: “ Jordanus Mutinenſis Dei gratia Epiſcopus
„ Paduanus, ad inſtantiam, & poſtulationem Fr. Guidonis
„ Prioris Fratrum Prædicatorum Paduæ, & F. Martini Prio-

„ ris

„ ris Fratrum Prædicatorum Venetiis commorantium, dedit
„ eis primarium lapidem benedictum pro conſtruenda Eccle-
„ ſia Paduæ ad honorem Dei, & B. Auguſtini. Anno Domi-
„ mini MCCXXVI. Indictione XIV. die V. Octobris. Notario
„ Turpino q. Gnati filio.

Ex hac authentica ſcheda Patavii aſſervata corrigenda eſt Chronica anni nota in Ughello poſita, quæ annum MCCXXVII. ex errore notavit. Si quod autem de rei hujus veritate adhuc eſſet dubium, illud penitus amolitur authographum Gregorii IX. Diploma Perusii datum ad Priorem Fratrum S. Mariæ de Plavi Ordinis Ciſtercienſis, die XXIV. Aprilis anno MCCXXIX. quo Priorem Eccleſiæ S. Martini de Venetiis Ordinis Prædicatorum, ejusque Collegas enuntiat, deſignatos fuiſſe viſitatores Eccleſiarum exemptarum Cenetenſis, Feltrenſis, Bellunenſis, & Concordienſis Civitatum, & Diœceſum. Hæc ſunt Apoſtolicæ literæ verba, quam ex integro dabimus, Deo dante, inter Eccleſias Torcellanas, ubi de Monaſterio S. Mariæ Angelorum ſermo erit: *Ex parte ſiquidem veſtra fuit noſtris auribus intimatum, quod cum olim dilectus filius Prior Eccleſiæ S. Martini de Venetiis Ordinis Prædicatorum, & ejus collegæ viſitatores Eccleſiarum exemptarum Cenetenſis, Feltrenſis, Bellunenſis, & Concordienſis Civitatum, & Diœceſum per ſuas nobis literas intimaſſent, quod prædictam Eccleſiam S. Mariæ de Plavi, quæ ad Romanam Eccleſiam nullo pertinet mediante, adeo invenerant in ſpiritualibus deformatam, & in temporalibus diminutam, quod nulla ſpes eſſet, ut poſſet aliquatenus reformari, niſi Ciſtercienſis Ordo propagaretur ibidem; adjicientes nihilominus, quod Prior ejusdem Eccleſiæ voluntarius ſe reformationi expoſuiſſet ipſorum.*

Utcunque de loco habitationis res ſe habeat, hoc unum pro certo eſt religioſos Sancti Dominici alumnos Venetiis commorantes, præclara adeo in oculis omnium Civium ediderunt virtutum & pietatis exempla, ut Jacobus Theupulus, qui eo tempore Dux Reipublicæ præerat, *ipſorum moram in Civitate toti populo neceſſariam exiſtimans ex laudatione publicæ concionis* amplum terræ ſpatium, *aqua ſuperlabente in confinio S. Mariæ Formoſæ poſitum*, certisque terminis circumſcriptum eis in perpetuum poſſidendum obtulerit, conceſſionis tabulas roborante Ducalis Aulæ Cancellario menſe Junio

anni

anni MCCXXXIV. (A) Cœleſte quoddam viſum Jacobo Duci factum Donationi cauſam dediſſe afferunt nonnulli ex Venetis Scriptoribus, quorum tamen nullus ſæculum XIV. vel præcedit, vel attingit, porro ipſius apparitionis ſeriem, (quam commentum eſſe putamus) ex ſuperius enuntiatis monumentis Conventus SS. Joannis & Pauli, exhibemus.

„ Anno 1226. Inſigni Miraculo ampliatur Conventus ſupra„ dictus. Dux Jacobus Theupulus nocte quadam per quietem „ aſpiciebat Oratorium S. Danielis, cum area illi conjuncta, „ roſis, aliiſque diverſi generis fragrantiſſimis floribus cuncta „ undique plena. Advolarunt autem complures Columbæ can„ didiſſimæ, cruces aureas in ſummo capite geſtantes, quæ „ inter flores illos colludebant. Interim duo Angeli de Cœlo „ elapſi, aurea thuribula in manibus habentes per Oratorium, „ & Aream diſcurſantes, ſuaviſſimis odoribus omnia imple„ bant. Dum hæc Theupulus attentiſſima conſideratione in„ ſpiceret, audivit vocem dicentem ſibi: Hic eſt locus, quem „ elegi meis Prædicatoribus. Diſcuſſo ſomno viſio abiit: „ Princeps ſtupore, & admiratione plenus rem omnem, ſe„ riemque viſionis poſtero die publice in Senatu Patribus nar„ rat. Omnes Dei conſilium rati communi conſenſu decer„ nunt, ut Fratribus quadraginta pedes novi ſitus contribuan„ tur, quo Eccleſiam, & Monaſterium in ampliſſimam for„ mam conſtruere poſſint. Cœpitque tunc ædificari Eccleſia „ nomine S. Mariæ, & Beatorum Martyrum Joannis & Pau„ li dicata. Quæ publicis Urbis eleemoſynis, multis annis „ constructa fuit, in eamque pulcherrima Fabrica ſurrexit, „ quam nunc videmus.

„ Cæterum Anno Domini 1234. præfatus Sereniſs. Princeps „ communi Reipublicæ Venetæ decreto ſolemni ritu publi„ cum, & autenticum Inſtrumentum confici juſſit, prædictæ „ conceſſionis perpetuis temporibus robur habituræ, eſiſten„ te Priore Conventus quodam Fratre Alberico: quod ſane „ Inſtrumentum hodie in Archivio dicti Monaſterii aſſer„ vatur.

Nullam hujuſce apparitionis memoriam agit emortuale elogium ſepulcro Jacobi Theupoli Ducis, quod in exteriori proſpectu Templi viſitur, inſculptum. Hæc ſunt ipſi tumulo inſculpta carmina.

Quos

Quos natura pares, ſtudiis virtutibus atque
Addidit illuſtres Genitor, Natusque ſepulti,
Hac ſub rupe Duces Venetum clariſſima proles
Theupula collatis dedit hos celebranda triumphis.
Omnia præſentis donavit prædia Templi
Dux Jacobus, valido fixit moderamine leges
Urbis, & ingratam redimens certamine Jadram
Dalmatiosque dedit patriæ poſt Marte ſubactos.
Grajorum pelago maculavit ſanguine claſſes
Suſcipit oblatos Princeps Laurentius Iſtros,
Et domuit rigidos ingenti clade cadentes
Bononiæ populos: hinc ſubdita Cervia ceſſit,
Fundavere vias pacis, fortisque relicta
Re, ſuperos ſacris petierunt mentibus ambo.

Dominus Jacobus obiit MCCLI.
Dominus Laurentius obiit MCCLXXIII.

Ornatus tamen hujuſce ſepulcri anſam commento præbuiſſe cenſeo, in eo enim avium circumvolitantium, & Angelorum thuribulos manu geſtantium ſimulacra anaglyptico opere inciſa conſpiciuntur, ex quibus fortaſſe contexta fabella prodiit. Nec minori animadverſione notanda ſunt, quæ in donationis inſtrumento expreſſa leguntur, nempe *cunctam & ſuper totam petiam terræ* Fratribus Prædicatoribus elargitam aqua ſuperlabente coopertam fuiſſe, in qua quidem aqua vulgaris alia traditio mergitur, in eo nempe loco Sacellum ſeu Oratorium Divo Danieli ſacrum, & a Canonico Regulari adminiſtratum extitiſſe, ſi enim tota terræ facies paludis formam, & conſiſtentiam Ducis Theupoli tempore adhuc retinebat, profecto inveriſimile eſt Sacellum, & adjacentes pro Canonico Rectore ædes in paludoſo, & undis obruto loco ædificatas fuiſſe. Et huic rei occaſionem dediſſe arbitror marmoream tabulam, quæ a ſiniſtro latere exterioris proſpectus ipſius Eccleſiæ viſitur. Hæc Prophetam Danielem inter Leones orantem anaglyptico opere exhibet, ſubjectamque habet Græcis characteribus hanc epigraphen:

ΤΟΥΔΟΥΛΟΥΤΕΟΥΡωΜΑΝΟΥΤΕΥΝΤω | ΒΙΟΥΚΑΙΤωΝΤΕΚΝωΝΑΥΤωΝΑΜΗΝ.

Quæ

Quæ Latine ſic redditur:

Servi tui Romani cum Tobia, & filiorum ſuorum Amen.

Verum iis, donec clariore luce ſignentur, in ſua obſcuritate relictis, ad certiora tranſeamus. Albericus itaque in Inſtrumento donationis Prior Fratrum Prædicatorum enunciatus, etiam Monaſterii in conceſſo loco poſtea erecti primus Prior ſtatuendus erit, ſub quo & B. Jacobus Salomonius habitum Prædicatorum aſſumpſit, & magnificæ Eccleſiæ, & ampliſſimarum ædium fundamenta jacta fuiſſe cenſendum eſt, ſiquidem anno MCCXLVI. cum *Fratres Ordinis Prædicatorum de Venetiis ibidem Eccleſiam, & alia ædificia ſuis uſibus opportuna conſtruere cœpiſſent*, ut in iis celerius perficiendis *fidelium juvarentur ſubſidiis*, Innocentius Papa IV. iis, qui de bonis a Deo ſibi collatis pias eleemoſynas erogaſſent, ut prædicta ædificia conſummari valerent, centum Indulgentiarum dies Apoſtolica liberalitate remiſit die x. Julii ejuſdem anni MCCXLVI. ut videre eſt, in accuratiſſimo Ordinis Bullario Tom. I. pag. 166. Num huic Alberico, aut alteri in Prioris munus ſuffecto datæ fuerint anno MCCLIII. Apoſtolicæ ejuſdem Innocentii literæ, quæ in Bullario Ordinis aſſeruntur Tom. I. pag. 235. incompertum mihi eſt. Earum tenore *Priori Fratrum Prædicatorum de Venetiis*, non expreſſo ejus nomine, committit Pontifex, *ut Abbatem, & Monachos de Pomposa ad reſtituendum quoddam prædium compellat.*

Poſt Albericum memoratur nullus hujus Monaſterii Prior usque ad annum MCCLXI. eo etenim anno præfuiſſe *Vacumdeum* Priorem ex verbis adnotatis ad calcem diplomatis Alexandri IV. in Bullar. Tom. 1. pag. 405. relati. Hæc ſunt appoſita verba.

„ Anno Domini MCCLXI. Indict. IV. die Jovis IX. Kal. Julii præſentibus fratre Vacumdeo Priore Fratrum Prædicatorum de Venetiis, Domino Marco Archiepiſcopo Caſtellano, & Domino Natali Capellano Sancti Marci. Ego Frater Guillelmus Aquenſis de Ordine Fratrum Prædicatorum Notarius Sacri Palatii de mandato Ven. Patris Domini ... electi Caſtellani, & voluntate ipſius Fratris Vacumdei, tunc Prioris noſtri has literas ſcripſi, & exemplavi de verbo ad verbum, prout in literis Domini Papæ Alex. VI. bullatis, nullatenus vitiatis, Bulla plumbea jam prædicti Do-

„ mini

„ mini Papæ Alex. habente ex una parte facies Apoſtolorum
„ Petri & Pauli , & ex altera Alex. Pp. IV. continebatur ,
„ nihil addens, vel minuens, quod mutet ſenſum , vel ſen-
„ tentiam; niſi forte punctum , vel ſyllabam. Non obſtanti-
„ bus duabus raſuris, quæ ſunt in eis , quarum prima inci-
„ pit ubi dicitur: ipſius Sedis, terminatur, ubi dicitur: in po-
„ ſterum. Altera vero ubi dicitur: Inhibemus ne quis, termi-
„ natur, ubi dicitur: vel ſui prioris. Quas nihilominus jam
„ præfactus Vener. Pater Dominus ..... Electus ſui proprii
„ ſigilli munimine roboravit.

Poſt Vacumdeum, alter prodit anonymus Prior ex Epiſtolis celebris Hagiographi Jacobi de Voragine , tunc Prioris Provincialis Lombardiæ, ad Priorem Venetum SS. Joannis & Pauli datis, quæ ſunt:

“ Rev. in Chriſto Fratri Priori Fratrum Prædicatorum de
„ Venetiis, Frater Jacobus Fratrum ejuſdem Ordinis in Pro-
„ vincia Lombardiæ, dictus Prior Salutem æternam. Noveri-
„ tis , me a Sanctiſſimo Papa ſuper prædicatione Crucis in
„ ſubſidium Terræ Sanctæ, recepiſſe literas in hanc formam.
„ Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei . Dilecto filio
„ Priori Provinciali Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, Salu-
„ tem, & Apoſtolicam benedictionem. Si mentes fidelium *ut*
„ *in Bullar. Tom. I. pag.* 525. Datum eodem die & an-
„ no, quibus ſupra deinde immediate ſequitur : Volens igi-
„ tur mandatis Summi Pontificis obedire, vobis injungo, ut
„ juxta tenorem ipſarum literarum per vos , vel Fratres ve-
„ ſtros, prout in aliis literis ſcribo vobis, ipſam Crucem ſo-
„ licite prædicari faciatis . In cujus rei teſtimonium præſen-
„ tes literas noſtri feci ſigilli munimine roborari. Datum Bo-
„ noniæ Anno Domini MCCLXXV. Kal. Julii.

Circa ea tempora , ut jura Monaſterii SS. Joannis & Pauli ſuper terræ ſpatium Ducali conceſſione ſibi traditum illæſa ſervarentur , Judices & Proviſores ſuper Officia Canalium, & rivorum (Magiſtratus hic eſt aptandis præcipue viis præpoſitus , hodieque nuncupatur *Proveditori di Commun*) lata anno MCCLXXVIII. die vero VII. menſis Julii ſententia decreverunt, ne quis ultra ſtatutos ſibi limites prætergrediens juri Fratrum Prædicatorum, detrimentum inferret (B).

Quanta autem veneratione tunc temporis Urbs Venetiarum

Fratres Prædicatores proſequeretur, quantumque ipſorum judicio deferret, ex authentico Tarviſini Archivi documento noſcimus, cum enim ſæculo XIII. exeunte inter Commune Tarviſii ex una, & Commune Venetiarum ex altera parte de finibus utriusque ditionis controverſiæ vigerent, in quinque Arbitros Judices compromiſerunt, quorum duos Dux & Commune Venetiarum, duos Poteſtas, & Commune Tarviſii, quintum vero Joannem de Odonibus Cremonenſem, Priores Conventuum Fratrum Prædicatorum de Venetiis & de Tarviſio, ad dirimendas lites elegerunt anno MCCLXXXI. die vero Auguſti VIII. (C).

Anno MCCVIC. de ampliando Fratrum Prædicatorum Monaſterio lex lata fuit in Majori Conſilio his verbis, quam ex Codice *Piloſus* nuncupato exhibemus:

Die 27. Februarii MCCLXXXXIII. (*more Veneto, adeoque anno communi Juliano* 1294.) *In Majori Conſilio*.

“ Item quod Fratres Prædicatores poſſint ampliare locum „ ſuum verſus Murianum, usque ad rectum tramitem illo- „ rum de *Cha d' Aſmo*, qui ſunt ex alio latere acquæ, quæ „ diſcurrit inter ipſos Fratres, & Contractam S. Marinæ, quæ „ ampliatio erit circa paſſus triginta.

„ Bernardus de Ambroſiis.

Fratrem Florium de Verona, Priorem Conventus Fratrum Prædicatorum de Venetiis anno 1294. Operis hujus Tom. III. pag. 112. jam dedimus, eumque teſtem die xx. Martii ejusdem anni adfuiſſe protulimus, quando Laurentius Patriarcha Gradenſis Fratrem Gullielmum Epiſcopum Equilinum, ab excommunicationis vinculo abſolvit.

Anno inſequenti Chriſti nempe MCCIIIC. convocata in hoc Monaſterio fuerunt Generalia Ordinis Prædicatorum Comitia ſub Nicolao Boccaſino de Tarviſio totius Ordinis Generali Magiſtro, qui pridem in his Clauſtris annum probationis ſanctiſſime tranſegerat, ac deinde Lectoris munus per plures annos doctiſſime exercuerat, mox inter S. R. E. Cardinales cooptatus Bibliotechæ huic dono dedit *Speculum Hiſtoriale Vincentii Bellovacenſis*, in quattuor Codices diſtributum, quorum

rum primo deperdito, tres adhuc ſuperſtites accurate aſſervantur. Ad Pontificiam deinde ſedem ſub Benedicti XI. nomine aſſumptus primo ſui regiminis anno nondum expleto meritis, & ſanctitate Clariſſimus evolavit ad Cœlum, in Beatorum faſtis poſtea a Clemente XII. adſcriptus. Vir hic Sanctiſſimus, cum Prædicatorum Ordinem, cui nomen dederat, ab omni prorſus Epiſcoporum jurisdictione exemiſſet, Apoſtolicum ejus diploma latum die XII. Martii anno MCCCIV. Venetias autographum transmiſſum fuit, quod in quadam *pecia cartæ Frater Franciſcus Ordinis Prædicatorum de Clugia, publicus Imperiali auctoritate Notarius* de mandato Ægidii Patriarchæ Gradenſis fideliter tranſcripſit, ut ipſe his verbis ad ſchedæ calcem appoſitis fatetur.

“ Ego Frater Franciſcus Fratrum Ordinis Prædicatorum de „ Clugia, publicus auctoritate Imperiali Notarius, prout ſu„ pradicta inveni, vidi, & legi in præfata Apoſtolica non vi„ tiata, non abraſa, non cancellata, nec in aliqua ſui parte „ corrupta, vel ſuſpecta, ſed vera bulla plumbea, & filo ſe„ rico rubeo, & clauco, ut dictum eſt, bullata, ita in iſta „ pecia cartæ de Verbo ad Verbum nihil addens vel minuens, „ quod ſenſum mutet, vel intellectum, de mandato, & au„ ctoritate Reverendi Patris Domini Fratris Egidii, divina „ gratia Patriarchæ Gradenſis, Dalmatiæque primatis, fideli„ ter tranſcripſi, & facta diligenti collatione de præſenti tran„ ſcripto, cum prædicta Apoſtolica Litera, legendo, & aſcul„ tando una cum diſcretis viris, & literatis, Fratre Jacobo „ Superiore Fratrum Prædicatorum de Venetiis, Fratre Be„ rardo de Urbino, & Fratre Fantino ejuſdem Ordinis in for„ mam publicam redegi, meumque conſuetum ſignum appo„ ſui in teſtimonium prædictorum, & inſuper præfatus Do„ minus Patriarcha in robur majoris firmitatis prædictum „ tranſcriptum ſigilli ſui pendentis juſſit munimine roborari. „ Sub anno Domini MCCCIV. Ind. Secunda, die XVIII. men„ ſis Auguſti. Venetiis in Patriarchali Palatio.

Frater Manfredus Parmenſis Prior Conventus SS. Joannis, & Pauli, anno MCCCXIV. die IX. Septembris de præcepto Joannis Superantii Ducis Venetiarum, propter quaſdam controverſias exortas immiſſus fuit legali modo *in tenutam & corporalem poſſeſſionem* illius terræ, quam illi pridem conceſ-

ſerat Jacobus Theupulus Dux, de collaudatione populi Venetiarum.

Novum poſt hæc, pietate Marini Georgii Ducis conſtruitur Venetiis Monaſterium Ordinis in Caſtellana regione Divi Dominici titulo inſignitum, quem Frater Thomas Lauredanus SS. Joannis & Pauli Prior, facultate habita a Joanne Papa XXII. recepit, ipſumque in Vicariatum conſtituit, ſub Veneto SS. Joannis, & Pauli Prioratu, cui fuit ſubjectum, donec anno 1392. in Prioratum erectum fuit.

Frater Conradus de Camerino memoratur Prior hujuſce Conventus ex ſententia Judicum Curiæ *Procuratorum*, ad diem XI. Septembris anno MCCCXXIII. qui poſtea Provinciam S. Dominici tunc Lombardiæ nuncupatam, anno 1338. adminiſtravit. Circa ipſius tempora, anno videlicet MCCCXXV., Magiſtro Generali Ord. Barnaba de Vercellis convocante, coacta fuerunt Venetiis Comitia Generalia, quibus (ut videre eſt in Bull. Ord. Tom. II. pag. 167.) Joannes XXII. quædam decernenda injunxit datis die XXVI. Aprilis anno 1325. ad Magiſtros Generalem, & Provincialem Venetiis congregatos Apoſtolicis literis.

Anno MCCCXXXV. Petrus Corado Prior.

Anno MCCCXLIX. Fr. Falionus Prior invenitur in Archivo S. Mariæ ad Cæleſtia.

Anno MCCCLIII. Franciſcus de Montebelluna Prior, qui poſtea anno 1348. electus Provincialis eo titulo interfuit Comitiis Ordinis anno 1352. Caſtris convocatis.

Anno MCCCLV. Jacobus Badovarius Venetus, quo Monaſterium adminiſtrante Comitia Ordinis Generalia Venetiis habita fuerunt Magiſtro Ord. Gen. Simone Lingonenſi.

Anno MCCCLIX. Gabriel de S. Maria Formoſa Prior. Eodem anno quum Innocentius VI. Divo Petro Thomæ Carmelitæ tunc Epiſcopo Coronenſi, quem in Orientis regionibus Apoſtolicæ Sedis legatum creaverat, datis Epiſtolis commiſiſſet, ut ad ardua Catholicæ fidei negotia ſibi commiſſa peragenda Fratres Prædicatores, vel aliorum Ordinum alumnos aſſumeret, Sanctus Legatus deinde *Lectorem Fratrum Prædicatorum in Conventu Veneto Vicarium* ſuum *in Venetiis* conſtituit, ut *Venerabile ſignum Crucis contra infideles, & Turchos* prædicaret, *omniumque Crucem ſumere volentibus humeris*

ris imponeret. Legati Epiſtolas datas die XXVIII. Septembris anno MCCCLXI. publica Manfredi Notarii manu in Conventu SS. Joannis & Pauli exemplata fuerunt, coram Fratre Agnellino ejusdem Ordinis Prædicatorum Epiſcopo Sudenſi, die XX. Auguſti anno inſequenti MCCCLXII. (D).

Anno MCCCLXVIII. Monaſterium adminiſtraſſe Fratrem Jacobum Rubeum de Venetiis teſtatur marmorea epigraphe organo pneumatico lateralis, in qua hæc leguntur: 1368. *Tempore Prioratus Fratris Jacobi Rubei de Venetiis factum fuit hoc opus*; ex quo fortaſſe conjici poteſt usque ad eum terminum anno allato productum fuiſſe magnifici Templi ædificium. Frequentiora inde occurrunt ex Archivo Monaſterii Priorum nomina, anno enim MCCCLXIX. 30. Decembris enuntiatur Nicolaus de S. Juliano Prior.

Anno MCCCLXXVIII. die XXIV. Urbanus VI. interdictum ſolvens, quo olim a Gregorio XI. Florentini, atque cum eis participantes illigati fuerant, Epiſcopis Catholicis commiſit, ut eos, qui prædicti interdicti occaſione excommunicationis vinculo ligati eſſent, authoritate Apoſtolica abſolverent. Epiſtolas haſce cum excepiſſet Johannes de Placentinis Epiſcopus Caſtellanus Urbani Papæ VI. Commiſſarius, Fratri Nicolao de S. Juliano Priori Monaſterii SS. Joannis & Pauli, ea, qua fungebatur auctoritate, mandavit, ut omnes & ſingulos Fratres Ordinis Prædicatorum in Civitate, & Diœceſi Caſtellana commorantes, quos inveniſſet tali excommunicatione devinctos, communioni fidelium reſtitueret. Datum fuit Epiſcopale mandatum die XXX. Decembris anno 1378. ex quo arguitur, Joannem nondum tunc ab obedientia Urbani VI. (quod poſtea fecit) defeciſſe. De interdicto adverſus Florentinos ipſisque communicantes pronuntiato Conſule Raynaldum in Annal.

Anno 1382. 1. Martii Hermolaus de Venetiis.

Anno 1384. 2. Maii Angelus de Rechaneto.

Anno 1385. Federicus de Renolſo, cujus nomen ex Codice Bibliothecæ Taurinenſis innoteſcit.

Anno 1386. 1. Octobris Philippus Venetus.

Anno 1388. Gregorius de Ceſena, de quo mox ad annum 1393.

Anno 1390. Antonius de S. Paulo, cui ad egregium Templi

pli opus perficiendum Procuratores S. Marci, ex Nicolai Leonis legato decem mille argenteos tradiderunt, ut ex ſequenti documento patet.

1390. *Del meſe di Fevrer di 6.*

Nu Piero Corner, e Michiel Sten Procuratori della Glieſia de San Marco fornidori del teſtamento di Miſſier Nicolò Lion ſemo manifeſto a chi vederà la preſente ſcrittura, che de autoritate & licentia del gran Conſejo di Vinieſia havemo dado alla Glieſia de San Zane Polo, de li beni del dito Miſſier Nicolò Lion ducati dieſe mille e altro per fabricar de la dita Glieſia, e de la preſente capella de S. Domenego, per lo qual M. Frar Anton de S. Paolo Prior del Moniſtier predito con tutto lo Convento delli Frati che ſe trova eſſer al preſente ſi obliga ſi lor come li ſoi ſucceſſori dover ſempre in perpetuo cantar l'Officio divin diurno e notturno e celebrar Meſſe VI. ogni dì per anema de dito Miſſier Nicolò Lion chomo apar per iſtromento publico, e per zo havemo fatto notar queſto pataſio per memoria perpetua delle dite coſe.

Mcccxc. *die* VI. *menſis Febr.*

Nos Petrus Cornelio, & Michael Steno Procuratores Eccleſiæ S. Marci, executores teſtamenti Domini Nicolai Leono, notum facimus omnibus præſens hoc ſcriptum viſuris, quod de auctoritate, & licentia Magni Conſilii Venetiarum dedimus Eccleſiæ SS. Joannis & Pauli, de bonis dicti Domini Nicolai Leono ducatos decem mille, atque aliud pro ædificanda dicta Eccleſia, & præſenti Sacello Sancti Dominici, atque ob id Dominus Fr. Antonius de S. Paulo Prior prædicti Monaſterii, atque univerſus Conventus Fratrum ibidem modo commorantium ſe obligant cum ſuis ſucceſſoribus canere perpetuo Divinum Officium diurnum pariter, & nocturnum ſexque quotidianas Miſſas celebrare pro anima dicti Domini Nicolai Leono, ut conſtat ex Inſtrumento publico, atque ob id in perennem rerum prædictarum memoriam epitaphium hoc notari juſſimus.

Anno 1393. iterum Monaſterio præficitur Gregorius de Ceſena, qui Comitia Ordinis Generalia Raymundi de Vineis de Ca-

Capua, Magiſtri Gen. Decreto Venetiis convocata, anno inſequenti 1394., ut notat Echardus Tom. I. pag. 18., ſuſcepit in hoc Cœnobio, cujus regularis reformatio ibidem conſtituta fuit Antonio Venerio Duce, & univerſo Senatu, id potiſſimum poſtulantibus. Statuta itaque in Comitiis Generalibus, ſuper reformatione obſervantiæ regularis, eodem anno de menſe Auguſti executioni demandata fuerunt: Joannes enim Dominici (cujus laudes ſæpe dedimus) duodecim ſibi aſcitis ſociis ex Veneto S. Dominici Conventu digreſſus Religioſos hujuſce Conventus viros, adjuvante ſupralaudato Gregorio Priore, ad exactam Regulæ, & Conſtitutionum obſervantiam revocavit. Rem ex ſuperius allato Thomæ de Senis opuſculo fuſe dedimus, ex quo hic notandum eſt, Thomam ſupralaudatum narrare, *ſe* anno 1395. *vidiſſe Eccleſiam SS. Joannis & Pauli, pro media parte inferiori conſtructam, & Capellam S. Dominici* (quæ modo Sacellum eſt B. M. V. titulo Roſarii) *ibidem cum Campanili ad modum illius Fratrum Minorum Sanctæ Mariæ de Venetiis completam*. Gregorius iterum memoratur Prior ad annos 1394. 1395. & 1396. cujus anni menſe Septembri, Hieroſolymam verſus, ſacra Paleſtinæ loca veneraturus, iter arripuit. Hic ille Gregorius fortaſſe eſt Maleſardus agnomine, qui ad Cenetenſem Sedem anno 1405. die 2. Decembris aſſumptus fuit, de quo in Bullar. Ordinis mentio habetur. Ex eodem quoque Bullario addiſcimus ad erigendi Templi opus celerius promovendum deſtinatos fuiſſe ex Nobilium Ordine viros, qui *Proviſores ſive Procuratores, Fabricæ Eccleſiæ Domus Ord. Fratrum Prædicatorum SS. Joannis & Pauli de Venetiis* nuncupabantur. Iis, eorumque ſucceſſoribus pro tempore exiſtentibus Bonifacius IX. indulſit, ut *a quocumque ex Fratribus dictæ domus ad id idoneo Eucharistiæ Sacramentum ſuſcipere poſſent*. Ita in citato Bullario Tom. II. pag. 377.

Anno 1397. Thomas Ajutamichriſto de Piſis, vir ſingulari pietate & prudentia præditus, de quo in Thomæ Senenſis opuſculo laudabilis mentio habetur. Rexit usque ad menſem Auguſti ejuſdem anni 1397. quo, ut refert Thomas de Senis ſupra laudatus, *contigit ſupravenire peſtem in Civitate Venetiarum: dignatusque eſt Dominus inter alios, etiam nos Fratres de Conventu SS. Joannis, & Pauli viſitare de peſte, in tantum,*

tum, ut quamplures de illa ex noſtris feliciter migraverint ad Dominum; inter quos unus fuit Ven. F. Thomas Adjutamicbriſto de Piſis, tunc Prior dicti Conventus &c.

Anno 1398. Johannem Dominici huic Conventui præfuiſſe teſtatur ornatiſſima Virgo Bartholomæa Riccobona, in Chronico Monaſterii Corporis Chriſti. *Fr. Mathia ſe partì con noſtro Padre*, (Joanne nempe Dominici) *da S. Zanepolo per humiltà volſe eſſer Converſo ſotto l'obedienza de noſtro Padre, che in quel tempo rezeva el Convento de Miſier S. Zanepolo.* De eo ſæpe diximus, iterumque memorandus erit.

Anno 1400. Bartholomæus de Acerbis de Peruſio, cujus tempore Bonifacius IX. Franciſci Lauredani corpus in eminenti Eccleſiæ SS. Joannis & Pauli loco tumulari conceſſit, ut videre eſt in Bullario Ordinis Tom. II. pag. 385.

Anno 1402. Bartholomæus Dominici de Senis, olim Divæ Catharinæ Senenſi a Confeſſionibus, qui pro obſervantia regulari in Domibus Venetis reſtituenda ferventiſſime, ut ſupra vidimus, laboravit. Provinciæ S. Dominici præfectus, eo in munere deceſſit, ut ſcribit Joannes Dominici in epiſtola ad matrem ſuam data Conſtantiæ die XVI. Februarii (non XXII. ut notat Cl. Biſcionius) anno MCCCCXVI. Epiſtola hæc omiſſa fuit a Martene Tom. VI. Veterum Scriptorum in proceſſu conteſtationum ſuper ſanctitate, & doctrina B. Catharinæ de Senis, extat vero in proceſſu ms. Bibliothecæ, cujus hoc fragmentum ad rem, quam agimus, opportunum exhibeo: *Similiter Venerabilis Magiſter Bartholomæus de Senis, qui modicum temporis eſt, ex quo ex hac luce migravit, Provincialis exiſtens Provinciæ S. Dominici religioſus utique ſanctæ & immaculatæ vitæ &c.* Ex quibus certiſſime evincitur, neque Epiſcopalibus unquam infulis, ut aliqui volunt, decoratum fuiſſe, neque ad annum usque 1422. vitam ſuam protraxiſſe, quod autem chronica nota annum denotans, quo Tractatui Ordinis de Pœnitentia manum admovit in editione Conſtitutionum corrigenda ſit, ſuperius diximus in adnotationibus ad Tractatum ipſum.

Anno 1403. Joannes Benedictus Venetus, qui cum Prædicatorum Ordini nomen dediſſet in Monaſterio S. Dominici, poſtea cum Joanne Dominici ad hunc Conventum tranſiit, ut regularem obſervantiam in ea reformaret. De eo ſæpeſæpius illuſtris mentio habetur in laudato tractatu, & operis

hujus

hujus Tom. III. ad Eccleſiam S. Silveſtri in Patriarchis Gradenſibus. Patritia ejus familia deſiit in Vincentio de Benedictis, a latronibus proditorie necato anno 1668. ut teſtatur emortualis Epigraphe parieti affixa in Sacello Deiparæ ſtantis *Madonna in piedi* in qua hæc leguntur:

„ Horreſce Viator, inſpice tumulum, admirare ſcelus gorgo-
„ ne deformius, Lapideſce trophæum ſtuporis, pietatis, Vin-
„ centius Benedictus hic non jacet, ſed ejectus a triſti fato
„ vi cecidit. Uti Chriſtus poſt acclamationem Benedictus, qui
„ venit in nomine Domini, ad Crucem inhumaniter traditus;
„ ſic Vincentius fœlici nomine Benedictus potuit a mundo cru-
„ deliter trucidari a raptoribus raptus, vel ereptus neſcio. In
„ eo naturaliter deſinit familia, ſed egregias ſpiritu gignendo
„ virtutes Religionis, Modeſtiæ, pietatis exemplar, perennes
„ reliquit ideas, quibus meditatione adhærendo, ut agnati,
„ ſemper vivant, filios ſibi ſtatuit æternos, hanc memoriam
„ Teſtatori obtemperantes Hæredes poſuere. Anno Domini
„ MDCLVIII. Menſe Julio Ætatis vero ſuæ an. LXI.

Anno 1406. Nicolaus Maripetro Venetus.

Anno 1408. Dominicus de Venetiis, quem autumo eſſe Dominicum illum de Venetiis, qui poſtea anno 1412. munere Inquiſitoris Bononiæ fungebatur, quique dicto anno die XV. Novembris Thomæ de Senis reſcripſit approbans ea, quæ in Comitiis Provincialibus edita fuerant pro commemoratione S. Catharinæ Senenſis, ut patet ex proceſſu ejusdem Divæ.

Anno 1409. Frater Thomas Antonii de Senis, qui & Naccius & Caffarinus dicitur. Regularis obſervantiæ in Venetis Cœnobiis zelantiſſimus reſtitutor, & Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Dominici in Urbe Veneta Fundator piiſſimus, ut Tractatus ſuperius editi manifeſte teſtantur.

Anno 1411. Marcus de Clugia.

Anno 1412. Bartholomæus Mutinenſis, qui & Ferrarienſis nuncupatur, eo quia in hac Civitate Cenſoris fidei diu officium egerit. Inſignis Theologus, & eximius Concionator, quum anno 1411. in hac SS. Joannis & Pauli Eccleſia de virtutibus, & meritis Divæ Catharinæ Senenſis ante ſolemnem ipſius apotheoſim Panegyrim habuiſſet, ortum eſt inter aliquos murmur, qui hæc Solemnia Virginis nondum faſtis Sanctorum adſcriptæ ex zelo religionis improbabant. Hoc cum ad aures Franciſci

Bembo Epiſcopi Caſtellani delatum fuiſſet, proceſſus eo mandante de vita, virtutibus, & doctrina præſatæ Catharinæ inſtitutus fuit, in quo inter alia referuntur conteſtatio & concio habita ab eodem Bartholomæo. Porro, ut proſequeretur, & ad finem perduceretur proceſſus iſte, operam ſuam indefeſſe contulit ſupralaudatus Thomas Antonii de Senis, & in cauſa potiſſimum fuit, ut cultus Virginis Catharinæ plurimum augeretur. Proceſſum hunc vulgarunt in collectione Veterum Scriptorum Tom. VI. col. 1237. Cl. Viri Martene & Durand, aliqua tamen brevitatis gratia omiſerunt, atque alia ab autographo diſona, ob typographi fortaſſe errorem ediderunt.

Anno 1414. Nicolaus Medici Venetus, qui regimen produxit usque ad annum 1417. cujus anni menſe Septembri nomine ſui Ordinis poſſeſſionem iniit Monaſterii Murianenſis D. Joanni Evangeliſtæ ſacri, quod modo S. Petri Martyris nomine connotatur. Ipſius Monaſterii beneficus fundator Marcus Michael de Parœcia S. Canciani, cum anno 1348. ex hac luce migraſſet in Templo SS. Joannis & Pauli ſepultus fuit.

Anno 1417. Philippus de Martina de Apulia.

Hoc anno 1417. Venetias adventaſſe Leonardum Statium de Datis Ordinis Prædicatorum Generalem Magiſtrum teſtantur ephemerides Œconomicæ Veneti Monaſterii S. Mariæ Servorum, in quibus hæc leguntur: 1417. 23. *Decembris in Barchis, cum ivimus ad viſitandum Patrem Generalem Fratrum Prædicatorum, qui venerat Imbaxiator Venetias*. De hac legatione a Florentinis ei commiſſa ad Sigiſmundum Cæſarem conſule Echardum in ejuſdem Leonardi elogio Tom. I. pag. 755.

Anno 1419. Petrus Contareno Nobilis Venetus, qui anno 1417. conſtitutus fuerat primus Vicarius Monaſterii S. Petri Martyris de Muriano.

Anno 1420. Philippus de Martina de Apulia. De quo ſuperius ad annum 1417.

Anno 1424. Thomas Raguſio de Venetiis.

Anno 1426. Nicolaus Auguſto de Venetiis Prior conſtitutus Monaſterium rexit, usque ad diem XIII. Septembris anni 1429. electus deinde fuit ab Eugenio IV. Epiſcopus Triçaricenſis ſub Acheruntino Archiepiſcopo die 24. Octobris anno 1438. Interfuit Concilio Florentino, obiitque Romæ anno 1446.

Anno

Anno 1429. 24. Septembris Franciſcus Donatus Nobilis Venetus, cujus ſtudio Eccleſia SS. Joannis, & Pauli conſecrata fuit ab Antonio Corrario Ordinis Prædicatorum Epiſcopo Cenetenſi, ut refert Epigraphe marmori inciſa, atque parieti Eccleſiæ, ſub organo pneumatico collocata.

" Anno Domini Mccccxxx. die Dominica immediate ſequen-
" te poſt feſtum Sancti Martini ſolemniter conſecrata fuit Ec-
" cleſia iſta ad honorem Dei, & Beatæ Virginis, ſub titulo
" Sanctorum Johannis & Pauli per Reverendum Patrem, &
" Dominum D. Antonium Corrario Dei & Apoſtolicæ Sedis
" gratia Comitem, & Epiſcopum Cenetenſem Ordinis Fratrum
" Prædicatorum, & nepotem quondam Domini Gregorii Pa-
" pæ XII. Tempore Prioratus Reverendi Magiſtri Franciſci
" Donato de Venetiis, cui conſecrationi interfuerunt quamplu-
" res Epiſcopi coadiutores, plurimique alii Prælati, & maxi-
" mus cleri & devoti populi concurſus, & ipſi Epiſcopi indul-
" ſerunt dies ſuos, atque idem Dominus Antonius ampliſſi-
" ma, & pretioſa donaria dedit Conventui Sanctorum Jo-
" hannis & Pauli.

Quoniam vero hujuſce Antiſtitis opportuna hic incidit mentio, non abs re erit, auctorem admonere, ne recentiori lapidi fidat, quem in hujus Eccleſiæ pavimento inſertum viderit, ex quo emortualis ejus annus notatur 1432. ipſe enim obiit anno 1445. cum priori anno nonnullos redditus, ad veſtiendos Novitios SS. Joannis & Pauli condito teſtamento legaſſet.

" Volumus quod mater noſtra omne dictorum impreſtito-
" rum prode diſponere poſſit, & facere ſuam omnimodam vo-
" luntatem, poſt vero ejus deceſſum volumus, quod de dicto
" prode perpetuo fiant duæ partes æquales, una quarum ſit
" pro manſionario in Eccleſia Corporis Chriſti eligendo per
" Prioriſſam &c.

" Alteram vero volumus diſtribui in hunc modum. Vide-
" licet quod commiſſarii noſtri ipſam medietatem prodis om-
" niumque impreſtitorum prædictorum dare, & conſignare te-
" neantur, ſecundum quod recipient a camera impreſtitorum,
" Dominæ Prioriſſæ Corporis Chriſti, quæ Prioriſſa induere,
" & veſtire debeat ex ipſo prode ſingulis annis omnes Fra-
" tres novicios SS. Joannis & Pauli, & non aliorum Con-

„ ventuum, quod Fratres teneantur rogare Deum pro anima „ noſtra &c.

Ut autem ad Priores & Monaſterium redeamus, conceſſum eſt anno inſequenti die xiv. Octobris ex ſuprema Majoris Conſilii authoritate ut *Fratres SS. Jo: & Pauli, & omnes alii habentes poſſeſſiones a parte rivi SS. Jo: & Pauli atterrare poſſent poſt domos ſuas usque ad paludem, & facere fundamenta lapidea*. (E) Quibus actis Franciſcus Donatus muneri ceſſit, ad quod iterum revocatus eſt anno 1441. Mox cum Inquiſitoris munus Vicentiæ egiſſet, & Provinciæ biennio præfuiſſet obiit menſe Martio 1471.

Anno 1432. Paſcalis Georgio Venetus.

Anno 1433. Nicolaus antiquior (ita nominatum in Monumentis invenio) fortaſſe, ut diſcriminaretur ab homonymo ſucceſſore) Iterum 1435.

Anno 1437. Nicolaus de Mercato Novo, quo regente coacta fuerunt Venetiis in hoc Cœnobio Comitia Generalia Ordinis Prædicatorum Bartholomæo Texerio Mag. Ord. Generali.

Anno 1438. Marinus de Vinea Venetus.

Anno 1444. Antonius Stella Venetus.

Anno 1445. Joachinus de Mercatonovo Venetus. Iterum 1449.

Anno 1447. Antonius de Camerino.

Anno 1450. Franciſcus.

Anno 1451. Blaſius de Bedolotis Venetus a Nicolao V. facultatem accepit, domum Monaſterio legatam abalienandi, ad canonis ſeu penſionis annuæ ſortem rependendam; Diploma datum anno 1452. die 7. Februarii legitur in Bull. Ord. Tom. III. pag. 307.

Anno 1453. Antonius Macco, vel Maccus de Faventia.

Anno 1455. Joannes de Muriano. Iterum 1464.

Anno 1458. 16. Januarii Petrus Venetus ſeu de Venetiis, quem ex Juſtiniana familia procreatum teſtantur acta Curiæ Prætoriæ Torcellanæ, in quibus ad annum 1435. ejus mentio habetur, diciturque Gubernator Prioratus S. Salvatoris, forſitan deſignatus a Thoma Thomaſino, qui ut diximus Operis hujus Tom. II. pag. 255. Prioratus ipſius, Eugenio IV. mandante curam, & adminiſtrationem ſuſceperat; tanti autem Petrum Juſtinianum fecit ſupralaudatus Thomas, ut ipſum

ſum anno 1446. die 24. Maii, condito teſtamento rerum ſuarum poſt mortem adminiſtratorem elegerit. Ad Corcyrenſem Archiepiſcopalem Sedem a Caliſto III. anno 1458. aſſumptum fuiſſe, tradit Fontana in Monumentis Dominicanis, qui deinde, in Theatro Dominicano, ipſum aſſerit a Pio II. eodem anno creatum fuiſſe ejuſdem Sedis Archiepiſcopum. Conciliari hæc poſſunt, quia cum eodem ipſo anno 1458. & Caliſtus III. obierit, & Pius II. Petri Sedem aſcenderit, veriſimile eſt Petrum a Caliſto deſignatum Archiepiſcopum, morte ipſius Pontificis interveniente, a Pio ſucceſſore promulgatum fuiſſe.

Congruunt ea, quæ de menſe Octobri 1459. in Diario Œconomico Conventus afferuntur, videlicet: *Die 8. Junii 1458. dedi die eadem pro veſtibus Prioris videlicet quatuor menſium, Magiſtro Petro de Venetiis, nunc digniſſimo Archiepiſcopo Corſuenſi ducatos quatuor*. Cum itaque Petrus menſe Junio anni 1458. Prior eſſet, profecto ſub Caliſto III. qui obiit die VI. Auguſti deſignatus tantum, non vero conſecratus fuit Epiſcopus; neque vero, ut ex allato documento patet, cum Petro de Venetiis Petinenſi Epiſcopo confundendus eſt, quem Fontana tradit Petinenſibus Epiſcopum datum fuiſſe, *anno 1434. dum in Conventu S. Dominici ſuæ Patriæ Prioris* onus ſuſtineret.

Anno 1459. Blaſius Niger de Venetiis. Iterum 1471. 1482.

Anno 1462. Antonius de Benevento.

Anno 1466. Franciſcus junior de Venetiis. Iterum 1469.

Anno 1468. Joachinus Turrianus Venetus. Iterum 1475. Doctiſſimus vir Metaphyſicam in Lyceo Patavino publice docuit, & Provinciam per plures annos ſumma cum prudentiæ laude adminiſtravit, quo munere dum fungeretur, bis comitia generalia in hoc Cœnobio coacta ſunt, nempe, anno 1486. in quo Barnabas Saxonus Magiſter Ordinis Generalis electus fuit, qui primò ſui regiminis menſe e vita migravit. Capitulum itaque Generale Venetiis, iterum indicitur pro anno inſequenti 1487. in quo cum ſupralaudatus Joachinus Vicarii Generalis præfecturam gereret, concordi Patrum electorum ſuffragio ad ſupremam Ordinis dignitatem evehitur, quam per tredecim, & amplius annos laudatiſſime adminiſtravit. De utroque Capitulo Generali Venetiis coacto, vide Bull. Ord.

Tom.

Tom. III. pag. 595. & Tom. IV. pag. 8. inveniesque Diplomata Innocentii VIII. quibus Indulgentiæ conceduntur, & in ſecundo ipſorum enuntiatur Joachinus Turrianus Vicarius Generalis Ordinis. Venetam SS. Joannis & Pauli Bibliothecam ſelectis Codicibus mſ. locupletavit, cumque Venetiis degeret anno 1494. Dominio obtulit ſe *in Monaſterio SS. Joannis & Pauli loco celeberrimo pulcram Bibliothecam* conſtructurum, *ubi cum dignitate conſervari* poſſent libri, olim Reipublicæ Venetiarum a Cardinali Niceno donati. Quamvis autem oblatio ornatiſſimi viri benigne excepta fuerit, die XI. Junii anno MVID. (F) attamen difficultatibus obortis ſtatutum fuit publicam Bibliothecam, in eo, ubi nunc viſitur, loco magnificenter ædificare.

Anno 1473. Dominicus Pacis Venetus. Iterum 1484.

Anno 1477. Clemens de Venetiis.

Anno 1479. Marinus de Venetiis.

Anno 1481. Matthæus, quo regente Sixtus IV. ejusdem anni menſe Januario die XVIII. confirmavit, leges pro Veneto Cœnobio SS. Joannis & Pauli ſtatutas, ut in Bull. Tom. III. pag. 595.

Anno 1486. Antonius Benedicto Venetus. Iterum 1496. 1505.

Anno 1489. Sixtus Venetus. Iterum 1501. 1508.

Anno 1490. Georgius de Stephanis de Sebenico. Iterum 1498.

Anno 1492. Nicolaus de Caſtello Venetus.

Anno 1494. Petrus de Cavalcantibus Tarviſinus.

Anno 1500. Matthæus Gratiani de Venetiis, ad cujus preces Alexander Papa VI. anno 1501. die 30. Octobris indulſit, ut Fratres Monaſterii SS. Joannis & Pauli, *in Vigilia Nativitatis D.N.J.C. Miſſam, qua in nocte Nativitatis ejusdem D. N. J. C. celebrari conſuevit in crepuſculo noctis hujusmodi* celebrare valerent; ut legitur in Bull. Ord. Tom. IV. pag. 182.

Anno 1503. Sigismundus Gilberti Venetus. Iterum 1514.

Anno 1504. Matthæus Stephani vocatus antiquior de Venetiis. Iterum 1510.

Anno 1507. Leonardus de Tarviſio.

Anno 1511. Nicolaus Riva Venetus.

Anno 1512. Ludovicus de Rubeis Venetus.

An-

Anno 1515. Bernardinus Soldanerius Utinenſis. Obiit anno 1523.

Anno 1516. Franciſcus a Gratiis (dalle Gratie) Venetus.

Anno 1517. Joannes de Rechaneto Venetus.

Anno 1518. Dominicus Teſta.

Anno 1519. Marcus Antonius Liviano. Iterum 1528. 1536.

Anno 1520. Leonardus Roſetta Venetus. Præfuit Vicarius Generalis Capitulo Patavii habito, cui interfuit Aſſiſtens, & Commiſſarius Apoſtolicus, Fr. Thomas Stella Venetus Ord. Prædic. Epiſcopus Salpenſis (Salpe Urbs eſt in Regno Neapoletano) a Paulo III. creatus, qui mox ab eodem Pontifice ad Sedem Lavellenſem evectus fuit, & tandem a Julio III. Juſtinopolitanæ Urbi datus fuit Epiſcopus, ut quos Vergerius præceſſor hæretica tabe infecerat, paſtorali ſollicitudine ſanaret. Concilio Tridentino interfuit, primusque omnium Confraternitatem S. S. Sacramenti Romæ inſtituit.

Anno 1521. Fr. Thomas Omnibono Venetus, Theologiam publice in Patavino Lyceo laudatiſſime docuit. Ab Adriano Papa VI. anno 1502. die 13. Decembris (ut videre eſt in Bull. Ord. Tom. IV. pag. 410.) Indulgentias pro Veneto Conventu SS. Joannis & Pauli recepit. Obiit 16. Auguſti 1536. Ætat. ſuæ an. 59.

Anno 1524. Damianus Lorus Venetus, Græcæ linguæ peritiſſimus.

Anno 1527. Gabriel Patavinus, quo Monaſterium regente Franciſcus Silveſter Ord. Gen. Magiſter, ſtudium Generale jam pridem a Vincentio Bandello de Caſtronovo, ejus prædeceſſore in Conventu SS. Joannis & Pauli inſtitutum ſingularibus privilegiis decoravit anno 1527. die 14. Januarii.

Anno 1531. Hieronymus Speranza Venetus. Iterum 1544.

Anno 1532. Ludovicus de Martinis Venetus, qui an. 1538. a Paulo III. electus fuit Epiſcopus Arienſis. Obiit 1541.

Anno 1534. Sixtus Medices Venetus. Iterum 1541. 1553. 1560. Vir eximiæ doctrinæ Theologiam in Patavino Lyceo docere cœpit anno 1545. mox ut Philoſophiam publice interpretaretur, in locum Sebaſtiani Foſcareni Senatoris ampliſſimi S. C. decreto Venetias evocatus fuit. Emortuale ejus elogium viſitur in primo Clauſtro Cœnobii parieti Sacrarii affixum.

„ Fr.

„ Fr. Sixto Medices Ven. Viro Religione Doct. Pruden. &
„ Human. Inſigni ſummis celeberr. hujus Cœnobii, & totius
„ Provinciæ muneribus egregie ſæpe perfuncto, qui multos
„ Ann. Sacr. Theolog. in Gymnaſ. Patav. atque in Patria
„ utramque Philoſ. eximia cum laude publice profeſſus, tan-
„ dem a Deo evocatus ad cœleſt. vitam ſum. totius civitatis
„ dolore deceſſit. Æt. ſuæ LX. die XXVIII. Novemb. MDLXI.
„ Fr. Hieronym. Vielmius Ven. Theol. Præcep. & tanq. Pa-
„ tri de ſe opt. merito P. C.

Marmore in exiguo ſat erit tua nomina tantum
Scribere Sixte Pater cætera quis referat.

Anno 1537. Franciſcus Zanchius Venetus, Apoſtolicas Pauli III. recepit epiſtolas, die 7. Octobris datas, quibus Auguſtinum de Faventia Ordinis Prædic. Vicarium Generalem ad viſitandum Apoſtolica authoritate Conventum SS. Joannis & Pauli deſtinavit, quæ quidem literæ in Bull. Ordinis ad ipſum annum 1537. ex integro referuntur.

Anno 1538. Nicolaus Biriano Venetus. Iterum 1559.

Anno 1540. Auguſtinus Maripetro Venetus. Iterum 1547.

Anno 1543. Archangelus Sagredo Venetus.

Anno 1546. Franciſcus Felicianus Venetus. Mortuus eſt Piſis anno 1566. ætat. 58. dum Metaphyſicam in publico Lyceo interpretaretur.

Anno 1549. Joannes Baptiſta de Ponte Venetus. Iterum 1556.

Anno 1550. Nicolaus a Cruce (Croſe) Venetus. Eo Monaſterii regimen adminiſtrante, actum eſt de Congregatione in Provinciam erigenda, ut patet ex ſequenti S. C.

1552. 9. Genaro.

Dalla copia, che in queſte vi mandamo, vedrete particolarmente quello che li Venerandi Frati di Santi Gio: e Paulo di queſta noſtra Città, & d'altri Conventi della Vicaria di S. Domenico de Conventuali, deſiderano d'ottenere da Sua Santità circa la reſtitutione del Provincialato loro, moſſi da quelle cauſe, & ragioni, che e da eſſa Scrittura, e dall'Agen-

te,

te, e commeſſo de predetti Venerandi Frati farete più a pieno informato. E perche deſideramo ch'eſſi Frati, li quali ſono da noi amati, e ſtimati per la bontà e dottrina loro, eſſendo, come veramente ſon, Devoti, & fedeliſſimi ſudditi noſtri, ſiano eſauditi da Sua Beatitudine di queſta ſua juſta, & conveniente intenzione: Vi commettemo, ch'eſſendo voi dal loro Agente ricercato, dobbiate in nome Noſtro far con Lei ogni poſſibil offitio una, e più fiate ſecondo che ricerca il biſogno; & non ſolamente con Sua Santità, ma & etiam con il Reverendiſſimo, & Illuſtriſſimo Cardinale Aleſſandrino loro Protettore, acciò che reſtino ſatisfatti del honeſto deſiderio ſuo, in l'uno, & in l'altro modo, ſiccome nella ſopradetta Scrittura ſi contiene. E quanto maggior ſarà il ſtudio, e diligenza, che in ciò vi ponerete, tanto più ſatisferete al deſiderio, e volontà noſtra.

Anno 1555. Gabriel de Franciſcis Venetus. Iterum 1564. quo anno Vincentium Juſtinianum, Ordinis Magiſtrum Generalem in Monaſterio excepit Viſitatorem Apoſtolicum, pro ejusdem Cœnobii reformatione deſtinatum, ut videre eſt in Bullario Ord. Tom. V. pag. 101.

Anno 1558. Conſtantius de Tarviſio.

Anno 1561. Camillus Spera Venetus. Iterum 1570. 1576.

Anno 1566. Remigius Nannius de Florentia. Iterum 1574. Orator, & Poeta plurimum laboravit in emendandis vulgandisque Operibus S. Thomæ. Obiit Florentiæ anno 1580. die 2. Octobris.

Anno 1568. Petrus Laureti Venetus, qui anno 1559. die 8. Martii creatus fuerat Publicus Imperiali authoritate Notarius, ut ex inſtrumento patet, quod eruditorum curioſitati inter documenta exhibeo litera (G).

Anno 1571. Deſiderius a Lignamine Patavinus.

Anno 1572. Adrianus Abriani Patavinus. Iterum an. 1585.

Anno 1577. Marinus Maria Petrobelli Patavinus. Eo anno die XII. Nov. Gregorius XIII. Eccleſiam SS. Joannis & Pauli, plurimis Indulgentiarum theſauris Apoſtolica liberalitate ditavit, prout videre eſt in Bull. Ord. Tom. v. pag. 327. Iterum 1597. 1604.

Anno 1579. Bonifacius Fontana Venetus. Iterum 1588. 1600. 1606.

Anno 1581. Angelus Andronico Venetus, in Accademia Patavina per XL. annos Metaphyſicam primum, mox Theologiam profeſſus eſt. Obiit nonagenarius 1624. 8. Apr.

Secundo ſui regiminis anno Venetias appulit, Paulus Conſtabilis Ferrarienſis Ord. Prædic. Generalis Magiſter, qui paulo ante anno nempe 1580. Congregationem Venetam annuente Capitulo Generali in Provinciam Venetam titulo S. Dominici erexit, ibi magnifice exceptus die III. Auguſti ad Monaſterium SS. Joannis & Pauli primum divertit, mox Conventus viſitatione rite peracta ad Conventum S. Dominici, die X. ejuſdem menſis ſe contulit, in quo cum per tres dies officii ſui munera peregiſſet, inteſtinorum inflammatione correptus fuit, quo morbo per ſex & triginta dies acerbe cruciatus mortalitatem exuit die XVII. Septembris. Cum vero ad tanti viri exequias, ea qua decebat pompa peragendas Eccleſia S. Dominici anguſtior videretur, ſtatutum eſt, ut utriusque Veneti Monaſterii impenſis in Eccleſia SS. Joannis & Pauli, meritiſſimo Patri juſta funebria ſolverentur, quod cum die XX. ejuſdem menſis lugubri magnificentia actum fuiſſet, demortui cadaver ad ſacram Divi Dominici ædem reductum, Eccleſiaſticæ ſepulturæ ibidem demandatum fuit, nocte ipſa feſtum S. Matthæi Apoſtoli præcedente.

Eodem ipſo anno die XVIII. Junii ſupralaudatus Prior cæterique Patres Conventus SS. Joannis & Pauli, Confraternitati SS. Roſarii B. M. V. in eadem Eccleſia, ad Sacellum S. Dominici nuncupatum, pridem erectæ Sacellum ipſum gratis conceſſerunt, eo potiſſimum intuitu, ut devotio Deiparæ Virginis ibidem augeretur; Inita pacta damus ex quibus addiſcimus Sacellum ipſum antiquitus ad Nicolai Leonis jam ſuperius laudati inſtantiam conſtructum fuiſſe atque a Saratona familia dotatum(H)

Anno 1583. Benedictus Giojoſo Utinenſis. Eo anno Gregorius Papa XIII. Diploma Indulgentiarum conceſſit Confraternitati SS. Vincentii C. & Petri M. ut videre eſt in Bull. Tom. V. pag. 302.

Anno 1584. Joſeph Alcainus Venetus. Iterum 1590. 1598.

Anno 1587. Joannes Caſtello Patavinus. Iterum 1594.

Anno 1592. Livius Bernardi Tarviſinus. Hoc anno Comitia Generalia Ordinis, in hoc Monaſterio coacta fuerunt ſub Hyppolito Maria Beccaria Generali Magiſtro.

An-

Anno 1602. Siſtus de Sarlotis Venetus.

Anno 1607. Laurus Peregrinus Venetus.

Anno 1609 Theodorus Dedus Venetus, vir antiquæ diſciplinæ, dum Monaſterio præeſſet, electus fuit a Paulo Papa V. die XI. Martii anno 1611. Epiſcopus Corcyræ Melene (Curzola,) quam Eccleſiam cum per annos ſexdecim optime rexiſſet, obiit die 11. Januarii anno 1627. Ætatis ſuæ LIV. Epiſcopali in munere præceſſorem habuit, Raphaelem Ripam Venetum hujuſce Monaſterii alumnum, qui e Curzolenſi Sede ad Clodienſem Sedem tranſlatus fuerat anno 1510. ut notat Ughel. in Ital. Sac. Tom. V. col. 1356. Ejus ſepulcrum in hac Divorum Joannis & Pauli Eccleſia viſitur, cui inciſum eſt hoc elogium:

„ Hic jacet Reverendiſs. Epiſcopus Curzolenſis primum „ deinde Clodienſis Magiſter Fr. Raphael Ripa Ordin. Præd. „ hujus Conventus Filius, in omni ſcientiarum genere Ex„ cellentiſs. Obiit M.DCXI. die XIX. Julii Ætatis ſuæ anno „ XXXXIV.

Quoniam vero Clugienſem ex Ordine Prædicatorum Epiſcopum memoravimus, lubet & antiquioris, qui ad eamdem Sedem ex ipſo Ordine aſſumptus fuit, memoriam afferre, licet enim patria (ut refert Fontana in Theatro) Veronenſis fuerit, tamen in hoc Templo ſepulcralem requiem ſortitus eſt, ut innuit epigraphe lapidi antiquis caracteribus inciſa.

„ MCCCXLVI. H. Jacet D. Fr. Michael Ordinis Prædicato„ rum Epiſcopus Clugienſis.

Anno 1611. Auguſtinus Leoni Venetus.

Anno 1613. Joannes Santato Rhodiginus, qui munere vix expleto ad Rhitymnacenſem Sedem (Rettimo) in Inſula Cretæ a Paulo V. anno 1615. electus fuit, de quo tamen mentionem nullam afferunt, neque Bull. Ordinis, neque Lequienius in Oriente Chriſtiano. Obiit die 24. Julii 1624.

Anno 1615. Joannes Petrus Aſtori Venetus.

Anno 1617. Thomas Capello Venetus. Eo anno 1617. Bernardinus Goſelinus Feltrenſis Venetæ S. Dominici Provinciæ Moderator piiſſimus, Romam pedes petiit, ut pro Veneto Divorum Joannis & Pauli Cœnobio, eam celebrandi ſolemnia Beati Jacobi Salomonii facultatem impetraret, quam pridem Civitati Forolivienſi, in qua jacet Beati corpus, indulſe-

rant Clemens VII. & Julius III. Romani Pontifices. Cum itaque eo potiſſimum adnitente Venetæ Reipublicæ Orator ſupplices Sacræ Rituum Congregationi obtuliſſet pro hujusmodi facultate libellos, Paulus Papa V. cui pia Senatus deſideria innotuerant, conceſſit die XXIII. Octobris anno 1617. ut Venetiis a Fratribus Ordinis Prædicatorum libere celebrari poſſet ejusdem Beati officium, ſicut ab eisdem Fratribus in dicta civitate Forolivienſi recitari, indultum fuerat.

Venetiarum.

„ Cum alias ad inſtantiam Oratoris Reip. Venetæ, ſub die „ III. Junii in ſacra Rituum Congregatione petitum fuerit, ut „ in Dominio Venetorum libere, & licite celebrari poſſit feſtum, & officium B. Jacobi Salomonii Ordinis S. Dominici, ſicuti ex conceſſione Apoſtolica celebratur, & recitatur, „ ab eisdem Fratribus S. Dominici in Civitate Forolivienſi, „ & eadem ſacra Rituum Congregatio tunc judicaverit poſſe „ concedi, ſi SS. Dom. N. placuerit, ut Venetiis tantum, „ ubi dictus Beatus Jacobus natus eſt, dictum feſtum, & „ officium celebraretur, viſis de mandato ejusdem SS. D. N. „ Papæ literis patentibus prædictæ conceſſionis Apoſtolicæ factæ pro Fratribus Dominicanis in Civitate Forolivienſi a „ felicis recordationis Clemente VII. Anno Domini 1527. & „ a felicis recordationis Julio III. Anno Domini 1554. & de „ omnibus iterum facta relatione eidem SS. D. N. a Nobis „ in Conſiſtorio Secreto hac die infraſcripta Sanctitas ſua annuit, ſententiam Congregationis approbavit, & conceſſit, „ ut Venetiis tantum, ubi natus eſt dictus B. Jacobus Salomonius Ordinis S. Dominici, a Fratribus & religioſis dicti Ordinis Venetiis commorantibus libere, & licite poſſit „ celebrari feſtum, & recitari officium de Communi unius „ Confeſſoris non Pontificis de dicto B. Jacobo, ſicut ab eisdem Fratribus Dominicanis recitatur, & celebratur in dicta Civitate Forolivienſi. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium, præſentes per infraſcriptum „ ejusdem Congregationis Sacrorum Rituum ſecretarium fieri „ juſſimus, manu noſtra ſubſcripſimus, & ſoliti noſtri ſigilli „ impreſſione muniri fecimus. Die XXIII. Menſis Octobris MDCXVII.

„ MDCXVII. Pontificatus ejuſdem Sanctiſſimi in Chriſto Pa-
„ tris, & D. D. N. Pauli Papæ Quinti Anno XIII.
„ A. Mar. Epiſcopus Oſtienſ. Card. Gallus.
„ I. P. Mucantius Secretarius Congregationis.

Obtentæ deinde facultatis privilegium cum Provincialis ipſe Duci, ac Dominio obtuliſſet ex S. C. lege ſtatutum eſt, ut ſolemni Ducis, ac P. C. interventu prima ejuſdem Beati feſtivitas in Divorum Joannis & Pauli Eccleſia perageretur, die VII. Januarii anni inſequentis MDCXVIII. quod magnifica pompa actum eſt, univerſa urbe de Sanctiſſimi Concivis honoribus gratulante, cujus merita, laudeſque Franciſcus de Marinis e Clericorum Regularium familia celebris Orator ornatiſſima concione promulgavit, quam typis Venetis eodem anno 1618. edidit Joannes Guerilius. Beati Jacobi vitam conſcripſere Joannes Theupulus Patriarcha Venetiarum, Vincentius a Faventia, Hyacinthus Cunibert, aliique quos refert Echard. Tomo II. Scriptorum Ordinis pag. 988. Sovegius quoque in anno Dominicano, atque Biographi Antuerpienſes ad diem XXXI. Maii, qua ejuſdem Beati Feſtum recolitur. Ejus titulo dicatum fuit Altare in Sacello, quod Capitulum vocant. Noviſſime anno 1728. *ad ſupplices* Marci Gradonico *Patriarchæ Venetiarum preces, Sacra Rituum Congregatio* Beati Viri *Officium ab univerſo Clero Sæculari, & Regulari utriusque ſexus Civitatis* Venetiarum *ſingulis annis die ultima Maii recitari, & Miſſam celebrari poſſe conceſſit.*

Venetiarum.

„ Ad ſupplices Reverendiſſimi Patriarchæ Venetiarum pre-
„ ces Sacræ Rituum Congregationi porrectas pro extenſione Of-
„ ficii, & Miſſæ propriæ Beati Jacobi Salomonii Ordinis Præ-
„ dicatorum ad dictam Civitatem, juxta approbationem pro
„ prædictis Patribus factam, illasque per Eminentiſſimum, &
„ Reverendiſſimum D. Cardinalem Pipia relatas, Sacra ea-
„ dem Rituum Congregatio dictum Officium, ab Univerſo
„ Clero Sæculari, & Regulari utriusque Sexus præfatæ Civi-
„ tatis ſingulis annis die ultima Maii juxta petita recitari, &
„ Miſſam reſpective celebrari poſſe benigne indulſit atque
„ conceſſit. Die 3. Julii 1728.

Anno

Anno 1619. Cœleſtinus Triviſanus Venetus, cujus ſtudio Altare Princeps, ad Matthæi Carmeri archetypum, erectum fuit, magnificentia & elegantia ſpectatiſſimum, cui auguſtum Tabernaculum inſidet ex ſelectis marmoribus mira majeſtate compactum.

Anno 1621. Hieronymus Beroardus Venetus. Obiit in munere.

Anno 1622. Marcus Antonius de Seraphinis Venetus. Iterum 1625.

Anno 1624. Innocentius Fioravanti Venetus.

Anno 1626. Deſiderius Caſtello Venetus.

Anno 1628. Philippus Bragadenus Venetus.

Anno 1630. Petrus Martyr Riva Venetus.

Anno 1631. Remigius Scropha Venetus, Theologiæ Profeſſor in Lyceo Patavino. Obiit an. 1645. die 5. Auguſti.

Anno 1632. Marcus Ferro Venetus. Iterum 1647. Obiit nonagenarius anno 1676.

Anno 1634. Jacobus Zenato Rhodiginus.

Anno 1636. Archangelus Manſueti Venetus.

Anno 1637. Jacobus Cerchiari Venetus. Iterum 1648. 1660.

Anno 1639. Gabriel Dominioni Venetus.

Anno 1641. Georgius Bovius Patavinus.

Anno 1643. Benedictus Leoni Venetus.

Anno 1645. Laurentius Chriſtomoli Venetus.

Anno 1652. Bartholomæus a Bella Venetus.

Anno 1654. Jacobus Maria Januitius Venetus. Iterum 1663. 1672. Monaſterii ædificia auxit, & Bibliothecæ opus egregie promovit, quod anno 1682. ornatiſſime abſolutum fuit.

Anno 1656. Joannes Premuda Semenzi Venetus; Hoc anno, cum claſſis Veneta apud Sextum & Abidon in Helleſponto celebrem de Turcis maritimam victoriam, die XXVI. Junii Divis Joanni & Paulo ſacra retuliſſet, ex S. C. die 1. Auguſti ejuſdem anni ſtatutum eſt, ut in perenne collati beneficii teſtimonium quotannis ad Duorum Fratrum Eccleſiam ipſorum recurrente feſta die Dux, & Senatus acturi gratias accederent, ipſamque ſolemni ſupplicatione Sodalitia Majora, & uterque Clerus inviſerent. Ea Venetorum victoria in prægrandi tabula Joſephi Eritii Auguſtani manu depicta viſitur ad dexteram Chori partem, eique ſuppoſita eſt hæc epigraphe:

» Ve-

„ Venetorum ad Heleſponti anguſtias inſignis de Turcica
„ claſſi triumphus, Laurentio Marcello debellante MDCLVI.
„ fauſtas SS. Joannis & Pauli XXVI. Junii Bertuccio Valerio
„ Duce.

Anno 1658. Raphael Zagana Venetus.

Anno 1661. Auguſtinus Moro Venetus, qui zelo Catholicæ religionis accenſus Claſſem Venetam aſcendit, ibique non illuſtri tantum pietatis exemplo, ſed & conſtanti animi fortitudine magnam nominis ſui gloriam promeruit, Veneto Senatui proinde, ut teſtantur ipſius Decreta, chariſſimus. Ut Eccleſiam Monaſterii ſibi crediti pretioſo ditaret theſauro, ſummo ſtudio laboravit, ut a Romana Urbe inſignes Divorum Titularium Reliquias obtineret, quas tandem adnitente Petro Baſſadona Equite, & Venetæ Reipublicæ apud Alexandrum VII. Romanum Pontificem Oratore, ex ipſorum tumulis Pontificio juſſu recluſis ſumma cum Monaſterii Urbisque lætitia recepit.

Ex Petri Equitis epiſtola die x. Septembris data ad Hieronymum Bragadenum (cujus potiſſimum pietati munus hoc refertur acceptum,) res clarius innoteſcet.

Illuſtriſs. ed Eccellentiſs. Sig. mio Sig. Colendiſs.

„ Ho avuto fortuna d'obbedire a V. E. conſeguendo le Re-
„ liquie delli SS. Martiri Giovanni, e Paolo per coteſta Chie-
„ ſa di Venezia; Oltre qualche difficoltà incontrata con li Pa-
„ dri Poſſeſſori (1), ci è convenuto riccorrere al Sig. Car-
„ dinale Borromeo Titolare (2), e poi al Papa, che Lune-
„ dì in Conſiſtoro vi acconſentì. Sarà quantoprima ſpedito il
„ Breve, e poi procurerò con Monſignor Vicegerente; a cui
„ tocca far ſmurare il luogo, ove ſono li Santi Corpi, apri-
„ re la caſſa, e cavar le Reliquie che ci ſia data qualche
„ parte inſigne di eſſe (3), onde tanto più conſpicua ſia la
„ glo-

(1) Eccleſiam SS. Joannis & Pauli de Urbe poſſidebant eo temporis Patres *Jeſuati* a B. Joanne Columbino inſtituti, quos ad concedenda lipſana fuiſſe propenſos teſtatur ipſe Petrus Baſſadona in mox afferendo ejus Epiſtolæ fragmento.

(2) Gilbertus Borromæus S. R. E. Cardinalis tit. SS. Joannis & Pauli, ab Innocentio X. creatus anno 1652.

(3) Deducta fuerunt ex Corporibus divorum Fratrum oſſa integra brachiorum, ut patet ex alia ejusdem Petri Oratoris Epiſtola ad ipſius Fratres data die x. Octobris, cujus fragmentum afferimus, tum ut identitas ſacrorum oſſium firme-

„ gloria della pietà di V. E. alla quale ho voluto far queſto
„ tocco, perchè li ſia nota la pontualità della mia umiliſſi-
„ ma ſervitù, e ſi degni di eſercitarla frequentemente coll'
„ onore de ſuoi comandi, come ne la ſupplico, e mi con-
„ fermo come devo. Di V. E.
„ Roma 10. Settembre 1661.

Humiliſs. Dev. Obbl. Ser. e Comp.
Pietro Baſſadona. (4)

Anno

firmetur, tum ut modeſtia pietaſque tanti viri clarius innoteſcant: " Li „ Padri Geſuati hanno loro la Chieſa, e ſi ſono fatti conoſcere a preſtar „ l' aſſenſo, eſſendo opportunamente capitato quì il loro Generale mio „ amico vecchio, che ha coadjuvato molto. Ma ſono entrato con eſſo in „ un impegno, cioè che il primo giorno dell' eſpoſizione delle Reliquie „ nella Chieſa di SS. Giovanni, e Paolo ſiano chiamati li Geſuati, come „ quelli che le concedono, e portano, & nelle memorie ſia fatta mentio- „ ne di loro. Io ſono coſtà Procuratore di tutti due li Conventi, devo amar- „ li egualmente, e procurarli ſoddisfatione, & onore. Le prego aſſiſtere a „ queſto & non laſciarmi andar diffettivo. Se li Padri di SS. Giovanni e „ Paolo voleſſero o in voce, o in ſcritto, o in qualſivoglia altra forma „ far memoria di me, non lo permettino a partito veruno, perchè mi pa- „ rerebbe di perder il merito con la vanità; lo dichino riſſolutamente al „ P. Priore, e ſe non gli promette di così eſeguire, non gli diano le Re- „ liquie; & avendo fatto qualche coſa la retrattino prima di averle. Le „ Reliquie ſono gl' oſſi delle braccia uno della parte ſuperiore, l'altro dell' „ inferiore, e coſa più inſigne non ſi poteva avere perchè le teſte ſono „ conſunte. " Simul cum ſacris Oſſibus Priori traditum fuit authenticum Sacrarum Reliquiarum documentum Octaviani Caraffæ Archiepiſcopi Patracenſis in Urbe Romæ Vicesgerentis manu ſubſcriptas.

" Octavianus Caraffa Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Pa- „ traſſi, Sanctiſſimi D. N. Alexandri VII. Prælatus Domeſticus, & aſſiſtens „ Emin. Cardinalis Ginneti in Urbe Sanctitatis Suæ Vicarii Vices gerens &c.

" Univerſis & Singulis has præſentes Viſuris, notum facimus, & atteſta- „ mur, Nos de ſpeciali mandato Sanctiſſimi D. N. Alexandri Pp. VII. no- „ bis deſuper expedito ſub die 16. proximi præteriti menſis Septembris, „ extraxiſſe Sacra Oſſa duo ex Corporibus Sanctorum Joannis, & Pauli Mar- „ tyrum in Templo dictis Sanctis in hac alma Urbe ſacro quieſcentibus, „ eaque in capſula lignea tenui filo obducta, & Sigillo noſtro ſex in locis „ obſerrata, tradidiſſe, & conſignaſſe Illuſtriſs. & Eccellentiſs. D. Petro „ Baſadonnæ Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ apud Sanctitatem Suam Orato- „ ri Ordinario ad effectum illa transmittendi Venetias, & ibidem in Tem- „ plo ſub invocatione Prædictorum Sanctorum extructo collocandi, publice- „ que fidelium Venerationi exponendi. In quorum fidem, has præſentes „ manu propria ſubſcripſimus, ſigillique noſtri conſueti impreſſione muniri „ juſſimus. Romæ hac die 4. menſis Octobris Anno Domini 1661.

L. S. Oct. Arch. Patraſſi.

(4) Petrus Baſadona ex Romana legatione redux inter emeritos Divi Marci Procuratores adnumeratus fuit, mox anno 1673. a Clemente X. inter S. R. E. Cardinales cooptatus.

Anno 1664. Antonius Maria Triviſanus Venetus.

Anno 1665. Joannes Petrus Bortoletti Patavinus, ætatis ſuæ anno XXX. ad munus Conſultoris in jure Reipublicæ Venetæ ob eximiam ipſius doctrinæ famam aſſumptus, illo per quadraginta, & ſeptem annos laudatiſſime perfunctus fuit. Iterum 1674. Obiit an. 1697.

Anno 1667. Ambroſius Balleli Venetus.

Anno 1669. Vincentius de Maphæis Venetus.

Anno 1673. Bernardinus de Mutis Venetus.

Anno 1675. Urbanus de Urbanis Venetus, in Mathematicis diſciplinis eruditiſſimus.

Anno 1677. Joannes Franciſcus Gallo Venetus. Iterum 1692. 1699. Obiit an. 1722.

Anno 1679. Gabriel Gardani Venetus.

Anno 1681. Joannes Benedictus Perazzo Venetus, doctrina, & vitæ integritate conſpicuus. Sui regiminis tempore dirutus eſt antiquus chorus olim in Eccleſiæ medio ſitus, & ad Sacellum aræ Principis optimo conſilio deductus. Obiit anno 1707. die 4. Aprilis, ætatis ſuæ ann. LXXVI.

Anno 1685. Raimundus Redri Venetus.

Anno 1687. Innocentius Perazzo Venetus.

Anno 1690. Cœleſtinus de Nigris Venetus.

Anno 1693. Joannes Aloyſius de Franchis Venetus. Antonium la Cloche ſupremum Ordinis Magiſtrum, qui Venetias Cœnobia ſui Ordinis inviſurus acceſſerat, magnifice in hoc Monaſterio excepit.

Anno 1695. Joannes Antonius Boninchi Venetus.

Anno 1702. Jacobus Maria Cottini Venetus.

Anno 1704. Joannes Felix Minelli Venetus.

Anno 1706. Laurentius Maria de Gregolinis Venetus.

Anno 1708. Rochus Fuſtinoni Venetus. Obiit in munere.

Anno 1709. Antonius Gavazzius Venetus. Iterum 1715.

Anno 1713. Joannes Dominicus Donatus Savoldelli. Iterum 1730. 1732. 1735. 1741.

Anno 1717. Raphael Jacobatius Venetus. Iterum 1723. 1727. 1730. quo anno obiit in munere.

Anno 1719. Petrus Maria Boninchi Venetus, cujus ſtudio Eccleſia ſerica aureaque ſuppellectile magnifice ornata fuit.

Anno 1721. Joannes Maria de Mutis Venetus.

„ gloria della pietà di V. E. alla quale ho voluto far queſto
„ tocco, perchè li ſia nota la pontualità della mia umiliſſi-
„ ma ſervitù, e ſi degni di eſercitarla frequentemente coll'
„ onore de ſuoi comandi, come ne la ſupplico, e mi con-
„ fermo come devo. Di V. E.
„ Roma 10. Settembre 1661.

Humiliſs. Dev. Obbl. Ser. e Comp.
Pietro Baſſadona. (4)

Anno

firmetur, tum ut modeſtia pietasque tanti viri clarius innoteſcant: " Li „ Padri Geſuati hanno loro la Chieſa, e ſi ſono fatti conoſcere a preſtar „ l' aſſenſo, eſſendo opportunamente capitato quì il loro Generale mio „ amico vecchio, che ha coadjuvato molto. Ma ſono entrato con eſſo in „ un impegno, cioè che il primo giorno dell' eſpoſizione delle Reliquie „ nella Chieſa di SS. Giovanni, e Paolo ſiano chiamati li Geſuati, come „ quelli che le concedono, e portano, & nelle memorie ſia fatta mentio- „ ne di loro. Io ſono coſtà Procuratore di tutti due li Conventi, devo amar- „ li egualmente, e procurarli ſoddisfatione, & onore. Le prego aſſiſtere a „ queſto & non laſciarmi andar diffettivo. Se li Padri di SS. Giovanni e „ Paolo voleſſero o in voce, o in ſcritto, o in qualſivoglia altra forma „ far memoria di me, non lo permettino a partito veruno, perchè mi pa- „ rerebbe di perder il merito con la vanità; lo dichino riſſolutamente al „ P. Priore, e ſe non gli promette di così eſeguire, non gli diano le Re- „ liquie; & avendo fatto qualche coſa la retrattino prima di averle. Le „ Reliquie ſono gl' oſſi delle braccia uno della parte ſuperiore, l' altro dell' „ inferiore, e coſa più inſigne non ſi poteva avere perchè le teſte ſono „ conſunte. " Simul cum ſacris Oſſibus Priori traditum fuit authenticum Sacrarum Reliquiarum documentum Octaviani Caraffæ Archiepiſcopi Patracenſis in Urbe Romæ Viceſgerentis manu ſubſcriptas.

" Octavianus Caraffa Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Pa- „ traſſi, Sanctiſſimi D. N. Alexandri VII. Prælatus Domeſticus, & aſſiſtens „ Emin. Cardinalis Ginneti in Urbe Sanctitatis Suæ Vicarii Vices gerens &c.

" Univerſis & Singulis has præſentes Viſuris, notum facimus, & atteſta- „ mur, Nos de ſpeciali mandato Sanctiſſimi D. N. Alexandri Pp. VII. no- „ bis deſuper expedito ſub die 16. proximi præteriti menſis Septembris, „ extraxiſſe Sacra Oſſa duo ex Corporibus Sanctorum Joannis, & Pauli Mar- „ tyrum in Templo dictis Sanctis in hac alma Urbe ſacro quieſcentibus, „ eaque in capſula lignea tenui filo obducta, & Sigillo noſtro ſex in locis „ obſerrata, tradidiſſe, & conſignaſſe Illuſtriſs. & Eccellentiſs. D. Petro „ Baſadonnæ Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ apud Sanctitatem Suam Orato- „ ri Ordinario ad effectum illa transmittendi Venetias, & ibidem in Tem- „ plo ſub invocatione Prædictorum Sanctorum extructo collocandi, publice- „ que fidelium Venerationi exponendi. In quorum fidem, has præſentes „ manu propria ſubſcripſimus, ſigillique noſtri conſueti impreſſione muniri „ juſſimus. Romæ hac die 4. menſis Octobris Anno Domini 1661.

L. S. Oct. Arch. Patraſſi.

(4) Petrus Baſadona ex Romana legatione redux inter emeritos Divi Marci Procuratores adnumeratus fuit, mox anno 1673. a Clemente X. inter S. R. E. Cardinales cooptatus.

Anno 1664. Antonius Maria Triviſanus Venetus.

Anno 1665. Joannes Petrus Bortoletti Patavinus, ætatis ſuæ anno xxx. ad munus Conſultoris in jure Reipublicæ Venetæ ob eximiam ipſius doctrinæ famam aſſumptus, illo per quadraginta, & ſeptem annos laudatiſſime perfunctus fuit. Iterum 1674. Obiit an. 1697.

Anno 1667. Ambroſius Balleli Venetus.

Anno 1669. Vincentius de Maphæis Venetus.

Anno 1673. Bernardinus de Mutis Venetus.

Anno 1675. Urbanus de Urbanis Venetus, in Mathematicis diſciplinis eruditiſſimus.

Anno 1677. Joannes Franciſcus Gallo Venetus. Iterum 1692. 1699. Obiit an. 1722.

Anno 1679. Gabriel Gardani Venetus.

Anno 1681. Joannes Benedictus Perazzo Venetus, doctrina, & vitæ integritate conſpicuus. Sui regiminis tempore dirutus eſt antiquus chorus olim in Eccleſiæ medio ſitus, & ad Sacellum aræ Principis optimo conſilio deductus. Obiit anno 1707. die 4. Aprilis, ætatis ſuæ ann. LXXVI.

Anno 1685. Raimundus Redri Venetus.

Anno 1687. Innocentius Perazzo Venetus.

Anno 1690. Cœleſtinus de Nigris Venetus.

Anno 1693. Joannes Aloyſius de Franchis Venetus. Antonium la Cloche ſupremum Ordinis Magiſtrum, qui Venetias Cœnobia ſui Ordinis inviſurus acceſſerat, magnifice in hoc Monaſterio excepit.

Anno 1695. Joannes Antonius Boninchi Venetus.

Anno 1702. Jacobus Maria Cottini Venetus.

Anno 1704. Joannes Felix Minelli Venetus.

Anno 1706. Laurentius Maria de Gregolinis Venetus.

Anno 1708. Rochus Fuſtinoni Venetus. Obiit in munere.

Anno 1709. Antonius Gavazzius Venetus. Iterum 1715.

Anno 1713. Joannes Dominicus Donatus Savoldelli. Iterum 1730. 1732. 1735. 1741.

Anno 1717. Raphael Jacobatius Venetus. Iterum 1723. 1727. 1730. quo anno obiit in munere.

Anno 1719. Petrus Maria Boninchi Venetus, cujus ſtudio Eccleſia ſerica aureaque ſuppellectile magnifice ornata fuit.

Anno 1721. Joannes Maria de Mutis Venetus.

Anno 1725. Joſeph Maria Venerius Venetus, ad cujus preces Benedictus XIII. Ord. Præd. olim alumnus Apoſtolicum Diploma anno 1525. conceſſit, quo Patribus hujuſce Conventus (eodem ferme modo, quo Alexander VI. permiſerat) indultum fuit privilegium *canendi Matutinum, & Miſſam ſolemnem Nativitatis D. N. J. C. ante mediam noctem ipſius Nativitatis feſta* præcedentem. Vide in Bull. Ord. Tom. VI. pag. 572. Supralaudatum Clariſſimum Pontificem in hoc Cœnobio aliquandiu degiſſe teſtantur ipſius epiſtolæ Priori, & Fratribus anno MDCCXXIV. die XIV. Decembris Romæ datæ, in quibus dum de collatis ſibi honoribus ingemiſcit, ipſius religioſi animi humilitas, quam ad extremum usque conſtantiſſime coluit, aperte eluceſcit. (I)

Anno 1729. Vitus Righi Venetus.

Anno 1733. Antonius Muſeſti Venetus.

Anno 1737. Zaccarias Rottini Venetus.

Anno 1742. Alexander Pius Malacreda Vicentinus.

Anno 1744. Antonius Maria Paleni Venetus.

Anno 1745. Joannes Albertus Chechel Venetus. Iterum 1750.

Anno 1746. Franciſcus Maria Molino Venetus.

Anno 1748. Rochus Curti Paravinus.

Pretioſis ditatur Eccleſia hæc tum Chriſti Domini, tum Sanctorum ejus ſacris Reliquiis, quæ argenteis elaboratiſſimo opere confectis thecis incluſæ in Sacrarii Altare ea, qua tantos theſauros decet, veneratione aſſervantur. Inter eas memoratu digniſſimæ ſunt

Portio Vivificæ Crucis D. N. J. C.

Spina ex ejusdem D. N. J. C. Corona excerpta.

Oſſa brachii Divorum Titularium, de quibus ſuperius dictum eſt. Hæc cryſtallinis incluſa capſulis argento undequaque interſectis die XXV. Junii feſtum ipſorum præcedente, anno 1662. ad aram maximam ſolemni ſupplicatione delata fuerunt, atque per integram ſequentis diei celebritatem fidelium venerationi expoſita. Ad ipſius aræ latera duo ex pario marmore Angelorum ſimulacra erecta fuerant, eo conſilio, ut in æreis inauratis capſulis, quas manibus efferebant, ſacra Martyrum pignora collocarentur.

Pes integer, & carne pelleque circumdatus Divæ Catharinæ Senenſis Virginis.

Di-

Digitus S. Petri Martyris Ordinis Prædic.
Articulus Digiti S. Vincentii Ferrerii Ord. Prædic.
Pes unius ex Innocentibus, quos Herodes Rex necari juſſit.
Articulus Digiti S. Mariæ Magdalenæ.
Quinque Capita ex comitatu S. Urſulæ.
Os S. Sebaſtiani M.
Os S. Hyppoliti M.

Illuſtrium etiam virorum picturæ magnifici Templi decus augent, quarum toti Europæ celeberrima eſt Titiani Vecelli tabula Divum Petrum Martyrem ſicarii gladio transfoſſum viventi ſimilem repræſentans. Viri hujus Pictorum nemini ſecundi, atque Jacobi Palmæ ſenioris ſimulacra erigi ſupra Sacrarii januam curavit Jacobus Palma junior, quibus & ſimulacrum ſuum apponi, & epigraphen incidi voluit his verbis:

„ Titiano Vecellio, Jacobo Palmæ ſeniori, juniorique aer
„ e palmeo communi gloria.

In Sacello autem, quod olim S. Dominici, nunc Roſarii nuncupatur, Chriſtum Dominum Crucifixum Jacobus Tinctoretus expreſſit.

Introeuntibus majorem Clauſtri januam ſeſe offert magnificum Sacellum titulo S. Mariæ de Pace nuncupatum, aram habens marmoream, in qua celebris Deiparæ Imago Græco opere depicta colitur, quam Conſtantinopoli deductam, Paulus Maurocenus Patritius Venetus huic Monaſterio munere obtulit, in cujus interiori Divi Nicolai Sacello diu ſtetit, donec anno MDV. die XV. Octobris ad hoc Oratorium magnifice erectum Patres Conventus deduci curarunt.

Ea, quæ de Imagine hac ex traditione feruntur, ex appoſita ibidem epigraphe exhibeo, cum meum non ſit, (quod toties profeſſus ſum) iis rebus, quæ authenticis non innituntur documentis, fidem addere vel demere.

„ MARIÆ CULTORI SCITUM

„ Hæc illa eſt effigies, cujus divinam opem Joan. Damaſce-
„ nus olim in Syria expertus eſt.

„ Quam e veſtibulo cernis Dominæ Chriſtum ferentis
„ Hiſtoriam ſic paucis habeto.

“ Leo Iſauricus impius Græcorum Imperator, belluinæ inſaniæ igne ſuccenſus ſacras Imagines undiq. comburebat. Cumque Joannem Damaſcenum, intimum Saracenorum Principis Conſiliarium divinarum Imaginum acerrimum propugnatorem haberet, illius Epiſtolis ſedulo conquiſitis, alteram cum ejusdem Scripturæ notis dolo finxit, in qua ſe ad Urbis Damaſcenæ invaſionem a Joanne ſollicitari ſimulabat. Subdolam hanc, quaſi optimus Imperator proditionem averſaretur, Saracenorum Principi ſecreto miſit, adeoque barbari hominis iram movit, ut ille nulla audita innocentis viri excuſatione, aut mora interpoſita, dexteram Joanni manum juſſerit amputari. Qua reciſa, & in foro per diem ſuſpenſa, cum demum Tiranni indignationem ſedatam Joannes conjiceret, ſupplex ab eo manum humandam rogat, impetratque. Ea tandem accepta, ante hanc Paciferæ Virginis effigiem provolutus, manum brachio admovens, ut Sanctiſſima Archiatra illam ſanitati redderet, non ſine lacrymis enixe precabatur. Sed ecce, ibi cum Joannes precabundus obdormuiſſet, Dei Genitricem lætis oculis ſe ipſum intuentem, ac valere jubentem in ſomnis conſpexit. Quibus vocibus experrectus dexteram undique innoxiam, ac priſtinæ compagini natura mirante reſtitutam videt. Quibus non occulte peractis, Saracenorum Dynaſtæ falſo nuntiatur, Joanni dexteram minime amputatam fuiſſe, ſed eos, quibus id fuerat imperatum, pecunia corruptos pœnam in ſervum tranſtuliſſe. Unde iterum Joannes accerſitur, & cum reſtitutam ſibi manum oſtendere juberetur, certo Dei Matris conſilio linæa quædam in ea elucebat, veriſſimam inibi exciſionem fuiſſe demonſtrans. Qua conjectura barbarus homo inſontem Joannem exiſtimans, publice etiam ferebatur, ſe præcipiti nimirum, inconſiderataq. ſententia tale ſupplicium in virum optimum intuliſſe. Summum certe per omnem ætatem judicibus viris, in ferenda ſententia documentum. Hæc igitur miraculo nobilis effigies Damaſco Conſtantinopolim advecta, Patribusque Dominicanæ Familiæ dono data Venetiis tandem in hoc non interruptæ Pacis Sacrario reponitur coliturque.

“ Hæc Julius Strozzius Poeta, Orator, &c. hujus B. V. præcipuus cultor pro ſua devotione ſcripſit, & in manus noſtras pervenerunt.

Ut vero Venerabilis Imago ea majori, qua ſas erat, veneratione coleretur, utque ipſius cultus in dies majora caperet incrementa, anno MDXLVI. die XVIII. Decembris erectum fuit in hoc Sacello Sodalitium, cujus cura præcipua eſt Deiparam Virginem ſingulari proſequi devotione.

Aliam quoque, annuentibus Priore cæteriſque Patribus Monaſterii, ad eamdem aram pii homines Congregationem inſtituerunt ſub titulo *Confraternitatis SS. Nominis Dei*, anno 1588. die IX. Septembris, eo potiſſimum intuitu, ut iis honoribus, quos Sancto, & terribili Nomini deferebant, eæ injuriæ aliquo modo rependerentur, quas impii blaſphematores in ipſum auſu temerario jactabant. Laudabile hoc conſilium ex Codice ipſius Sodalitii vulgo Matricula, ſatis his verbis declaratur.

Al Nome del eterno Dio Padre Figliolo e Spirito Santo.

“ Havendo la D. M. inſpirato a noi Battiſta de Donà Balla-
„ rin, e molti altri di levar una Confraternità ſotto il nome
„ del SS. Nome di Dio, nella Capella de S. Maria della Pace
„ de RR. Padri di SS. Gio: e Paolo, però vedendo quanto ogni
„ giorno vada aumentando la devotion de detta Confraternità,
„ & eccitati da quel teſoro del Plenario Giubileo conceſſo da
„ Paulo IV. Pio V. e Gregorio XIII. il primo giorno del
„ anno a tutti li Fratelli di detta Confraternità, ſiamo però
„ venuti in penſiero di levar detta Confraternità con inten-
„ zione de ſtirpar l'abominevole vizio della beſtemia, & li
„ ſpregiuri, perciò vi preghiamo &c.

Cum autem numerus Confratrum dictæ Confraternitatis benedicente Domino adeo creviſſet, ut jam prædictum Sacellum Sanctæ Mariæ de Pace illos omnes minime capere poſſet; dicti Confratres, ut piis operibus exercendis commodius vacarent, nec non & Vir Nobilis Jacobus Paſchalico, ad cujus præſertim inſtantiam dicta Confraternitas fuerat inſtituta, humiliter Sixto V. Romano Pontifici ſupplicarunt, ut eis ex *præfacta Capella Sanctæ Mariæ de Pace ad Capellam S. Ludovici, ſitam & conſtructam in Eccleſia* Sanctorum Joannis & Pauli tranſire, *Apoſtolica autboritate* liceret. Piis Virorum votis annuit libens Pontifex, datiſque ad Vicarium Patriarchæ Venetiarum

die

die xx. Octobris anno MDLXXXVII. Apoſtolicis literis ei mandavit, ut prædictam Confraternitatem *cum omnibus ejus bonis, Indulgentiis, & prerogativis* de loco ad locum *perpetuo* transferret atque *translatum eſſe declararet*. Extat Diploma in Bull. Ord. Tom. V. pag. 456.

Sacellum hoc pridem extrui juſſerat Aloyſius Storladus D. Marci Procurator, qui extremum diem obiit menſe Martio an. MCCCCLVIII. Hoc teſtantur epigraphes ad pedes ſimulacrorum quatuor Prophetas exhibentium in eodem Sacello poſitæ.

Ad pedes Joelis Prophetæ.

„ Hanc Procurator Storladus Condidit Ædem
„ Divo & Aloyſio Juſſit Adeſſe Sacram.

Ad pedes Danielis Prophetæ.

„ Deinde Gemellorum Patribus dedit ille colendam
„ Queis Marci ex ultra Publica cura Foret.

Ad pedes Zachariæ Prophetæ.

„ Parte ab utraque dein conceſſa eſt Nomini Jeſu
„ Creſceret ut cultus Gloria honorque Loci.

Ad pedes David Prophetæ.

„ Cepta fovete pii colite mirabile Nomen
„ Quo nil in Terris celſius eſſe poteſt.

In Sacello Pacis ad dexteram parietem ſublime viſitur Laurentii Gabrielis Epiſcopi Bergomatis Sarcophagum, cui inciſa eſt hæc epigraphe.

„ Heus Bergomas Tuum Laurentium Gabrielem repoſcis;
„ Excubans hic ſum ſat Clyſmum annis Tibi trigiata reddidi Pontificatum, nunc Virgini famulari pacifice cupio
„ Te rogo ne vexes MDXII.

Duo alia a ſiniſtro latere Eccleſiæ exſurgunt publica ſacella, quorum unum ad illud Sodalitium ſpectat, quod triplici

Di-

Divorum Vincentii Ferrerii, Petri Martyris, & Catharinæ Senenſis titulo decoratur, alterum vero Divæ Urſulæ Virgini ejusque comitatui ſacrum eſt a religioſa Confraternitate excultum, quam in Sanctarum Martyrum honorem pii viri erexerunt anno MCCC. die XV. Julii. Geſta, quæ a minus probatis Scriptoribus, Divæ huic, ejusque ſociis attributa fuerunt, quæque ex vulgari traditione paſſim recepta ſunt, in octo tabulis elegantiſſimo Victoris Carpatii penicillo ita ad vivum viſuntur expreſſa, ut merito prodigium artis nuncupari mereantur. Ipſius etiam eſt aræ tabula, quæ Virginem Urſulam ſociarum agminibus ſtipatam in gloria repræſentat.

Caput in eo Sacello aſſervari dicitur ejusdem S. Urſulæ, cujus tamen identitatem, cum monumenta deficiant, pro certo affirmare non auſim.

Ut vero auguſtum Templum & Divorum lipſanis, & ornatuum copia decoratur, ita & Cœnobium non magis ædificiorum magnificentia, quam memoria clareſcit Illuſtrium Virorum, qui tum ſanctitate, tum doctrina, & dignitatum fulgore conſpicui ex eo prodierunt.

Mentionem ſuperius ingeſſimus Beati Jacobi Salomonii, qui in hoc Cœnobio Prædicatorum inſtituto nomen dedit, paucaque de ipſo delibantes authores memoravimus, a quibus præclara ipſius geſta fuſe recenſentur. Viro huic Sancto addendi ſunt

Paulus Venetus, qui per duos annos Sancto Patri Dominico ſocius adhæſit, cujus virtutes, quas æmulari ſummo ſtudio curabat, in proceſſu ipſius apotheoſis teſtis juratus expoſuit.

Robertus Neapolitanus, quem Venetiis obiiſſe die 24. Februarii anno 1383. ibidemque miraculis tam in vita, quam poſt obitum claruiſſe referunt Biographi Antuerpienſes Tom. III. Februarii in prætermiſſis ad diem 24. ejusdem menſis.

Joannes Andreas Carga Forojulienſis hujus Cœnobii alumnus, Vicarius Generalis Conſtantinopolitanus a Paulo V. datus fuit Epiſcopus Eccleſiæ Syrenſi, anno MDCVI. quam cum ſancte per plures annos adminiſtraſſet, a Turcis ſuſpenſus mortem ſuſtinuit, anno 1617. die II. Octobris, cujus paſſio Venetis typis edita fuit anno 1626. ad calcem libelli cui titulus: *Relazione vera del martirio di dieci religioſi dell' Ordine dei Predicatori tradotta da Piero Foſcarini*. Proceſſus ejus marty-

rii

rii & prodigiorum; quibus ſervi ſui paſſionem Deus illuſtravit, ab Epiſcopo Andros Inſulæ confectus fuit, quem tamen an Romam delatus fuerit, ignoramus.

Nonnullos ex hoc Cœnobio ad Epiſcopales infulas aſſumptos viros ſuperius memoravimus Antonium Corrarium Cenetenſem, Thomam Thomaſinum Paruta Feltrenſem, & Bellunenſem, Petrum Juſtinianum Corcyrenſem, Thomam Stella Juſtinopolitanum, Ludovicum de Martinis Arienſem, Theodorum Dedum Curzolenſem, Raphaelem Ripam, & Michaelem a Verona Clugienſes, Joannem Santato Rhitymnacenſem Epiſcopos, quibus & hos addere oportet Gualterum, ſeu Walterum ex familia Agnus Dei Venetum, Tarviſii primum mox Caſtellanum Epiſcopum, quem cum Ughellus a Caſtellanorum ſerie expunſiſſet, eruditiſſimus ejus adnotator admiſit, ut videre eſt in Ital. Sac. Ven. Ædit. Tom. V. col. 1268. Jacet in hoc Templo tumulatus cum hac brevi epigraphe.

„ Sepultura Fratris Gualterii Epiſcopi Caſtellani Ordinis Prædicatorum.

Bartholomæus de Piſcialis Bononienſis Epiſcopus Torcellanus, de quo Ital. Sac. Tom. V. col. 1396. In hoc Templo ſepulcrum ejus extat his inciſus verbis:

„ Mcccxxxv. H. jacet R. Fr. Bartholomæus Ordinis Prædi-
„ catorum Epiſcopus Torcellanus.

Addantur quoque Gibertus Georgius Nobilis Venetus, electus Epiſcopus Parentinus anno 1367. die v. Julii. Obiit anno 1388.

Laurentius Venerius Nobilis Venetus a Joanne XXIII. die 15. Julii anni 1411. adlectus Epiſcopus Methonenſis.

Georgius Delphino Patritius Venetus, anno 1413. die 22. Novembris ad Archiepiſcopales Corcyrenſes infulas aſſumptus.

Ludovicus Longus Nobilis Venetus a Paulo II. renunciatus Epiſcopus Methonenſis, anno 1466. die 4. Novembris. Obiit 1475.

Dominicus Fregonius Venetus Archiepiſcopus Spalatenſis a Gregorio XIII. electus.

Hieronymus Vielmus Epiſcopus Æmonenſis, qui *immenſa eruditione* (ut ait Ughellus,) *atque multiplici ſcientia ſuo Ordini, ac Patriæ non vulgarem addidit claritatem de ejus vita, & ſcriptis ab altero Dominicanæ Familiæ alumno P. Seraphino* Ma-

Maria Maccarinello concinnatus ; atque in Bibliotheca Clariſs. Viri Comitis Joannis Mariæ Mazzuchelli aſſervatus, noviſſime Brixiæ editus in lucem fuit, aureoque ipſius Vielmi operi præpoſitus, quod de Divi Thomæ Aquinatis doctrina, & ſcriptis exaravit.

In hoc Templo ſepultum fuiſſe teſtatur ejus emortuale elogium :

„ Hic jacet Reverendiſs. Epiſcopus Æmoniæ Magiſter F. Hier.
„ Vielmius Ven. Ord. Præd. qui in omni ſcientiarum gene-
„ re excelluit. Obiit Anno Domini MDLXXXII. die VII. Mar.
ætat. ſuæ An. LXIII. F. C. Spera. V. F. C.

Joſeph Pizzini Venetus Epiſcopus Caprularum, electus anno 1644. Obiit Venetiis anno 1648. ut ex Necrologio Monaſterii, in quo hæc habentur : " 1648. adi 25. Maggio. L'
„ Illuſtriſs. e Reverendiſs. Monſign. Giuſeppe Pizzini Veſco-
„ vo di Caorle gia figlio del Convento, eſſendo Baccelliere,
„ fu creato Veſcovo da Papa Urbano VIII. l' anno 1644.
„ morì in età di anni 41. di febre maligna in giorni 12. „
Ideo corrigendus Ughellus in Epiſcopis Caprulenſibus, ubi eum electum fuiſſe anno 1645. obiiſſe vero aſſerit anno 1653.

Viſitur in hac Eccleſia ejus emortualis epigraphe, quæ eſt:
„ F. Joſeph Pizzini Epiſcopus Caprularum Venet. Ordin.
„ Præd. ætat. ſuæ XLI. anno MDCXLVIII.

Hoc loco laudandi accedunt Joannes Benedictus de Zuanellis Venetus, qui die 11. Maii anno 1669. in hoc Cœnobio Dominicanum amplexus eſt inſtitutum. Hic cum Bibliothecæ Caſanatenſis cuſtodiam, & adminiſtrationem per viginti duos annos diligenter egiſſet, ad Magiſterii Sacri Palatii Apoſtolici dignitatem a Benedicto XIII. ob egregias ejus dotes evectus fuit, quo in munere Romæ obiit die 1. Decembris anno 1738. ejuſque ſepulcro in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam inciſum fuit hoc elogium:

„ Fr. Jo. Benedicto Zuanelli Veneto Ord. Præd. Doctori
„ Theologo, qui quum multiplicem ſuam ſcientiam per va-
„ rios honoris gradus probaſſet, & Bibliothecam Caſanaten-
„ ſem per annos XXII. magna diligentia, multoque majore do-
„ ctrinæ fama adminiſtraſſet a Benedicto XIII. Pontifice O. M.
„ Sac. Pal. Apoſt. Magiſter renunciatus, difficilem illuſtrem-

„ que Provinciam, ea rerum peritia morumque ſuavitate tem-
„ peraverit; Ut cum ſeptuagenarius obiiſſet, viri probi, do-
„ cti, humaniſſimi, mors acciderit acerbiſſima; Fratres SS.
„ Joannis & Pauli Venetiarum, cujus familiæ Alumnus fuit,
„ doloris amoriſque argumentum curante F. Gioachimo Ma-
„ giſtro Puccio, Cleri in Urbe, Et coram Santiſſimo Do-
„ mino Epiſcoporum Examinatore, quem ille habuit in am-
„ pliſſimo munere ſocium perpetuum, chariſſimumque P. P.
„ Obiit Kal. Decembris MDCCXXXVIII.

Julius Maria Bianchi Venetus Prædicatorum Ordini adſcriptus fuit in hoc Monaſterio die VI. Junii anno 1641; in quo cum tyrocinium exegiſſet regularem, poſtea profeſſionem emiſit, Romæ Theologiam docuit, eumque Clemens IX. Sacræ Congreg. Indicis Conſultorem inſtituit, cujus Cong. poſtea a Secretis illum Innocentius XI. elegit. Juſtinopolitanas, Spalatenſes, atque Corcyrenſes infulas ultro ſibi oblatas conſtantiſſime recuſavit; tandem ætat. ſuæ anno LXXX. Romæ obiit die XXIX. Januarii anno MDCCVII.

Plurimos doctrina, & eruditione præſtantes viros, qui ex hoc Cœnobio prodierunt Patri Joanni de Auguſtinis Veneto S. Franciſci de Vinea Min. Obſerv. Bibliothecario eruditiſſimo, qui eam ſibi Provinciam delegit, illuſtrandos relinquo.

Præter ſuperius laudatos Jacobum & Laurentium Theupolos Duces, quorum emortuale dedimus elogium, quieſcunt in hac Eccleſia multi eadem olim dignitate inſigniti: Hi ſunt:

Raynerius Zeno Dux XLIV.
Joannes Dandulus Dux XLVIII.
Marinus Georgius Dux IL.
Marinus Faletro lacrymabilis memoriæ Dux LIV.
Joannes Delphinus Dux LVI.
Marcus Cornelio Dux LVIII.
Michael Maurocenus Dux LX.
Antonius Venerius Dux LXII.
Thomas Mocenico Dux LXIII.
Paſchalis Maripetro Dux LXV.
Petrus Mocenico Dux LXIX. magnificentiſſimo exceptus mauſoleo.
Joannes Mocenico Dux LXXI.

Leo-

Leonardus Lauredano Dux LXXIV.

Aloyſius Mocenico Dux LXXXIV.

Bertuccius Pater, & Silveſter Filius e Valeria Familia Duces CII. & CIX. Venetiarum, quorum memoriæ erectum viſitur auguſtum monumentum. Eorum ſepulcralis inſcriptio quo brevior, eo laudabilior hæc eſt:

Valeriorum Principum cineres.

Aloyſius Mocenico Dux CXII.

Plurimi etiam tum ex Venetis, tum ex externis Heroes, in hac Eccleſia emortuali quieti traditi ſunt, quos inter nominatim recenſendi Nicolaus Urſinus Pitiliani Princeps, & Leonardus Pratus ambo ob præclara merita equeſtri ſtatua ex S. C. donati; Dioniſius Naldus, cui Senatus ob egregiam virtutem marmoreum ſimulacrum erigi decrevit. Jacobus de Cavallis, de cujus laudibus conſule Petrum Juſtinianum in Veneta Hiſtoria. Hieronimus de Cavallis inſignis Claſſis Præfectus. Aloyſius Malombra egregius juriſconſultus; plurimique alii, tum militia, tum toga præſtantes viri.

Singulari tamen laude celebrandum ſeſe offert Marci Antonii Bragadeni nomen, cujus Mauſoleum inter Divi Vincentii Ferrerii, Divique Ludovici Bertrandi aras erectum, vas marmoreum exhibet, in quo inviƈtiſſimi Herois pellis continetur, ut ſignat inciſa lapidi epigraphe:

D. O. M.

„ Marci Antonii Bragàdeni, dum pro fide, & Patria bello
„ Cyprio Salaminæ contra Turcas conſtanter, fortiterque cu-
„ ram Principem ſuſtineret, longa obſidione victi, a perfida
„ hoſtis manu, ipſo vivo, ac intrepide ſufferente detracta
„ pellis anno ſalutis M.DLXXI XV. Kal. Sept. Antonii Fratris
„ opera, & impenſa Biſantio huc advecta, atque hic Marco,
„ Hermolao, Antonioque filiis pientiſſimis ad Summi Dei,
„ Patriæ, Paternique Nominis gloriam ſempiternam poſita. An-
„ no ſalutis MDXCVI. vixit annos XLVI.

Nec ommitti hoc loco debet, quamvis alibi quieſcat, laudatiſſimus Dux Bartholomæus Colleonius, cui ob egregiam fidem, & militarem virtutem, quibus enituit, æneum eque-

Mm 2 ſtre

ſtre ſimulacrum in conſpicuo Urbis loco ponendum S. C. decrevit.

Hanc illuſtris viri ſtatuam naturalis magnitudinis equo inſidentem ex ære conflavit Andreas de Verruchio Florentinus, ipſamque marmoreæ ſtylobatæ impoſitam in patenti area Divorum Joannis & Pauli elevari juſſit Senatus, in grati animi teſtimonium erga illuſtrem virum de Republica optime meritum: Stylobatæ ab uno latere incisa viſuntur hæc verba:

Bartholomæo Coleono Bergomenſi ob militare Imperium optime geſtum.

Ab altero vero.

Jo: Mauro, & Marino Venerio Curatoribus Ann. Sal. MCCCCXCV.

Ex incendiis fortuito exortis Monaſterium hoc non ſemel conflagravit, anno etenim MCCCCLXXXV. die ultima Maii nocte præcedente Feriam VI. Paraſceves, cum in proximo Divi Marci hoſpitio quidam Sodalitii cuſtos cereos aliquos incaute accenſos reliquiſſet, ex eis ſuborta flamma hoſpitium ipſum, & adhærentem Monaſterii partem conſumpſit.

Anno deinde MDLXXI. die XVIII. Julii nonnulli ex Germania milites, qui Senatu jubente in inferioribus Monaſterii cubiculis ſtationem habebant, cum multo vino gravati igne adhuc accenſo obdormiſſent, ſerpentes ad tectum flammæ incendium excitarunt, ex quo potior Dormitorii pars & refectorium cum Tyrocinii ædibus conflagrarunt, quo ex infortunio periit eximia a Titiano depicta Tabula, qua Refectorii proſpectus tegebatur.

Haud molto poſt anno ſcilicet MDIIIC. die v. Octobris ſolemnitate SS. Roſarii recurrente, ex cujusdam Fratris Laici negligentia ignis e clibani promptuario erumpens ædes infirmis deſtinatas, atque nonnulla adhærentia cubicula devoravit.

Poſtremo refectorium recens extructum, & adjacentes officinæ cum aliquot cellis, anno *1697.* die *28.* Martii flammis ignota cauſa ex olei promptuario erumpentibus conflagrarunt.

Extremam enarrationi hujuſce Cœnobii manum impoſueram, cum mihi refertiſſimum ſæpe laudati eruditiſſimi Viri Petri Gradonico de Confinio S. Juſtinæ Muſeum perluſtranti forte ſeſe obtulit antiquum ſigillum ferreum Studii in Conventu

tu SS. Joannis & Pauli, olim erecti; cujus privilegia anno MDXXVII. die XIV. Januarii conceſſit Franciſcus Silveſter Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter. Hoc autem ex regeſtis Archivi innoteſcit; Generalem Ordinis Magiſtro Studii (Regentem modo vocant) in Cœnobio SS. Joannis & Pauli mandaſſe, ut juvenes Religioſos diligenti præhabito examine ad formale ſtudium mittendos ſeligeret, ipſosque deinde in ſacris literis eruditos Lectores inſtitueret. Ut hæc Generalis Magiſtri decreta ſibi commiſſa exequeretur, hoc ſigillo fortaſſe utebatur Studii Regens, quo teſtimoniales Literas aliaque id generis documenta ſignabat. Enuntiati ſigilli exemplar inciſum exhibemus.



Jacobus

Jacobus Theupulus Dux ex laudatione populi Venetiarum Fratribus Ordinis Prædicatorum concedit petiam terræ aqua ſuperlabente in Confinio S. Mariæ Formoſæ , & S. Marinæ poſitam .

A 1234. Menſe Junio.

Ex Archivo Monaſterii SS. Joannis, & Pauli Venetiarum.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris N. J. C. 1234. Men. Junii Ind. VII. Rivoalti. Quicquid conceditur vel datur ſic debet Scripturæ titulo innodari , quod perpetuo clareat præſentibus & futuris. Igitur Nos Jacobus Theupulo Dei gratia Venetiarum , Dalmatiæ atque Croatiæ Dux cum noſtris judicibus & ſapientibus Noſtri Conſilii fidelibus Noſtris cum laudatione populi Venetiarum Venerabilium Fratrum Prædicatorum petitionem affectu benevolo proſequentes, eorumque moram in Civitate Venetiarum Nobis & toti populo perneceſſariam eſtimantes cum Succeſſoribus Noſtris in Dei & Chriſti Nomine damus & concedimus atque tranſactamus vobis Alberico Priori eorumdem Fratrum recipienti Vice , & nomine totius Ordinis & Succeſſoribus Veſtris cunctam, & ſuper totam unam, noſtram petiam terræ aqua ſuperlabente in Confinio S. Mariæ Formoſæ & S. Marinæ poſitam ; ſecundam quoque verſus S. Juſtinam in Oriente firmat uno latere in pallude ſcilicet ubi habet per totum, pro ut diſcurrit a calle communi verſus Murianum , debetis ſemper habere pro Rivo in latitudine pedes 50. & in longitudine verſus dictum Murianum paſſus cc. & alio ſuo latere verſus Occidentem firmat in pallude quæ diſcurrit in Rivo de Gurgo , ubi habet introitum & exitum juctorum & jaglatione cum alio quoque ſuo capite verſus meridiem firmat in calli communi , ubi habet introitum & exitum ab alio ſuo capite in Aquilone verſus Murianum firmat in pallude pro deſignata petia de terra habet in omni parte tam in longitudine quam in latitudine pedes cccc. ſicut in noſtra preſentia fecimus menſurari. Hanc itaque cunctam , & ſupertotam ſupraſcriptam & prædeſignatam petiam de terra cum omni longitudine, & latitudine ſua cum capitibus & lateribus ſuis cum callibus quoque & viis ſuis cum acceſſu & egreſſu ſuo per terram, & per aquam, ſive etiam cum omnibus ſuis habentiis , & pertinentiis , ac ſuis omnibus adjacentiis intus & foriſque tam ſubtus terram quam ſupra terram ibidem adeſſe noſcuntur, ſecundum quod ab anteceſſoribus noſtris & a nobis fuit poſſeſſa & retenta , & huc uſque amodo extitit dominata , vobis damus & concedimus , atque tranſactamus cum omni plenitudine poteſtatis eamdem vobis perpetuo defenſandam , ipſamque intromittendi , habendi, tenendi , dominandi, & in perpetuum poſſidendi, & quicquid exinde vobis perpetuo placuerit faciendi cum omnibus cartis novis, & veteribus & illarum vigore , & robore nemine vobis contradicente , unde vos exinde ſecuros reddimus in perpetuum pariter & quietos , quia nihil inde remanſit unde amplius inquiri aut compelli poſſitis per aliquem modum vel ingenium . Ut autem hæc noſtræ conceſſionis carta robur obtineat firmitatis, per manum petri de Bonviano Presb. & Not. Cancellarii noſtri juſſimus roborari, & ſigillo noſtro fecimus communiri. Ego Jacobus Theupolo Dei gratia Dux m. m. ſs. Ego Laurentius Pollani Camerarius m.m. ſs. Ego Romeus Quirino m. m. ſs. Ego Leonardus Mauroceno m.m. ſs. Ego Joannes Sta-

Stamario m.m. ſs. Ego Raynerius Zeno m.m. ſs. Ego Zilius Quirino m.m. ſs. Ego Petrus Viadro m.m. ſs. Ego Petrus de Bonviano Presb. & Not. Ducaliſque Aulæ Cancell. compl. & roboravi.

Proviſores Canalium decernunt, ne quis juribus Monaſterii SS. Joannis & Pauli præjudicium in rivo inferre audeat.

B 1278. 7. Julii.

Ex Archivo SS. Joannis & Pauli Venetiarum.

IN nomine Dei Æterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo. Menſe Julii die Septimo intrante Indictione Sexta Rivoalti. Cum aliquid publice ſtatuitur, & ordinatur, & ut perpetuo perſeveret firmiter promulgatur neceſſarium fore creditur ad memoriam futurorum, quod ſcripti munimine debeat roborari. Quapropter Ego Auguſtinus Baraſtro Presbyter Eccleſiæ S. Pantaleonis & Not. de mandato DD. Stephani Mazamani, & Petri de Obizo, atque Mathæi Contareno Judicum, & Proviſorum ſuper Officio Canalium & rivorum, infraſcripta ordinamenta, quæ tam per D. Ducem ſuumque Conſilium, quam per eoſdem Judices, & Proviſores ſunt edita, ſcripſi & in hanc publicam formam redegi; quorum ordinamenta ſeries talis eſt. In nomine Dei Æterni Amen Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo menſis Junii die tertiodecimo exeunte Indictione quinta exiſtentibus D. Duce & Conſiliariis intra quadraginta, capta fuit pars & ordinatum, quod per ante domos, quæ ſunt ab alio latere rivi qui eſt ante Domum Fratrum Prædicatorum debeat poni unam cordam, ſeu treſolam ad angulum domus Nicolai de Vivarolo, & protendatur uſque ad angulum domus illorum da cà de Baſmo, & tantam quantam truzola venerit foras, tanto per illos quorum ſunt, & erunt domus ſive poſſeſſiones poſſit palli affigi, & alia laboreria fieri, & non ultra. Et hoc fieri poſſit ſalva in omnibus ratione Communis Noſtri, ad cujus factum memoriam præſentes literas bullatas noſtra plumbea juſſimus ſigillari. Item Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo Menſis Julii ſtridatum fuit per ...... ex parte Dominorum, qui ſunt ſuper officiis Canalium, quod illi qui ſunt per medium Fratrum Prædicatorum cum ſuis domibus, Videlicet a cantone da Domo Baſmo, debeant ſe tirare retro, & venire retro tramite uſque ad Cantonem Nicolai de Vivaroto uſque per totum menſem Junii ſub pœna librarum Decem. Item milleſimo ducenteſimo octavo Menſe Junii die quarto ..... ſtridatum fuit per Nobiles Viros Dominos Stephanum Mazamanum, & Matheum Contareno, & Petrum de Obizo Judices & Proviſores ſuper Officium Canalium, & rivorum, quod nullus homo debeat ſegare, nec facere ſegari in terra neque tenere, facere teneri lignamina in aqua, Videlicet da domo Nicolai de Vivaroto ab una parte & ab alia, ſub pœna librarum decem uſque ad dies octo. Item die ſeptima intrantis Menſis Julii dictum ordinamentum confirmatum fuit per D. Ducem, & ſuum Conſilium.

Ego Stephanus Maciamanus Judex m.m. ſs.
Ego Petrus de Obizo m.m. ſs.
Ego Antonius Baraſtro Presb. S. Pantaleonis & Not. complevi, & roboravi.

Pro

Pro controveſiis dirimendis inter Commune Venetiarum, & Commune Tarviſii eliguntur quinque Judices Arbitri, quorum quintus eligitur a Prioribus Prædicatorum de Venetiis & de Tarviſio.

C 1281. 6. Agoſto.

Ex Archivo Tarviſino.

COmmune Tarviſii, & Commune Venetiarum ſuper pluribus differentiis & controverſiis ſe compromiſerunt in Dominum Joannem de Odonibus de Cremona electum in quintum Arbitrum per Priores Conventuum Fratrum Prædicatorum de Venetiis, & de Tarviſio, & in Dominum Marinum Contarenum, & Joannem Cornarium arbitros electos per Dominum Ducem & Commune Venetiarum, & in Dominum Sivibaldum de Aidardis, & Franciſcum de Caſerio arbitros electos per Dominum Poteſtatem (1) & Commune Tarviſii, & præſertim ſuper eo, quod Poteſtas & Commune Tarviſii pretendebat jus habere in aquis, terris, paludibus, canallis, & juriſdictione earum, quæ ſunt verſus Palatam Communis Tarv. in Doza, & Siglonzello usque ad S. Cataldum incluſive, & a Turre de Caſtanzago verſus Tarviſium, uſque ad aquam ſalſam, quibus locis cum occaſione guerræ Eccelini de Romano per totam Marchiam, & præſertim in diſtrictum Tarviſii uti, & frui non poſſet, Commune Venetiarum uſurpavit, & palatam fecit ad S. Julianum, ubi conſueverunt ſtare Cuſtodes pro Tarviſio, & cuſtodes pro Venetiis ſtabant ad S. Secundum. Nec aliquis audebat piſcari in dictis locis, aut canellas, vel alia auferre ſine licentia Communis, aut Dominorum de Collalto Comitum, & etiam de Guidottis & etiam Domini Epiſcopi Tarviſini habentium ibi juriſdictionem, prout dicunt teſtes ſuperinde examinati.

(1) Anno 1281. erat Poteſtas Tarviſii Albertinus Maurocenus, cui anno inſequenti ſucceſſit Thomas Quirino ambo ex Venetis Patritiis; Ita Bonifacius Hiſtor. Tarviſ. lib. VI.

Petrus Coronenſis Epiſcopus Legatus Apoſtolicus Lectorem Prædicatorum in Conventu Veneto & Coſmam de Caſtroroſæ Ordinis Minorum Vicarios ſuos in Urbe Veneta conſtituit.

D 1361. 28. Septembris.

Ex Autographo in Archivo SS. Joannis & Pauli.

FRater Petrus, Dei gratia Epiſcopus Coronenſis, Apoſtolicæ Sedis in Venetiis, & janua usque ad locum vulgariter nuncupatum *la Tana* incluſive Legatus. Religioſis atque diſcretis Fratri ... Lectori Prædicatorum in Conventu Veneto, qui nunc eſt, vel pro tempore erit, & Fratri Coſmæ de Caſtro Roſæ Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Terræ Sanctæ Cappellano noſtro dilecto, Vicariis noſtris in Venetiis Salutem in Domino, & mandatis noſtris imo verius Apoſtolicis firmiter obedire. Litteras Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Innocentii divina, Providentia Papæ VI. non vitia-

tiatas, non cancellatas, nec in aliqua parte earum ſuſpectas, ſed prorſus omni vitio, & ſuſpitione carentes, vera bulla plumbea bullatas, cum cordula canapis more Romanæ Curiæ, per me Marcum Marcello notarium infraſcripſum viſas, & exemplatas, atque in præſentibus inſertas, noveritis Nos recepiſſe. Quarum tenor per omnia talis eſt. Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Petro &c. Cum Te ad Conſtantinopolitanam &c. pro ut in Conſtitutione ſupra relata. Datum Avenioni v. Idus Maii. Pontificatus noſtri Anno Septimo. Et poſtea immediate ſubſequitur. Quapropter de veſtrum circumſpectione, & ſufficientia confiſi, attendentes quod in his, quæ vobis, & cuilibet veſtrum comittimus, eritis providi pariter, & ſolliciti, Vos, & quemlibet Veſtrum Vicarios noſtros in Venetiis conſtituimus, Facimus, atque ordinamus. Dantes vobis, & cuilibet veſtrum plenam, & liberam poteſtatem Verbum Crucis proponendi, & Venerabile ſignum ejuſdem prædicandi contra Infideles, Turchos, & omnium Crucem ſummere volentium humeris imponendi, cunctoſque euntes perſonaliter ad Smyrnas, vel auxilium de facultatibus ſuis præbentes, ſeu mittentes ad eorum expenſas ſecundum formam literarum Apoſtolicarum, quarum copiam tradi fecimus alias dicto Fratri Coſmæ, quando miſimus ipſum ad prædicandam Crucem in Neapoli, & in Regno Apuleæ, quas Literas confirmamus tenore præſentium; ab omnibus peccatis in quibuscunque caſibus a pœna & a culpa abſolvendi. Quadraginta dies Indulgentiæ, cum prædicaveritis Crucem, omnibus ibidem exiſtentibus auctoritate noſtra concedendi, & omnia, & ſingula tractandi, procurandi, & exercendi, quæ circa ſubſidium, & utilitatem Smyrnarum, ac officii Legationis noſtræ honorem, & damnum Infidelium, Turchorum, Vobis, & cuilibet veſtrum melius videbitur. Cum licentia, Conſilio, atque auxilio Sereniſſimi Principis, & Illuſtriſſimi Domini Domini Ducis Venetorum, cujus altitudini Vos, & quemlibet veſtrum intime recommendamus. Mandantes vobis, & cuilibet veſtrum in virtute Sanctæ Obedientiæ, quod omnem pecuniam, & quæcumque ſubſidia, quæ poteritis procurare, & recuperare prò Servitio Smyrnarum, deponatis in manibus duorum proborum virorum, quos dictus Dominus Dux Venetiarum duxerit eligendos, & nobis in Candiam mittantur, quia intendimus, Deo dante, tempore futuro facere armatam contra fidei æmulos. Inhibentes omnibus, & ſingulis cujuscumque gradus, conditionis, vel ſtatus exiſtant, veſtri Ordinis Superioribus, & omnibus aliis Eccleſiaſticis, & Sæcularibus perſonis, etiamſi Pontificali præfulgeant dignitate, ſub pœna excomunicationis, & in virtute Sanctæ obedientiæ, ne Vos, aut aliquem veſtrum in proſecutione hujuſmodi negotii impediant aliqualiter, vel moleſtent, per quam effectus præſentium impediri valeat quomodolibet, vel differri. Quod ſi fecerint in contrarium, quod non credimus, in moleſtantes, & impedientes, canonica monitione præmiſſa, excomunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis. In quorum teſtimonium has præſentes fieri juſſimus, & noſtri Pontificalis Sigilli fecimus appenſione muniri. Datum Nicoſiæ Inſulæ Cypri Anno Domini MCCCLXI. Indictione quintadecima die XXVIII. Menſis Septembris &c.

In Chriſti nomine Amen. Anno ejuſdem Nativitatis Milleſimo trecenteſimo Sexageſimo ſecundo, Indictione Quintadecima, die Sabbati vigeſimo Auguſti Venetiis, in loco & Conventu SS. Johannis & Pauli de Venetiis Ordinis Prædicatorum in Capitulo Secundi Clauſtri ipſius loci, & Conventus præſentibus providis viris Johanne Dotonedico q. Domini Victoris, Leone q. ſ. Jacobi habitatore Venetiarum in Contracta S. Canciani, Notariis teſtibus rogatis, & aliis, hæc exempla ſupraſcripta per me Manfredum Magiſtri Drachini Notarii infraſcripti ex publicis privilegiis bullatis bulla vera ſupradicti Domini

Fratris Petri Miſeratione divina Epiſcopi Coronenſis, Apoſtolicæ Sedis Legati in partibus Romaniæ, extractis ex authenticis, & originalibus privilegiis papalibus Reverendo in Chriſto, & Domino Domino Fratri Agnellino Ordinis Prædicatorum Dei gratia Epiſcopo Sudenſi (1) inſinuata fuerunt, & coram ipſo Domino Epiſcopo una cum infraſcriptis Johanne, & Leone Notariis diligenter, & fideliter cum ipſis publicis privilegiis aſcultata; & cum ipſe Dominus Epiſcopus cognoverit, illa exempla cum ipſis publicis privilegiis de verbo ad verbum in omnibus concordare, ut eiſdem exemplis adhiberetur ..... plena fides, ſuam, & dicti ſui Epiſcopatus Sudenſis autoritatem interpoſuit, & decretum, & ad majorem omnium firmitatem juſſit ſui ſigilli appenſione muniri, mandans dictis teſtibus, & notariis infraſcriptis, quod ad eorumdem exemplorum plenam fidem, & teſtimonium, cum eorum ſignis ſolitis ſe ſubſcribant, qui ibidem ſe ſubſcribere ſpoponderunt.

Ego Johannes filius q. Domini Victoris &c. in præſentia dicti Domini Fratris Agnellini Epiſcopi ſupraſcripti &c.

Ego Leo q. ſ. Jacobi &c. in præſentia dicti Domini Fratris Agnellini Epiſcopi ſupradicti &c.

Ego Manfredus Magiſtri Drachini notarii, publicus Imperiali auctoritate notarius, Civis Tarviſinus &c. in præſentia dicti Domini Fratris Agnellini Epiſcopi Sudenſis &c.

(1) Agnellino Epiſcopo Sudenſi, in Inſula Cretæ: La Suda, ſic in Indice Geographico præfixo Collectioni Conciliorum Labbe &c. edit. Venet. col. 1104. Refertur enim, quemdam Antonium ſediſſe Epiſcopum Sudenſem in Synodo Baſileenſi Ann. 1438. (Tom. 28. ejuſdem Collectionis col. 853.) & Ferrarienſi (Ibid. col. 906.)

Ferrarius in ſuo Lexico Geographico habet: Amphimalia. *Suda* teſte Soph. O, Cretæ in Ora Boreali verſus Occid. Ubi ſin. Amphimalis vulgo *Golfo di Suda*. Inter Rithymnam urbem ad ort. & Drepanum Prom. ad Occ. loca proxima O. vero nunc *S. Nicola* pag. Soph. Amphimalus apud Ptol. dicitur Sinus; qui etiam vulgo *Golfo di S. Nicola* nominatur. Lequien in Oriente Chriſtiano tom. 3. col. 1379. habet: Ecclesia Sudenſis. De Eccleſia Sudenſi, ſive Sunenſi nihil aliud mihi occurrit, niſi hanc fuiſſe Soltanienſis aliquando ſuffraganeam, eique præfuiſſe nonnullos ritus Latini Epiſcopos. Et numerat quatuor Epiſcopos Sudenſes.

Conſilium Majus Venetiarum concedit Fratribus SS. Joannis, & Pauli, aliiſque vicinis, ut terra obruere poſſint partem de rivo, & facere fundamenta lapidea.

E 1431. 14. Octobris.

Ex Archivo Monaſterii SS. Jo: & Pauli.

1431. die 14. Octobris In Majori Conſilio.

AD humilem, & devotam ſupplicationem Virorum Nobilium ſ. Joan. & ſ. Andreæ Leono q. ſ. Nicolai civium noſtrorum cupientium, cum ſuis proprietatibus, in quibus habitant in contrata S. Mariæ Novæ, quarum pars a par-

a parte poſteriori reſpicit verſus rivum, ſeu canalem SS. Joannis & Pauli; & ab uno latere ſunt contiguæ, cum domibus Nobilis Viri ſ. Thomæ Michael; quæ domus per multos paſſus ſe extendunt ultra, quam ſe extendant proprietates, ſive partes ipſorum Fratrum in ipſo rivo in tantum, quod facta eſt quædam atterratio .... in ipſum rivum, cum ſuis muris, ab illa parte atterationis, & equatum cum muro proprietatis tinctoriæ Viri Nobilis ſ. Marci Zeno. Auditoque Conſi io, ac reſponſione Virorum Nobilium Officialium Noſtrorum publicorum, qui ad oculum viderunt, & examinaverunt locum predictum. Fiat & concedatur, quod predicti Fratres ſupplicantes & omnes alii habentes poſſeſſiones, ab illa parte rivi SS. Jo: & Pauli poſſint atterrare poſt domos ſuas usque ad paludem. Et debeant facere fundamenta lapidea, cum conditione, quod Officiales Noſtri Publicorum vadant & deſignent per lineam, ſicut eis bene videbitur, quantum quisque poſt domos ſuas debeat atterrare.

Senatus Venetus decernit, ut Codices donati Reipublicæ a Cardinali Nicæno aſſignentur Bibliothecæ conſtruendæ in Monaſterio SS. Joannis & Pauli.

F 1494. II. Junii.

Ex Archivo Monaſterii SS. Joannis & Pauli.

1494. 11. Junii in Rogatis.

Exacti jam ſunt plures anni, ex quo Reverendiſs. q. Cardinalis Nicenus amiciſſimus ſtatus noſtri donavit Dominio noſtro ingentem quantitatem librorum in ſumma excellentia, & dignitate, tam in lingua greca, quam in latina. Qui libri incluſis capſis tenentur per procuratores noſtros, ſituque atque rubigine devaſtantur non ſine aliqua gravedine dominii noſtri, cum futuri ſint pulchrius, dignius, ac honorabilius ſpectaculum, quod videri poſſit in hac urbe noſtra. Et cum alias Rever. Magiſter Joachinus Generalis Ordinis Prædicatorum adiens præſentiam noſtram ſe obtulerit in Monaſterio SS. Joannis & Pauli loco celeberrimo conſtrui facere pulchram Bibliothecam, ubi cum dignitate conſervari poterunt dicti libri, ſub nomine Bibliothece S. Marci, offerens etiam in ea ponere ingentem quantitatem librorum, quos ingenti ſtudio & impenſis, jam longo tempore in diverſis orbis partibus recuperavit, recuperaturusque pronus ſit, ſemoto quocumque reſpectu impenſe, que ſibi ſequi poſſet. Vadit pars.

Quod conſtruente predicto Magiſtro Generale Bibliothecam ſupraſcriptam ſub nomine & vocabulo S. Marci, ut ſe obtulit dari ſibi debeant per inventarium, pro ut deſcripti reperiuntur in camera noſtra libri predicti ibidem tenendi, & diligentiſſime conſervandi per deputandos, ab ipſo Generale diſtincti & ſeparati, ab aliis libris, qui ibidem deponerentur & ſemper ſint ad requiſitionem Dominii noſtri, nec poſſint ullo pacto, vel ullo tempore aliquis librorum ipſorum alicui mutuari vel concedi, absque licentia trium quartorum hujus conſilii, ſed diligentiſſime conſervari debeant & omnibus ſemper liber pateat aditus illos videndi, & ſuper ipſis ſtudendi absque ulla contradictione, ut fuit voluntas dicti Reveren-

verendiſs. teſtatoris, pro ut requirit honor ſtatus noſtri pro univerſali commoditate, & beneficio ſtudentium.

Et teneantur Procuratores noſtri de tempore in tempus fieri facere reviſionem ipſorum librorum, ita ut aliquis eorum non deficiat. Preterea quia fuerunt diverſimode mutuati ex dictis libris diverſis perſonis teneantur prædicti, vel eorum heredes illos immediate reſtituere, ſub pena Ducatorum quingentorum pro quolibet libro, exigenda per advocatores communis, abſque ullo conſilio, de qua quidem pœna ducati ducenti dentur accuſatori, & teneatur Secretus.

Scabella autem & armarii, qui ſunt in palatio noſtro conſignentur Bibliothece predicte, ad uſum & conſervationem librorum predictorum.

Franciſcus Muſſolinus Civis Venetus Comes Palatinus ex Auctoritate olim a Sigiſmundo Imperatore Familiæ ſuæ conceſſa inſtituit publicum Imperiali auctoritate Notarium (1) *Fr. Petrum de Lauretis Ordinis S. Dominici.*

G 1559. 8. Martii.

Ex autographo in Archivo Monaſterii SS. Joannis & Pauli.

IN Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem Milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo nono, Inditione ſecunda, die vero octavo menſis Martii. Univerſis & ſingulis hoc præſens publicum privilegium inſpecturis, viſuris, pariterque legi audituris, pacem, gaudium, ſalutem, & omne bonum. Rever. D. Frater Petrus de Lauretis Monaſterii, & Conventus SS. Joannis & Pauli Ordinis S. Dominici Conventualium conſtitutus, & exiſtens in præſentia, audientia, & intelligentia Magnifici Domini Franciſci Muſſolini Civis Veneti q. Egregii D. Joannis Comitis palatini Imperiali auctoritate, cupiens ad artem Tabellionatus, & Officium Notariæ promoveri, cum debita inſtantia humiliter ſupplicavit eidem Magnifico D. Franciſco Muſſolino, quatenus ipſum Rev. Fratrem Petrum de Lauretis ad dictam artem, & Officium Notariæ promovere, & ipſum facere, creare Notarium publicum, & Judicem ordinarium Imperiali auctoritate, qua fungitur, inveſtire dignaretur. Qui Magnificus D. Franciſcus Muſſolinus Comes palatinus, ut ſupra motus humilibus, & juſtis ſupplicationibus dicti Rever. Fr. Petri, cognito præcipue, quod ipſe Fr. Petrus habilis ſit (& deo Duce) quotidie ad hujusmodi officium Tabellionatus, & ejus practicam, & exercitium habilior erit. Iccirco auctoritate q. Sp. D. Joannis Muſſolini Veneti nati q. Egregii artium, & Medicinæ Doctoris Magnifici Andreæ, hæredibusque Maſculini Sexus, & legitime deſcendentibus ſuis in perpetuum conceſſa, & attributa a q. Illuſtriſs. Sigiſmundo Imperatore ſemper Auguſto divina favente Clementia, ac Ungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rege &c. ſicuti, & prout patet pri-

(1) Plures ex Ord. Prædic. Notarios Imperiali auctoritate creatos invenimus in antiquis documentis quos inter Fr. Polidamas filius Zamboni de Andro Sacri Palatii Not. anno 1349. *Præſentibus Fr. Faliono Priore & Fr. Johanne Lectore SS. Johannis & Pauli de Venetiis*, tranſumpſit Diploma Innocentii IV. datum Abbatiſſæ Monaſterii de Celeſtibus.

privilegio publice dato Baſileæ Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo, trigeſimo quarto, die vigeſimo primo menſis Aprilis Manu D. Gaſparis Eligh militis Cancellarii Referendarii Germani cheche bulla crocea cerea ad cordulam ſerici coloris albi, & nigri impendenti communito, omnibus & ſingulis ab infraſcripto Notario viſis, & diligenter lectis; Ipſum Rever. Fratrem Petrum de Lauretis, ibidem præſentem, & acceptantem, præſtito prius per eum in manibus ipſius Magnifici Comitis debitæ fidelitatis, & omagii juramento, juxta vim, formam, & continentiam in prædicto privilegio contentam, videlicet quod re, vel verbo nunquam erit contra ipſum Magnificum Dominum Franciſcum Muſſolinum Comitem, nec domum ſuam, & Sacratiſſimum Imperatorem, ſucceſſoreſque ſuos legitime intrantes; publicum & authenticum Notarium, & Tabellionem, ac Judicem ordinarium fecit, creavit, & conſtituit, prout facit, & creat, ipſumque de arte, & officio Notariatus per pennam & calamarium, quem ejus tenebat manibus authoritate, de qua ſupra, præſentialiter, & ſolemniter inveſtivit, dans & concedens, & dedit ac conceſſit, & dat & concedit eidem Fratri Petro præſenti, ſtipulanti, & acceptanti plenam licentiam, & authoritatem per omnes Civitates, Terras, Oppida, Caſtra, Villas, & alia loca, quæ Sacrum profiterentur Imperium, & ubique locorum artem, vel officium Notariæ exercendi, & faciendi, conſcribendi, publicandi contractus, inſtrumenta, juditia, teſtamenta, & ultimas voluntates, omniaque alia ſingula palam, & publice faciendi, & exercendi, quæ ad officium publici & authentici Notarii & Tabellionis ſpectare, & pertinere dignoſcuntur, & quod recurratur ad eundem Fr. Petrum tamquam ad Notarium, & Tabellionem publicum, & perſonam authenticam, & Judicem Ordinarium: De cœtero quoque inſtrumentis per eum conficiendis ſtetur firmiter, & credatur. In quorum omnium præmiſſorum fidem & teſtimonium has præſentes præfatus Magnificus D. Franciſcus Muſſolinus comes Palatinus hocque præſens privilegium fieri juſſit, ſuique ſoliti Sigilli appenſione communiri, & per me Notarium, & Cancellarium ſuum infraſcriptum ſubſcribi mandavit.

Datum, & Actum Venetiis in officio cameræ impreſtitorum præſentibus, & ita intelligentibus Domino Hippolyto Marcheſino Venetiarum Notario, & Domino Joanne de Ripa &c.

Ego Joannes Maria Celega q. Domini Dominici Civis Venetus publicus Apoſtolica, Imperiali, ac Veneta authoritatibus Notarius & Judex Ordinarius &c.

Prior & Conventus SS. Joannis & Pauli concedunt Sacellum S. Dominici Confraternitati SS. Roſarii propter augmentum ipſius ſacræ devotionis.

H 1582. 18. Junii.

Ex Archivo SS. Joannis & Pauli.

IN Chriſti Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo Indictione decima, die vero Lunæ decima octava Menſis Junii. Quoniam Capella Sancti Dominici, quæ in Eccleſia Monaſterii & Conventus SS. Jo: & Pauli hujus almæ Civitatis Venetiarum reperi-

peritur ſubter horologium ipſius Eccleſiæ, ubi Sancta, & religioſa devotio, & Confraternitas SS. Roſarii B. V. M. erecta exiſtit, valde ornamentis indiget, propter augmentum ipſius ſacræ devotionis, & commodum confratrum & Sororum illius conveniendi inſimul ad ſumendum Sacratiſſimæ Euchariſtiæ refectionem. Ideo ab hoc Chriſtiano, & devoto zelu magnopere Magnificus D. Antonius Maria Fontana modernus Guardianus ipſius Venerandæ Confraternitatis SS. Roſarii & ejus Confratres, moti; Supplicem libellum porrexerunt Rev. Magiſtro Angelo Andronici moderno Priori Monaſterii SS. Jo: & Pauli prædicti, ut cum Rev. Patribus Conſilii, & ſubinde cum toto capitulo operam daret, quod poſſent eandem capellam S. Dominici accommodari, & ornari facere ex prenarratis cauſis. Qui ſupplex libellus, cum per jam dictum Rev. Magiſtrum Priorem inter Rev. Patres Conſilii, & univerſum Capitulum ſuum propoſitus & examinatus fuiſſet, & quare illum optime perſpexerint, ob amorem, charitatem, Deique reverentiam, ac devotionis zelum oriri, & ad hoc ut magis hujuſmodi devotio augmentum apprehendat, unanimiter Conſilium & Capitulum decreverint, ſupplicationem ejuſcemodi devotæ ſacræque Confraternitatis acceptare, eique licentiam & auctoritatem impartiri modis, & formis inferius deſcriptis & annotatis. Inde ergo convocato & ſolemniter congregato Ven. Capitulo Reverendorum Dominorum Prioris & Patrum Monaſterii, & Conventus SS. Joannis & Pauli Venetiarum Ordinis Prædicatorum S. Dominici in Sacriſtia ipſius Monaſterii Eccleſiæ loco ſolito congregari ad ſonum Campanulæ, ut eſt moris pro infraſcriptis ſpecialiter peragendis, mandato & commiſſione infraſcripti Rev. D. Prioris, in quo quidem Capitulo interfuerunt omnes infraſcripti. Videlicet, & primo Rev. P. Magiſter Angelus Andronici Prior, Magiſter Benedictus de Utino Regens, Magiſter Bonifacius de Venetiis; Fr. Aloyſius Supperior, Fr. Sanctus de Leniaco Baccalaureus, Fr. Clemens de Venetiis, Fr. Angelus de Venetiis, Fr. Petrus de Venetiis, Fr. Jacobus de Venetiis, Fr. Seraphinus de Venetiis; Fr. Chriſtophorus de Leniaco, Fr. Cosmas de Venetiis Fr. Joſeph de Venetiis Prior SS. Roſarii, Fr. Claudius de Venetiis, Fr. Ludovicus de Venetiis, Fr. Leonardus de Venetiis, Fr. Stephanus de Calabria, Fr. Jacobus de Ananis, Fr. Sigiſmundus de Venetiis, Fr. Sixtus de Venetiis Lector, Fr. Marcus Antonius de Venetiis, Lector Fr. Vincentius de Venetiis, Fr. Jo: Vincentius de Venetiis, Sindicus, Fr. Marcus de Venetiis, Fr. Marianus de Venetiis, Fr. Bartholomæus de Venetiis, Fr. Jo: Baptiſta de Venetiis, Fr. Jo: Antonius de Venetiis, Fr. Eliſeus de Venetiis, Fr. Benedictus de Venetiis, Fr. Thomas de Rhodigio, Fr. Albertus de Leniaco, Fr. Cornelius de Venetiis, Fr. Deſiderius de Venetiis, Fr. Alexander de Venetiis, Fr. Mathæus de Venetiis, Fr. Auguſtinus de Venetiis, Fr. Hieronymus de Juſtinopoli, Fr. Erveus de Venetiis, Fr. Michael de Venetiis, F. Gabriel de Venetiis, Fr. Antonius de Venetiis, Fr. Albertus de Venetiis, & Fr. Laurentius de Tarviſio omnes prædicti profeſſi dicti Monaſterii habentes vocem in dicto capitulo, & illius majorem partem, & ſaniorem repræſentantes, unanimes & concordes, agentes nomine, & vice ipſius Monaſterii & per ſe & ſuos ſucceſſores, pium, & honeſtum deſiderium ſupradicti Magnifici D. Guardiani, & Confratrum ſupradictæ Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii Immaculatæ Virginis Mariæ in Domino confoventes eidem Magnifico D. Antonio Maria Fontana Guardiano & Confratribus ſuis, ac pro tempora exiſtentibus ſucceſſoribus ſuis in perpetuum exiſtentibus eodem Magnifico D. Antonio Maria Guardiano, & D. Remedio Sala nunc ex duodecim ipſius Confraternitatis, ac uno ex deputatis ſuper fabrica, & nomine ſuo, & totius eorum Confraternitatis acceptantibus; licentiam, facultatem, auctoritatem, & bailiam conceſſerunt, & libere concedunt,

dent, ut capellam ſupranominatam S. Dominici accomodari, & ornari dicta Ven. Confraternitas propriis impenſis facere queat in hunc modum, & cum declarationibus & capitulis inferius: Videlicet

I. Quod Murus dividens chorum ipſius Capellæ a corpore ejus, & eſt in medium capellæ, elevetur & elevari debeat, ita ut Capella reſtet cum uno ſolo corpore amplo, absque aliquo impedimento.

II. Quod in Altari Majori Capellæ in Palla, ſeu quadro ipſius altaris per ipſam Confraternitatem ſit poſita in loco eminenti illamet imago Sacratiſſimæ Virginis Mariæ noſtræ advocatæ, & parte dextera S. Dominici, & ſiniſtra S. Juſtinæ Virginis & Martyris imagines, ſtantes in pedibus ibidem apponi debeant.

III. Quod conſtrui teneantur duo altaria, alterius a dextris, & alterum a ſiniſtris lateribus ipſius capellæ in quorum altero .... B. V. M. a ſiniſtra parte apponatur arma Sanatona ex cujus Familia Monaſterium hujusmodi beneficiatum extitit, atque ipſum Altare dotavit.

IV. Quod Confraternitas ſupradicta valeat, & poſſit propriis impenſis dictam Capellam S. Dominici adornari facere omnibus ſuis in partibus eis melioribus, & pulcrioribus adornamentis, quæ Confraternitati ipſi melius viſa fuerint, & fieri facere poſſint quovis balchones, ſive feneſtras, prout ei videbitur, & hac de præſenti & quamprimum.

V. Quod per ornamenta, ut ſupra, conficienda in Capella ſupraſcripta denominatio, & titulus Beati Dominici quoquomodo non elevetur, minusque elevari poſſint Epitaphia, & inſignia q. Clar. D. Nicolai Leoni benefactoris Monaſterii, & ad cujus inſtantiam antiquitus capella hujusmodi conſtructa fuit, & inſtrumentum compoſitionis dictæ Capellæ reperitur (ut fertur) apud Clariſs. Procuratiam de ſupra, & eumdem Monaſterium, ut affirmaverunt dicti Rever. Patres, ſed Capella hujuſcemodi modo quo ſupra reſtet & permaneat ſub nomine, & invocatione S. Dominici, in qua eſt fundata devotio Sanctiſſimi Roſarii, ut præmiſſum eſt.

VI. Quod ne aliquo tempore aliquod jurgium, aut controverſia oriri poſſit inter Monaſterium & Confraternitatem declaratur, quod præſens licentia & facultas, ut ſupra conceſſa eſt gratis, & ex preallegatis cauſis, quæ perpetuo perdurare debeat, nec aliqualiter per Monaſterium revocari poſſit, quando plene & inviolabiliter obſerventur, quæ ſupra deſcripta ſunt per eamdem Confraternitatem, cum pacto quod propterea non intelligatur factum aliquod præjudicium juribus prædicti Monaſterii, ſcilicet quod per licentiam ut ſupra conceſſam, & ornamenta ut ſupra conficienda in antedicta capella, patronia & jus poſſeſſorium non auferatur, nec auferi debeat, aut poſſit jamdicto Monaſterio, ſed jura hujusmodi ſemper firma remaneant. Quæ omnia & ſingula ſupraſcripta & in præſenti publico inſtrumento contenta, ſingula ſingulis congrue referendo præfati Rev. Prior, & Fratres, ac Guardianus & Socii promiſerunt perpetuo & omni tempore habere firma, rata, & grata, attendere, & inviolabiliter obſervare, & in aliquo non contravenire, dicere, vel opponere per ſe vel alios modo aliquo ratione vel cauſa, jure, vel de facto ſub obligatione omnium bonorum dicti Monaſterii & Confraternitatis, mobilium, & immobilium præſentium, & futurorum, de & ſuper quibus rogatus fui Ego Notarius publicus infraſcriptus, ut hoc præſens publicum inſtrumentum conficerem.

Actum Venetiis in loco ſupraſcripto præſentibus, ad prædicta Rev. Presbytero Alexandro Gerardino Florentino Presbytero titulato Eccleſiæ SS. Hermacoræ & Fortunati Venetiarum, Magnifico D. Joanne a Frumento q. Magnifici D. Sebaſtiani, & Magnifico D. Bartholamæo Javarina q. Magnifici D. Fran-

Franciſci Civibus Venetiarum Teſtibus vocatis & rogatis.

Antonius de Callegarinis, qui ante nominatus, Notarius de præmiſſis rogatus in fidem manu propria ſubſcripſi.

Benedictus XIII. Veneti Conventus SS. Johannis, & Pauli Fratrum precibus ſe commendat, & gratum animum eiſdem profitetur.

I 1724. 14. Decembris.

Ex Autographo in Tabulario Monaſterii Bull. Tom. *6.* pag. *546.*

Dilectis Filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prædicatorum Conventus SS. Johannis, & Pauli Civitatis Venetiarum.

BENEDICTUS P.P. XIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUam nobis olim in celebri iſto, inſignique Cœnobio diverſantibus, fraternam charitatem exhibuiſtis, Paternæ benevolentiæ offitiis rependere cupiebamus poſtquam humilitatem noſtram, tanta licet infirmitate circumdatam, ad hujus Apoſtolicæ Sedis formidandam altitudinem, inſcrutabile judicium dei Omnipotentis evexit. Sed pro veteri gratia vicem reddere cogitantes, nova obſervantiæ veſtræ, ac pietatis argumenta nos occuparunt. Quæ tamen mœrorem Nobis potius, quam lætitiam attulerunt. Jamdudum enim expoſtulavimus apud vos, graviterque indoluimus, cum in Sacrum Cardinalium Ordinem adſciti, parietes veſtros noſtro nomine illitos eſſe, & immeritos laudis titulos referre reſcivimus. Ex quo ſatis intelligitis, quam ægrius Nobis fuerit, cum ex literis veſtris accepimus, eo vos demum proceſſiſſe, ut ſimulacrum etiam e marmore nobis collocandum decerneretis. Alia prorſus, dilecti filii, & Nos juvant, & vos decent officia. Extat enim noſtræ quam utinam obliterare liceret, remiſſe, ac ſegniter actæ vitæ apud vos memoria, ea vobis ſit non ementitæ laudis teſtimonium, ſed piarum pro nobis obſecrationum incitamentum. Gratum tamen pro ſenſibus præclaræ in Nos voluntatis animum teſtatum vobis eſſe vehementer optamus, ejuſque luculentius declarandi, dum opportunitatem præſtolamur, vobis, dilecti filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Decembris 1724. Pontificatus noſtri Anno Primo.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

Ma-

Magnifica Hoſpitii, & Oratorii Divo Marco Evangeliſtæ ſacra ædificia ad dexterum Eccleſiæ SS. Joannis & Pauli latus ex adverſo areæ marmoreo proſpectu exſurgunt lapidum delectu, & ſtructuræ elegantia nobiliſſima. Ea divinis officiis frequentant Confratres Sodalitii, quod in honorem Divi Marci Evangeliſtæ Urbis Patroni primum in Eccleſia S. Crucis de Luprio fundatum fuit, mox pro majori loci, & ſodalium opportunitate in hunc locum tranſlatum. Cauſam ipſius originis ex ms. Anonymi antiqua Chronica addiſcimus, ubi hæc habentur:

Erano come ſi è detto vegnudi za alcuni zorni ad habitar in Venezia li Frati di S. Domenico appelladi per proprio vocabolo Predicatori, & ſimilmente li Frati Minori di S. Franceſco, ai quali & publicamente & privatamente era ſta proviſto delle Geſie, & Monaſterii honoratiſſimi, quei con la predication, e con i sermoni, che frequentavano continuamente, & non ſolo nella ſua Geſia, ma anche in tutte l'altre, dove ſi celebrava qualche ſolennità, & anche nelle piazze publiche ogni zorno feſtivo, & queſti con la povertà della vita, & con l'eſempio d'umiltà, nelle qual coſe dicevano eſſer imitadori de Jeſu Chriſto, avevano acquiſtado tanto credito, e tanta patientia al remetter le inzurie, & a perdonar le offeſe, & ad ajutar, & ſovegnir il proſſimo ad eſſer benefichi, benigni, & amorevoli verſo di tutti, che ſe

Venerant recenter, ut dictum eſt, ad degendum Venetiis Fratres S. Dominici, quos proprio vocabulo Prædicatores dicunt, ſimulque Fratres Minores S. Franciſci quibus Templa, & Cœnobia honorificentiſſima publicis, & privatis impenſis fuerant aſſignata. Et primi quidem Verbo Dei, & concionibus, quas inceſſanter habebant non ſolum in Eccleſia propria, ſed etiam in aliis, ubi feſtum aliquod celebrabatur, & in publicis etiam plateis ſingulis diebus feſtis; ſecundi vero paupertate vitæ, & humilitatis exemplo, quibus ſe Chriſtum imitari profitebantur, tantum æſtimationis, & laudis in Urbe adepti fuerant, hortando omnes ad vitam probam, ad quietem, unionem, & patientiam in injuriis, & condonationem in offenſis, ad ſubſidium pauperum, & opera miſericordiæ, ad beneficentiam, benignitatem & mu-

ſe può dir, che governavano & regevano i cuori & la volontà de Veneziani, perlochè alcun de più ſavii & mazori della Città comenzorono a perſuader, che ſe feſſeno alcune compagnie de devotione, & così quaſi in un medeſimo tempo, che dalla prima all' ultima ghe fu differentia pochiſſimi meſi in diverſi luoghi della Città fu dà principio a molte delle predette compagnie ſotto diverſi titoli de Santi, e con diverſi colori in le cere che adoperavano nei ſacrificii con diverſità nei ſegni, perchè le conoſceſſero eſſer diſtinte una dall'altra; la prima di queſte compagnie che foſſe coſtituida fu ſotto il nome di S. Maria della Carità, la quale adopera le cere roſſe per ſegno che biſogna che la carità ſia ardente, & ha per inſegna una Croce zala in mezo anzi attraverſa in due cerculetti ſimilmente zali con li colori verdi & roſſi remeſſi per le parti che deſcrive la predetta Croſe. Havendo opinion quei che prima inſtituirono queſta inſegna de moſtrar l'union, ch'è neceſſario, che abbia la Carità con la ſede & con la ſperanza, & furono da principio appellade queſte compagnie ſotto nome di Scuole come ſi ha poi ſempre continua-

mutuam erga omnes charitatem, ut affirmari poſſit, eos gubernaſſe, & regiſſe corda, ac voluntates Venetorum, aliqui ex prudentioribus & optimatibus urbis hortari cœperunt, ut aliqua devotionis ſodalitia inſtituerentur. Hoc pacto, eodem ferme tempore, quandoquidem inter primum & ultimum menſes admodum pauci interceſſerunt, exordium habuerunt in diverſis Urbis partibus multa ex prædictis Sodalitiis, ſub variis Sanctorum nuncupationibus, adhibita etiam diverſitate coloris tum in ceris, quas in Sacrificiis adhibebant, tum in inſigniis, ut unum, ab alio ſecerni poſſent. Primum omnium ex his Sodalitiis conſtitutum fuit ſub titulo S. Mariæ de Charitate, quod adhibet rubras ceras, ut oſtendat charitatem eſſe oportere inſtar ignis ardentem. In vexillo autem habet Crucem flavam in medio, quæ interſecat duos circulos pariter flavos, ad latera autem inter Crucem & circulos jacent campi, quorum alter eſt ruber, alter viridis. Scilicet qui hoc vexillum excogitarunt, hoc ſibi indicandum propoſuerunt, neceſſe eſſe charitatem, cum fide & ſpe mutuo vinculo conjungi. Hæc Sodalitia ab initio dicta ſunt Scholæ, quod no-

nua- men

nuado, perchè in quelle ſe inſegnavano tutti li ordeni, & tutti li precetti della fede Criſtiana, & ſe inſtruivano le perſone con diligenza nell' amor del proſſimo & nelle opere della carità fraterna; la qual coſa ſe fece non ſolo con le parole, ma anche con operazion efficacemente; perchè quanto alla prima dell' onor de Dio ſe celebravano i divini Officii con grandiſſima devotion, & maſſimamente il ſacrificio della Sanctiſſima Meſſa, & ſe viſitavano le feſte, & le perdonanze, ſempre battendoſe li Fradelli fin che li uſciva il ſangue, & per penitenza dei peccati, & per placar l' ira de Dio Omnipotente. Nell' altra parte poi circa l' amor del proſſimo, ſe ſevano tutte le coſe, che potevano imaginar neceſſarie per beneficio, & per ſovegno dei poveri, uſando in queſto l' opere della miſericordia. La ſeconda poi di queſte Scuole fu inſtituita ſotto il nome di S. Zuanne Apoſtolo & Evangeliſta, la qual porta l' inſegna della verga d' Aron con la teſta del ſerpente, & uſa le cere zale; & tutto fu fatto con grandiſſimo miſtero, denotando la fede in Gesù Chriſto Noſtro Salvator; Prima perchè S. Zuanne fu el più fedel & per

men ſemper ſubſtitit, eo quia in illis omnia Chriſtianæ fidei præcepta, & dogmata explicarentur, & homines diligenter edocerentur ad amorem Dei, & proximi exercendum, & ad opera fraternæ charitatis patranda. Quæ omnia non verbis ſolum, ſed efficaciter factis præſtita ſunt. Nam quoad cultum Dei Divina officia devotiſſime celebrabantur, & præſertim Sacrificium Miſſæ, & ſolemnitates frequentabantur, & Indulgentiæ flagellantibus ſe ad ſanguinem Fratribus in criminum pœnam, & ad iram Omnipotentis Dei placandam. Quoad charitatem erga proximum, ea quæcunque præſtabantur, quæ neceſſaria credi poterant ad beneficium & ſubſidium pauperum exercendo opera miſericordiæ. Secundum ex his Sodalitiis inſtitutum fuit ſub invocatione S. Jo: Apoſtoli & Evangeliſtæ quod geſtat pro Vexillo virgam Aaron, cum ſerpentis capite, & ceras adhibet flavas, quæ omnia miſterioſiſſime facta ſunt denotando fidem in Chriſtum noſtri generis reparatorem. Primo quia S. Joannes fidelior fuit, adeoque carior inter Diſcipulos Chriſto Domino: deinde quia illi, qui vivam, & perfectam habent fidem, extinguunt, atque a ſe removent, &

per queſto il più diletto de tutti i diſcepoli, che aveſſe il Signor, & poi quei che ſon veramente pieni de viva fede, & perfetta, & eſtinguono & removono da sì & laſſano totalmente tutte le affettion, & ſon ſolamente intenti con tutti li ſuoi ſpiriti nell'Eterno Dio fonte de ſplendor & gloria & come il Serpente poſto ſu la verga ſanava l'infermità dell'Egitto, così Chriſto benedetto eſaltando ſul legno della Croce ha tolto via tutti li noſtri peccadi, & hà remeſſo & purgade tutte le noſtre colpe. Fu la terza Scuola dedicà a honor della Madona della Valverde de Miſericordia, la quale dopera cere verde & non ha altra inſegna ſe non tre lettere concadenade aſſieme che ſono S. M. V. ſignificano Santa Maria Vergine, & come le do Fraterne precedente denotaveno l'una fede, e l'altra carità, cusì queſta terza aveva per ſuo proprio obbietto la ſperanza; la qual azziò che fuſſe più ferma, avevano tolta per advocata la glorioſa Verzene Madre de Dio potentiſſima ſora tutte le altre perſone de impetrar per mezzo del ſuo cariſſimo tutte le gratie di S.D.M. Viſto poi da altri Uomini Religioſi, & devoti che nelle tre ſcuole antedette non ſe deva al-

& omnino deponunt terrenas omnes affectiones, ut ſolummodo in æterno Deo lucis, & gloriæ fonte totis viribus ſiſtant. Porro quemadmodum ſerpens ſuper virgam elatus morbos Egypti ſanabat, ita Chriſtus Dominus ſuper Lignum Crucis exaltatus abſtulit omnia peccata noſtra, & diſpulit, & expiavit omnia ſcelera noſtra. Tertium Sodalitium inſtitutum eſt in honorem B. M. Virginis, quæ dicebatur Vallis Viridis de Miſericordia quod ceras virides aſſumit, nec aliam profert in vexillo notam niſi tres haſce litteras S. M. V. ſimul connexas, quarum eſt ſenſus *Sancta Maria Virgo* & quemadmodum duo prima Sodalitia denotabant, alterum quidem Fidem, alterum charitatem, ita hoc tertium ſibi propoſuit Spem, quæ ut firmiter eſſet, in Patronam aſſumpſerant glorioſam Virginem Dei Matrem præ cæteris potentiſſimam, ad impetranda dona omnia per amantiſſimum Filium a Deo. Quum autem alii religioſi & devoti homines animadvertiſſent in tribus prædictis ſodalitiis nullum exhiberi argumentum, nec ullam fieri mentionem, quæ Duci & Communi patriæ bono debetur, hunc ſibi finem proponentes, quar-

alcun ſegno, ne ſe ſeva alcuna mention della fedeltà, che ſe die aver al Doſe & al ben, & al eſaltazion del Commun, tolto queſto per ſuo proprio fin leverono una quarta Scuola, e la meſſeno ſotto la protezion de S. Marco Evangeliſta, & l' appellorno dal nome del detto che è anco protettor, & defenſor del Commun de Venezia, & per moſtrar la candidezza del ſuo affetto verſo il ben publico portorno le Cere tutte bianche, non volſeno altra inſegna, che S. Marco ſtendardo della Città, conſiderada dal Doſe la grand' affettion de queſti homeni da ben, la prontezza mirabile del so animo fedel, ghe furno ſora tutti altri gratiſſimi, & non ſolo confermò la ſua Scuola, come l' avea fatto dell' altre, & queſto fece notar el Doſe nel Capitolo delle cerimonie della Geſia de S. Marco, acciò foſſe in perpetuo oſſervado; non è facil coſa da dir quanto affettuoſamente foſſeno favoride queſte Scuole da tutti li grandi & più ſavii della Città, & non ſolo favoride ma anche ajutade larghiſſimamente de ſorte, che in pochiſſimo tempo comenzorno a abbondar de i beni di fortuna, li quali tutti come ho demoſtrarò piamente diſpenſadi a onor de Dio, & a beneficio del ſovegno & dei poveri.

quartum Sodalitium erexerunt, quod eſſe voluerunt ſub patrocinio S. Marci Evangeliſtæ, illudque ejusdem Sancti nomine, qui Urbis etiam & Reipublicæ Protector eſt, & Defenſor, condecorarunt. Utque animi candorem, quo publicum bonum proſequebantur, oſtenderent, ceras albas deferre ſtatuerunt, nec aliud vexillum protulerunt præter imaginem Sancti Marci urbis ipſius vexillum. Quum Dux animadvertiſſet amorem ingentem piiſſimi hujus Sodalitii, & mirabilem alacritatem animorum adeo fidelium, gratitudinem illi præ cæteris teſtatus eſt, & non modo Sodalitium ipſum confirmavit, quod de aliis etiam præſtiterat, ſed prætèrea ſcribi juſſit in Capitulo Cæremoniarum Eccleſiæ Divi Marci, ut in perpetuum ſtaret. Incredibile dictu eſt, quam amantiſſime faverint Sodalitiis iſtis Magnates, & prudentiores urbis viri, nec benevolentia ſolum, ſed etiam opibus abunde collatis, adeo ut brevi tempore cœperint divitiis redundare, quæ tamen ut dixi penitus erogabantur ad Dei honorem & egenorum beneficium, atque ſubſidium.

Eo

Eo in loco in quo præclarum hoc Sodalitium ſua exordia diſpoſuit, Hoſpitale quoque erectum fuiſſe, arguitur ex Teſtamento *Antonii de Henrico de Mus*, anno 1427. die 10. Octobris confecto, in quo ipſe ſe *Priorem & habitatorem Hoſpitalis Scholæ Batutorum S. Marci Evangeliſtæ, in Confinio S. Crucis* appellat, mandatque pro ſua ſepultura *dari Duc.* 1. *auri Dom. Priori Monaſterii S. Crucis*. An ea voce *Hoſpitalis*, illud hoſpitium ſignetur, quod ad uſum Confratrum in iis Sodalitiis erigi ſolitum erat, unusquisque pro ſuo arbitrio judicet, nullum enim de hoſpitali ibidem fundato ſupereſt documentum.

Itaque ut præclara religionis officia, quæ inſigne hoc Sodalitium in diſſita admodum urbis regione frequentabat, ad populi exemplum in ipſius Urbis frequentiori parte agerentur, de eo ad aream Divorum Joannis & Pauli traducendo actum eſt, opportunitate loci capta, quem hoſpitio erigendo Prior & Conventus vicini Monaſterii ultro obtulerunt.

Transmigrationem hanc Sodalitii alligat Sanſovinus ad annum MCCCCXXXVIII. cohæretque authenticis monumentis, publico nempe Inſtrumento, quo die XXIX. Julii an. MCCCCXXXVII. Prior cæterique Patres Monaſterii SS. Joannis & Pauli, locum certis conditionibus ſtatutis pro extruenda Schola S. Marci conceſſerunt, (A) atque publico decreto, quo ſuprema Majoris Conſilii authoritas ejusdem anni die XXIX. Auguſti permiſit, quod cum Fratres Monaſterii SS. Joannis & Pauli, pro opportunitate extruendi hoſpitii conceſſiſſent Confratribus Scholæ Battutorum S. Mariæ aptum locum, atque hujus erectionis cauſa *aliqua hoſpitia* deſtruxiſſent ſibi neceſſaria, ea propter ipſis concederetur, ut per totum ſuum Monaſterium *ab angulo dictæ Scholæ de novo faciendo, usque ad angulum capitis ſui viridarii verſus paludem ſe extendere, ac fundamenta ponere poſſent*. Cum autem prædictum *opus Scholæ Sancti Marci pro majori ornamento ipſius fabricæ ſumptuoſæ, & magnæ late ſe extenderet in angulo contiguo dicto Monaſterio*, Officiales Publicorum, anno MCCCCXXXVII. die III. Octobris ad locum prædictum perſonaliter accedentes, *viſoque opere jam incepto per quadratum* certos terminos aſſignarunt, in quibus Monaſterii ædificia inſtaurarentur. (B)

Ex fortuito incendio, quod ſuperius ad Monaſterium SS. Joan-

Joannis & Pauli memoravimus, conflagravit anno MCCCCLXXXV. ex integro hoſpitium, quod cum publico, tum privato eleemoſynarum ſuffragio ornatius, & magnificentius ex ſuis cineribus prodiit, ad cujus ornatum labores ſuos contulerunt illuſtres viri Jacobus Tinctoretus, Jacobus Palma, Georgius a Caſtrofranco, Pariſius Bordonius, atque Gentilis Bellinus. Horum primus diligenti adeo ſtudio Divi Marci geſta in quatuor tabulis expreſſit, ut tamquam artis miracula haberi poſſint.

Præcipua veneratione in hoc Sodalitio colitur una ex Dominicæ Coronæ ſpinis, quæ frequenti populo adoranda exponitur nobilis pompæ apparatu ſingulis VI. Feriis menſis Martii. Portio quoque veſtis inconſutilis D. N. J. C. in Sacrario aſſervatur, de qua fuſe verba fecimus ad Eccleſiam S. Moyſis, Operis hujus Tom. III. pag. 361.

Superius enuntiati incendii damna recenſet Marcus Antonius Sabellicus, in ſuo *De ſitu Urbis* Venetæ opere lib. II. in Olivolenſi regione his verbis: "Altero ponte ad gemel-
„ los mittit opus ampliſſimum: ac præ nimia altitudine ca-
„ liganti faſtigio vaſta magnitudine: cultuque pene pari Præ-
„ dicatorum conventus quatuordecim Principum cymiterium,
„ ſparſim tota æde viſuntur illorum monumenta: ſed om-
„ nium ut maxime recens, ita nobiliſſimum Petri Mocenici
„ Principis, ex hoſtium manubiis erectum: præjacet Tem-
„ plo area cum lapideo ponte, qui in minores birros, & ma-
„ jores mittit: medio tractu circa pontem Marciani collegii
„ conclave, illud clariſſimum nobilibus tabulis: & auro præ-
„ ditum, quod hoc quadriennio non ſine totius Civitatis
„ merore nocte una conflagravit: nunc materia longe ſum-
„ ptuoſiore: quam antea inſtauratum: noviſſimeque a fron-
„ te Aloviſio Dardano, collegii Magiſtro apparatu longe opu-
„ lentiore excultum eadem area Bartholamæi Bergomatis, ea
„ equeſtris ſtatua aurata: marmoreæ moli impoſita opus vi-
„ ſendum: quum hæc proderemus publica impenſa defuncto
„ depoſita eſt: vaſta a tergo atria Templo adjecta: ac tam
„ ampla conclavia: ut centum: & amplius ſacrorum cauſa
„ inibi ferme agant: Bibliotheca ad hæc ingens hortis incu-
„ bans: qui cum non parva ædificiorum parte ſtagno alluun-
„ tur.

Prior

Eo in loco in quo præclarum hoc Sodalitium ſua exordia diſpoſuit, Hoſpitale quoque erectum fuiſſe, arguitur ex Teſtamento *Antonii de Henrico de Mus*, anno 1427. die 10. Octobris confecto, in quo ipſe ſe *Priorem & habitatorem Hoſpitalis Scholæ Batutorum S. Marci Evangeliſtæ, in Confinio S. Crucis* appellat, mandatque pro ſua ſepultura *dari Duc. 1. auri Dom. Priori Monaſterii S. Crucis*. An ea voce *Hoſpitalis*, illud hoſpitium ſignetur, quod ad uſum Confratrum in iis Sodalitiis erigi ſolitum erat, unusquisque pro ſuo arbitrio judicet, nullum enim de hoſpitali ibidem fundato ſupereſt documentum.

Itaque ut præclara religionis officia, quæ inſigne hoc Sodalitium in diſſita admodum urbis regione frequentabat, ad populi exemplum in ipſius Urbis frequentiori parte agerentur, de eo ad aream Divorum Joannis & Pauli traducendo actum eſt, opportunitate loci capta, quem hoſpitio erigendo Prior & Conventus vicini Monaſterii ultro obtulerunt.

Transmigrationem hanc Sodalitii alligat Sanſovinus ad annum MCCCCXXXVIII. cohæretque authenticis monumentis, publico nempe Inſtrumento, quo die XXIX. Julii an. MCCCCXXXVII. Prior cæterique Patres Monaſterii SS. Joannis & Pauli, locum certis conditionibus ſtatutis pro extruenda Schola S. Marci conceſſerunt, (A) atque publico decreto, quo ſuprema Majoris Conſilii authoritas ejusdem anni die XXIX. Auguſti permiſit, quod cum Fratres Monaſterii SS. Joannis & Pauli, pro opportunitate extruendi hoſpitii conceſſiſſent Confratribus Scholæ Battutorum S. Mariæ aptum locum, atque hujus erectionis cauſa *aliqua hoſpitia* deſtruxiſſent ſibi neceſſaria, ea propter ipſis concederetur, ut per totum ſuum Monaſterium *ab angulo dictæ Scholæ de novo faciendo, usque ad angulum capitis ſui viridarii verſus paludem ſe extendere, ac fundamenta ponere poſſent*. Cum autem prædictum *opus Scholæ Sancti Marci pro majori ornamento ipſius fabricæ ſumptuoſæ, & magnæ late ſe extenderet in angulo contiguo dicto Monaſterio*, Officiales Publicorum, anno MCCCCXXXVII. die III. Octobris ad locum prædictum perſonaliter accedentes, *viſoque opere jam incepto per quadratum* certos terminos aſſignarunt, in quibus Monaſterii ædificia inſtaurarentur. (B)

Ex fortuito incendio, quod ſuperius ad Monaſterium SS. Joan-

Joannis & Pauli memoravimus, conflagravit anno MCCCCLXXXV. ex integro hoſpitium, quod cum publico, tum privato eleemoſynarum ſuffragio ornatius, & magnificentius ex ſuis cineribus prodiit, ad cujus ornatum labores ſuos contulerunt illuſtres viri Jacobus Tinctoretus, Jacobus Palma, Georgius a Caſtrofranco, Pariſius Bordonius, atque Gentilis Bellinus. Horum primus diligenti adeo ſtudio Divi Marci geſta in quatuor tabulis expreſſit, ut tamquam artis miracula haberi poſſint.

Præcipua veneratione in hoc Sodalitio colitur una ex Dominicæ Coronæ ſpinis, quæ frequenti populo adoranda exponitur nobilis pompæ apparatu ſingulis VI. Feriis menſis Martii. Portio quoque veſtis inconſutilis D. N. J. C. in Sacrario aſſervatur, de qua fuſe verba fecimus ad Eccleſiam S. Moyſis, Operis hujus Tom. III. pag. 361.

Superius enuntiati incendii damna recenſet Marcus Antonius Sabellicus, in ſuo *De ſitu Urbis* Venetæ opere lib. II. in Olivolenſi regione his verbis: " Altero ponte ad gemel-
„ los mittit opus ampliſſimum: ac præ nimia altitudine ca-
„ liganti faſtigio vaſta magnitudine: cultuque pene pari Præ-
„ dicatorum conventus quatuordecim Principum cymiterium,
„ ſparſim tota æde viſuntur illorum monumenta: ſed om-
„ nium ut maxime recens, ita nobiliſſimum Petri Mocenici
„ Principis, ex hoſtium manubiis erectum: præjacet Tem-
„ plo area cum lapideo ponte, qui in minores birros, & ma-
„ jores mittit: medio tractu circa pontem Marciani collegii
„ conclave, illud clariſſimum nobilibus tabulis: & auro præ-
„ ditum, quod hoc quadriennio non ſine totius Civitatis
„ merore nocte una conflagravit: nunc materia longe ſum-
„ ptuoſiore: quam antea inſtauratum: noviſſimeque a fron-
„ te Aloviſio Dardano, collegii Magiſtro apparatu longe opu-
„ lentiore excultum eadem area Bartholamæi Bergomatis, ea
„ equeſtris ſtatua aurata: marmoreæ moli impoſita opus vi-
„ ſendum: quum hæc proderemus publica impenſa defuncto
„ depoſita eſt: vaſta a tergo atria Templo adjecta: ac tam
„ ampla conclavia: ut centum: & amplius ſacrorum cauſa
„ inibi ferme agant: Bibliotheca ad hæc ingens hortis incu-
„ bans: qui cum non parva ædificiorum parte ſtagno alluun-
„ tur.

Prior

Prior & Conventus SS. Joannis & Pauli certis ſtatutis conditionibus concedunt Confratribus Sodalitii S. Marci locum pro extruendo Hoſpitio.

A 1437. 29. Julii.

Ex Archivo SS. Joannis & Pauli.

IN Chriſti Nomine Amen. Anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo Indictione quintadecima die vigeſimo nono menſis Julii. Convocato & congregato Capitulo loci & Monaſterii, atque Conventus SS. Jo: & Pauli Ordinis S. Dominici Fratrum Prædicatorum de Venetiis ad ſonum campanulæ, prout moris eſt, in quo quidem capitulo interfuerunt omnes infraſcripti Venerabiles & Reverendi Patres, & Fratres videlicet. Rev. Pater D. Fr. Nicolaus de Mercatonovo de Venetiis Sacræ Theologiæ Magiſter Prior ejusdem Conventus SS. Jo: & Pauli; Rev. Magiſter Julianus de S. Juliano. Rev. Magiſter Stephanus de Venetiis, Fr. Baſilius de Venetiis Superior Conventus; Fr. Nicolaus de Venetiis antiquior; Fr. Antonius de Stella; Fr. Dominicus de Stella Sindicus; Fr. Jacobus de Pupilionibus; Fr. Stephanus de Dirrachio; Fr. Joannes Tajapetra; Fr. Bartholamæus Rochi; Fr. Antonius de Benivento; Fr. Georgius de Sibinico; Fr. Joannes de Venetiis; Fr. Laurentius de S. Agnete de Venetiis; Fr. Auguſtinus de Venetiis; Fr. Leonardus de Verona; Fr. Bartholomæus de Sabathinis de Venetiis; Fr. Nicolaus de Polonia; Fr. Nicolaus de Zerate partis Apuliæ; Fr. Antonius de Janua; Fr. Franciſcus de S. Maria Nova de Venetiis; Fr. Marinus de Venetiis; Fr. Jeronymus de Venetiis; Fr. Franciſcus de Venetiis junior; Fr. Conradus de Alemania; Fr. Joannes de Alemania; & Fr. Andreas de Ferraria. Qui omnes, prout aſſeruerunt, ſunt ultra quam duæ partes omnium Fratrum ejusdem Conventus, & Monaſterii SS. Jo: & Pauli habentium vocem in capitulo nominatim pro infraſcriptis ſpecialiter peragendis, & omnes unanimes voluntarie, & concordes nemine eorum diſcrepante nomine dicti eorum Conventus, Capituli, & Monaſterii per se, & ſucceſſores ſuos ex una parte; & infraſcripti honorabiles & egregii viri Vardianus, & Socii Scholæ batuttorum S. Marci de Venetiis; Videlicet. Dominus Zuffredus de Brazo Vardianus Magnus prædictæ Scholæ batutorum Sancti Marci, Sier Jacobus Bono Vicarius dictæ Scholæ, Sier Antonius Rapignano Vardianus a Matutino ejusdem Scholæ; Sier Daniele de Ziliolo Scribanus; Sier Joannes de Roma decanus dimidii anni; Sier Ludovicus Bono Decanus dimidii anni; Sier Lucas Melchioris Decanus, Sier Jacobus Barizoto filius Sier Joannis Decanus; Sier Marcus de Arvaſio Decanus, Sier Raphael Bellino Decanus; Sier Joannes Triviſano q. Sier Benedicti decanus; & Sier Nicolaus Bono Decanus omnes Officiales prædictæ ejusdem Scholæ Batutorum S. Marci per se, & ſucceſſores ſuos, ac nomine dictæ eorum Scholæ ex alia parte. In nomine Jeſu Chriſti ejusque Matris glorioſæ Virginis Mariæ, atque glorioſiſſimi Sancti Marci Evangeliſtæ, pacta, compoſitiones, & conventiones fecerunt & contraxerunt, ad invicem concorditer in hunc modum. Videlicet primo, quod prædicti Fratres Conventus & Monaſterii SS. Jo: & Pauli dare debent promittunt & tenentur, atque dant & concedunt eisdem D. Vardiano, & aliis officialibus prænominatis dictæ Scholæ Batutorum S. Marci præſentibus, & pro se, & eorum ſucceſſoribus in perpetuum in dicta eorum Schola ſucceden-

dentibus, ac pro aliis Confratribus ſuis dictæ Scholæ præſentibus & futuris recipientibus, & ſtipulantibus locum opportunum, ubi prædicti de dicta Schola facere & conſtrui poſſint, & poterunt eorum domum, & habitaculum pro dicta eorum Schola. Videlicet totam fabricam, & hedificium ipſorum Fratrum & Conventus ſui prædicti, quam fecerunt, & habent ipſi Fratres pro Schola ſua, ad dictum eorum Monaſterium; qui locus ſive Schola incipit prope pontem longum SS. Jo: & Pauli videlicet: ab angulo ejuſdem Scholæ, a quo angulo prædicti de dicta Schola Batutorum S. Marci per longitudinem veniendi verſus Murianum hedificare & conſtrui poſſint dictam eorum Scholam domum & habitaculum; videlicet ſalam in ſolario paſſus viginti unum, & pedes quatuor, & ad pedem planum ſubtus dictam ſalam per dictam longitudinem habeant & habere debeant uſque ad puteum lavatorii dictorum Fratrum quod eſt paſſus...... Latitudinem vero ejuſdem domus, & habitationis, ſive habitaculi habere debeant prædicti de dicta Schola Batutorum S. Marci, & incipere a muro intus, ubi nunc eſt dicta Schola, & venire verſus canale & in canale tantum, & ſecundum quod prædicti de dicta Schola habuerunt de gratia poſſendi hedificare ab inclita Ducali Dominatione ad ſuum beneplacitum. Et quæ longitudo & latitudo prædictæ domus & habitationis, ſic conſtruendæ hedificari debeat per dictos de Schola prædicta, ut ſupra dicitur, recto tramite. Et pro qua domo & hedificatione, ſic ædificanda per prædictos de dicta Schola Batutorum S. Marci poſſint & valeant prædicti de dicta Schola pro dicta eorum hedificatione fienda totum ædificium nunc exiſtens deſtrui facere, & omnes lapides tam coctos, vivos, quam feneſtras, lignamina, & ferramenta omnia nunc exiſtentia in opere & hedificio, ſi aliquid remanſerit dicto opere novo ut ſupra fiendo ponere poſſint, & valeant prædicti de dicta Schola ad eorum commodum, & utilitatem ſine aliqua ſolutione, ita tamen quod quando ipſi de dicta Schola compleverint dictum eorum hedificium, ſi aliquid remanſerit eis de dictis lapidibus coctis, vivis, feneſtris, lignaminibus, & ferramentis veteribus nunc exiſtentibus in opere, reddere teneantur & debeant prædicti de dicta Schola eiſdem Fratribus, & Conventui, id quod ſic remanſerit. Et quam Scholam, ſive hedificium & domum fiendam de novo per ipſos de dicta Schola S. Marci, ut ſupra dicitur, in altitudine levare poſſint, & valeant ipſi de dicta Schola, tantum quantum eis videbitur & placuerit. Et feneſtras facere circum circa prout eis videbitur. Ita tamen quod a parte interiori verſus Monaſterium facere debeant feneſtras ferratas cum vitreis, quæ non poſſint aperiri. Et quoniam de præſenti eſt unum hoſtium ſive porta in muro a parte interiori, ſub porticu per quam de præſenti ingreditur in dicta Schola, cum dicti de dicta Schola S. Marci conſtruent ejus opus, & hedificium etiam facere poſſint dictam portam, ſive hoſtium per quam ingrediatur in dicta ſua Schola, cujus quidem portæ a parte exteriori prædicta dictus Prior & Fratres ejuſdem Monaſterii & Conventus SS. Joannis & Pauli ſoli tenere debeant claves, ut aperiri non poſſit ſine eorum licentia. Ita tamen quod quandocunque prædicti de dicta Schola S. Marci aperire voluerint dictam portam pro eorum neceſſitatibus, ipſi Prior & Fratres eis dare debeant claves ipſius portæ, & dimittere eis, ut eam aperiant ad omnem eorum voluntatem, & requiſitionem, & quam portam a parte interiori prædicti de dicta Schola claudere poſſint, prout eis videbitur. Item quod prædicti Prior & Fratres teneantur & debeant omni anno ſemel dare & concedere prædictis de dicta Schola S. Marci, locum, ubi facere poſſint eorum caritatem, (1) qui locus eſt eorum con-

(1) Charitas hic ſumitur pro refectione facta inter Confratres, cujus fortaſſe etiam pauperes erant participes.

quina cum ejus curia, ut poſſint ponere ſuos caldarios a coquendo fercula, & quod prædicti de dicta Schola poſſint fieri facere unum hoſtium in muro, per quod ingrediatur in curia coquinæ prædictæ, quod hoſtium ſit pro introitu illorum, qui venient ad accipiendum caritatem pro illa vice ſolummodo. Item quod prædictus Prior & Fratres teneantur & debeant, utque promittunt dare prædictis de dicta Schola locum in corteſella diſcooperta prope portam dicti Conventus, ubi prædicti de dicta Schola facere poſſint ſex monumenta pro ſepeliendo corpora Confratrum ejusdem ſuæ ſcholæ. Item quod prædicti de dicta Schola poſſint & valeant eorum ſumptibus, & expenſis fieri facere unam ſcalam lapideam ſive ligneam in aere, quæ veniat extra murum a parte exteriori ejusdem Scholæ, & domus ut ſupra fiendæ ſupra dictam curiam, ſive corteſellam diſcoopertam per quam ingrediatur in ſalla ſuperiori ejusdem Scholæ, pro qua ſcala, ut ſupra fienda ſic in aere ſupradictam curiam pro fundamento ejus, ſi fuerit neceſſe prædicti de dicta Schola poſſint ponere & firmare unam vel duas columnas in dicta curia ſive corteſella ſubtus dictam ſcalam pro ſubſtentaculo ejus. Item quod prædicti Prior & Fratres dicti Conventus dant & concedunt prædictis de dicta Schola S. Marci unum hoſpitium, quod eſt ſupra portam magnam dicti ſui Conventus apud prædictam Scholam, quod venit usque ad angulum refectorii, in quo hoſpitio dicti confratres prædictæ Scholæ poſſint facere ſua colloquia, & neceſſitates ſuas, & pro quo hoſpitio dicti Vardianus & Socii ſui prædicti facere debent, & promittunt unam cellam pro ſuo hoſtiario eorum Fratrum. Item prædicti Prior & Fratres dant & concedunt prædictis de dicta Schola S. Marci pro capella eorum Sancti Marci eorum capellam magnam SS. Joannis & Pauli cum altare, (1) ad quod altare majus prædicti Fratres dicti Monaſterii teneantur & promittunt quotidie celebrare eisdem de dicta Schola quattuor miſſas pro animabus confratrum defunctorum de dicta Schola. Et omnes miſſas, quas prædicti de dicta Schola faciunt celebrare omni prima Dominica menſis, & in aliis diebus opportunis per Presbiteros dictæ Scholæ poſſint prædicti de dicta Schola eas facere celebrari ad dictum altare ſine aliqua contradictione, ad quas miſſas ſic celebrandas aliqui Fratres ejusdem Conventus teneantur ire & intereſſe, cum dictis Presbyteris ejusdem Scholæ ad faciendum officium in dictis miſſis declarando, quod in dicta Capella prædicti de dicta ſchola poſſint fieri facere a parte ſiniſtra ingrediendo intus in dicta capella ſexdecim ſedias propter Officiales ejusdem Scholæ, ut poſſint ſtare ad eorum miſſas & officia. Et ſimiliter facere poſſint prædicti de dicta Schola omne aliud adornamentum, & Iſtorias in dicta Capella quod, & quæ eis videbitur, & placebit. Et ſupra dictum altare majus ſimiliter poſſint prædicti de dicta Schola, & eis ſic conceſſum fieri facere unum Sanctum Marcum, & alia ornamenta ſicut eis videbitur, & placebit ſine aliqua contradictione. Item teneantur & debeant prædicti Fratres dicti Conventus tenere prædictam capellam Magnam quam dederunt & conſenſerunt prædictis de dicta Schola S. Marci in concio, & in ordine ſuarum muralearum, & culminum, cum omnibus ſuis cohopertis. Et prædicti de dicta Schola S. Marci teneantur & debeant ſolummodo tenere vitria feneſtrarum ejusdem capellæ magnæ cum ſuis retiis in ordine, & in concio. Item teneantur & debeant prædicti Fratres ejusdem Conventus tenere unam lampadam accenſam

(1) Cum de jure ipſius Sacelli acriter Monaſterii Patres contra divi Marci Sodalitium diſceptaſſent, tandem clare agnito ipſius Sodalitii Dominio ſtatutum eſt, ut in proſpectu pilarum ipſius Sacelli duo alati Leones inciderentur, quibus perenne ipſius Sodalitii jus deſignaretur.

ſam die noctuque continue ante dictum altare majus, ad honorem Omnipotentis Dei, ejusque Virginis Matris Mariæ & protectoris Noſtri D. Sancti Marci, pro qua lampade ſic tenenda accenſa prædicti de dicta Schola dare debeant, & teneantur atque promiſerunt eisdem Fratribus dicti Conventus omni & quolibet anno miros tres olei a comburendo. Item teneantur, & debeant prædicti Fratres dicti Conventus facere pulſari ſua organa ſolemniter, quando prædicti de dicta Schola S. Marci faciunt celebrari ſuas Miſſas in diebus ordinatis, & in aliis eorum ſolemnitatibus opportunis. Item quod prædicti Fratres dicti Conventus teneantur & debeant fieri facere omni die Lunæ, quod unus Fratrum qui celebrat unam quattuor miſſarum dictorum de dicta Schola ad eorum altare majus, cum celebraverit dictam miſſam dictus talis Frater debeat ire ſupra eorum ſepulturas dictæ Scholæ eiciendo de aqua ſancta, & dicere orationes opportunas pro animabus omnium prædictorum confratrum de dicta Schola. Item teneantur, & debeant prædicti Fratres dicti Conventus permittere, quod cum prædicti de dicta Schola S. Marci habeant triginta presbiteros in dicta eorum Schola, quorum qualibet prima Dominica menſis ſex eorum veniunt, ad celebrandum eorum miſſas ad eorum altare, & etiam omnes dicti triginta Presbyteri veniunt prima Dominica poſt diem mortuorum, ad faciendum unum anniverſarium pro animabus eorum Fratrum. Quod dicti Presbyteri poſſint accedere ad dictum eorum altare majus, & celebrare dictam miſſam, & facere alia officia opportuna in diebus prænominatis ſine aliqua contradictione. Item teneantur, & debeant prædicti de dicta Schola, quando deceſſerit aliquis Presbyterorum Confratrum dictæ Scholæ acceptare in eorum Schola prædicta totidem Fratres loco ipſorum Presbyterorum ſic decadentium, qui Veneti, & in dicto eorum Conventu commorantes. Hoc tamen ſemper intelligendo & declarando, dummodo ipſis de dicta Schola hoc concedatur, quod facere poſſint per Conſilium Dominorum decem ſine quo prædicti de dicta ſchola nihil volunt facere neque poſſunt, & in caſu quo intret aliquis dictorum Fratrum in dicta Schola omnes & ſinguli Fratres prædicti ſic intrantes in dicta Schola teneantur & ſint aſtricti facere, & adimplere, ac obſervare illud quod præcipit Matricula prædictorum de dicta Schola. Item teneantur & debeant prædicti Fratres dicti Conventus, quando prædicti Confratres de dicta Schola S. Marci ſepelient aliquem eorum Confratrem pauperem dictæ ſuæ Scholæ amore Dei, quod de Fratribus ejusdem Conventus SS. Jo: & Pauli quanti eis videbitur venire, debeant extra tamen Cruce ad celebrandum officium opportunum ſupra tale cadaver. Et ſi cum bona commoditate poterunt celebrare unam miſſam antequam cadaver illud ſepeliatur, ipſam miſſam celebrare debeant. Qui Fratres dicti Conventus pro tali officio ſic fiendo pro ſepeliendo dictum tale cadaver, & pro ejus ſepultura nil aliud habere debeant neque petere niſi candelas triginta cereas, prout ſolitum eſt dari per dictos de dicta Schola. Item teneantur & debeant prædicti Confratres de dicta Schola, ſi per aliquem Confratrem ipſius eorum Scholæ prædictæ ipſis de dicta Schola in eorum arbitrio, & libertate dimittent aliquam Manſionariam dari & deponi ubi, & pro ut eis de dicta Schola videbitur prædictam talem Manſionariam prædicti de dicta Schola aliis, neque in alia Eccleſia ſive Conventu dare non poſſint neque debeant ponere, niſi ſolum eisdem Fratribus dicti Conventus SS. Jo: & Pauli & in dicto eorum Conventu. Et ſimiliter ſi per aliquem Confratrem dictæ Scholæ dimittetur aliqua pecunia in arbitrio dictorum officialium prædictæ Scholæ diſtribuenda in faciendo celebrari miſſas ſeu alias Orationes, teneantur & debeant atque promittunt prædicti de dicta Schola dictam talem pecuniam dare prædictis Fratribus, & dicto Conventui, & non aliis, pro quibus

bus dicti Fratres teneantur & debeant, atque promittunt celebrari & dicere tales miſſas, & orationes. Item teneantur, & debeant prædicti Fratres dicti Conventus omni, & quolibet anno in die, & feſto Glorioſiſſimi Sancti Marci Evangeliſtæ de menſe Aprilis celebrare, ad dictum Altare Majus prædictorum de dicta Schola unam ſolemnem miſſam, & devotam & pulcherrimam proceſſionem facere, & etiam cantare veſperos & alia officia illius diei ſolemniter obſervare, ad dictum eorum altare majus S. Marci pro qua ſolemnitate, & lætitia teneantur prædicti de dicta Schola dare, & dare debeant, atque facere ipſis Fratribus dicti Conventus unam pitantiam in prandio pro recreatione prædictorum Fratrum, quæ ſit valoris ducatorum trium. Item teneantur & debeant, atque promittunt prædicti de dicta Schola S. Marci dare Fratribus Conventus SS. Joannis & Pauli pro elemoſina omni & quolibet anno videlicet pro dictis quattuor miſſis, quas omni die celebrabunt, & celebrare debent, ut ſupra tenentur, & promiſerunt ducatos ſeptuaginta: Et pro territorio ſive loco atque conceſſione quod ſive quem, & quam prædicti Fratres dicti Conventus dederunt & conceſſerunt prædictis de dicta Schola ubi facere poſſunt, & conſtrui facere dictam eorum domum & habitationem ſive Scholam ſuam prædictam, ac pro habitatione prædicta, & pro omnibus aliis rebus ſupraſcriptis Ducatos quinquaquinta, qui terminus & annus dictarum ſolutionum, ut ſupra fiendarum incipiat die quo prædicti de dicta Schola venient ad habitandum in dicta eorum Schola, ut ſupra per eos fienda, & poſtquam eam fabricaverint in dicto loco SS. Jo: & Pauli, & ſimiliter prædicti de dicta Schola omni anno, ad dictum terminum dabunt pro pulſando organo ducatos duos. Item ſi prædicti de dicta Schola S. Marci aliquo tempore voluerint recedere ſua ſpontanea voluntate de dicto loco, ſic ſibi conceſſo, & a dicto Monaſterio & Eccleſia SS. Jo: & Pauli omnem fabricam, & ædificium, quam, & quod fecerint prædicti de dicta Schola dimittere debeant libere prædictis Fratribus dicti Conventus, pro quibus dicti Fratres dicti Conventus eis nihil dare teneantur, neque debeant. Verum ſi prædicti Fratres dicti Conventus expellerent prædictos de dicta Schola, ſeu moleſtaverunt aliqualiter, ex quo ob deffectum prædictorum Fratrum neceſſe foret inde recedere, dictis de dicta Schola, ipſi Fratres dicti Conventus teneantur & debeant eorum ſumptibus & expenſis fieri facere unam domum & habitationem ſimilem, qualem ipſi de dicta Schola fieri fecerunt, ad dictum eorum Monaſterium, ubi inclita dominatio Noſtra Venetiarum voluerit, quod ipſam domum & habitationem eis facere debeant. Quæ omnia & ſingula ſupraſcripta, & in præſenti inſtrumento contenta ſupraſcripti contrahentes, & partes dictis nominibus & quolibet ipſorum nominum promiſerunt, & convenerunt ſibi ad invicem hinc inde perpetuo firma, rata, & grata habere, tenere, attendere, facere, & obſervare, & nunquam in aliquo contrafacere, vel venire per ſe, vel alios aliqua ratione, vel cauſa de jure, vel de facto ſub pœna dupli totius ejus, in quo vel de quo ullo modo contrafacerent per ſolemnem ſtipulationem, ſibi ad invicem hinc inde promiſſam ſolvenda per partem contrafacientem in aliquo, aut per omnia non ſervantem parti ſervanti & obſervare volenti totiens quotiens fuerit in aliquo quomodolibet contrafactum, aut per omnia non ſervatum, & non adimpletum, ut ſupra dicitur. Et inſuper refectione & emendatione damnorum expenſarum & intereſſe litis & extra qua pœna ſoluta, vel non & expenſis damnis & intereſſe refectis, vel non nihilominus rato manente præſenti contractu, cum omnibus & ſingulis in eo contentis, & pro obſervatione præmiſſorum omnium & ſingulorum prædicti contrahentes & partes Videlicet præfatus D. Prior & Fratres dicti Conventus SS. Joannis & Pauli ex una parte obligaverunt ſe &

ſuc-

ſucceſſores ſuos & omnia, & ſingula bona prædicti ſui Conventus, & Monaſterii mobilia & immobilia præſentia & futura, & prædicti D. Vardianus & cœteri officiales Scholæ prædictæ batutorum S. Marci ſuperius nominati obligaverunt se, & ſuos ſucceſſores & omnia & ſingula bona prædictæ eorum Scholæ batutorum S. Marci mobilia & immobilia præſentia & futura. Renunciantes ipſi contrahentes & partes exceptioni rei non ſic, vel aliter geſtæ privil. fori condit. indebiti & ſine cauſa, vel ob injuſtam cauſam doli mali deceptioni fraudi inſact. actioni, feriis, & diebus feriatis, & omnibus & ſingulis aliis exemptionibus, tam juris canonici, quam civilis, & municipalis per quos vel quæ præmiſſis vel aliquibus præmiſſorum, ut poſſit aliquid quomodolibet excipi, objici, vel opponi. Volentes quod de præmiſſis publicum conficiam inſtrumentum in formam publicam reddigendum totiens quotiens a me queretur.

Actum Venetiis in Monaſterio prædicto SS. Jo: & Pauli in capitulo dicti Conventus præſentibus nobile Viro D. Bernardo Nani q. D. Andreæ de Contrata S. Joannis Novi, Sier Georgio Stella q. Sier Nicolai de Contrata S. Felicis, Sier Franciſco Donato q. Sier Nicolai de contrata S. Maria Formoſæ & aliis.

Ego Jacobus de Sutis q. Sier Antonii publicus Imperialis & curiæ majoris Notarius ſupraſcriptum Inſtrumentum pactorum & conventionum, ut ſupra, de quo rogatus fuit q. Sier Antonius Gambaro Notarius Imperialis ex autentico Regiſtro Inſtrumentorum ſuorum num. 1. ex chartis 80. vigore legis in hanc publicam formam redegi ad inſtantiam, & requiſitionem Rev. D. Prioris & Fratrum ſupraſcripti Monaſterii & Conventus SS. Joannis & Pauli die undecima Menſis Junii milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio Indictione undecima ſigno meo appoſito conſueto in fidem præmiſſorum.

In Chriſti Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono Indictione duodecima die Lunæ duodecimo Menſis Novembris.

Omiſſis.

CHe per conſervatione di quelle ragioni, che per vigor di eſſo Inſt. 1437. competiſcono a detta Scuola nella Capella, e Altare Grande della Chieſa di detti Rev. Padri di SS. Gio: e Paolo, poſſino l' intervenienti per eſſa Ven. Scuola ad ogni loro piacere ſopra l' Altar Grande, che al preſente ſi conſtruiſce, farvi metter due S. Marchi, che ſono l' inſegne particolari di eſſa Ven. Scuola di bronzo dorato, o d' Alabaſtro da eſſer poſti nel frontiſpicio delle collonne, & lune di eſſo Altare.

Actum Venetiis quo ad rogitum dictorum R.R. D.D. Patrum in dicta Sacriſtia præſentibus D. Franciſco q. Bernardi D. Gian Campanario in dicta Eccleſia, & ſ. Sebaſtiano q. Nicolai de Moſconi Mediolanenſe Teſtibus vocatis & rogatis.

Ego Marinus Leone q. D. Stephani publicus Venetiarum Notarius de præmiſſis & ſuperſcriptis RR. PP. rogatus fui ſcripſi publicavi, ſubſcripſi, & ſignavi.

Offi-

Officiales Publicorum Fratribus SS. Joannis & Pauli, qui locum dederant pro extruenda Schola S. Marci, terminos aſſignant pro conſtruendis novis ædificiis.

B 1437. 3. Octobris.

Ex Archivo SS. Joannis & Pauli.

IN nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo menſis Octobris die tertio, Indictione quintadecima Rivoalti. Cum coram prædeceſſoribus noſtris, videlicet Dominis Bartholameo de Canali, Carolo Donato, & Bartholomeo Fuſchareno, tunc officialibus procuratorum comparuiſſet Venerabilis religioſus D. Fr. Dominicus Stella Ordinis Prædicatorum tanquam Sindicus & Procurator loci ſive Monaſterii & Conventus SS. Jo: & Pauli dicens narrans & exponens ſe & alii Fratres dicti Monaſterii loci & Conventus obtinuiſſe gratiam a Majori Conſilio ſe extendendi, & capiendi infra rivum ab angulo Scholæ S. Marci de novo fiendo uſque ad angulum ſui viridarii verſus paludem per totum prout & ſicut in gratia obtenta noſtro officio Publicorum tranſmiſſa legebatur, & apparebat, cujus quidem gratiæ tenor talis eſt, & erat videlicet ut ſequitur. Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo menſis Auguſti die vigeſimonono Indictione quartadecima (1) in Majori Conſilio capta. Cum ſicut expoſuerunt Fratres loci Monaſterii & Conventus SS. Jo: & Pauli ipſi conceſſerunt eorum Scholam, & locum opportunum Guardiano & Sociis Scholæ Battutorum glorioſiſſimi Sancti Marci Evangeliſtæ, ut poſſent facere eorum ſcholam & domum, pro qua noſtra Ducalis eminentia eiſdem de dicta Schola conceſſit, quod poſſent per latitudinem ſe extendere per totum apud ipſam Scholam & capere in canali comuni ibi exiſtenti pedes ſeptem pro fabricando dictam Scholam, & cum dicti Fratres pro dicta conceſſione, ut ſupra facta, conceſſerint aliqua hoſpicia, in quibus ipſi Fratres faciebant earum neceſſitates, quæ omnino ſunt reficienda & ſupplicaverunt, ut pro commoditate non modica dicti Conventus dignemur eis concedere, ut poſſint & valeant per totum juxta dictum Monaſterium, ab angulo dictæ Scholæ de novo faciendo contiguo dicto ſuo Monaſterio, uſque ad angulum capitis ſui viridarii verſus paludem, ſe extendere & capere per latitudinem in dicto canali per lineam rectam ſe extendere ac fundamenta ponere poſſunt, prout eis videbitur. Cumque noſtri Officiales publicorum conſuluerunt, quod attento quod hoc non redundat ad damnum vel incommodum alicujus, ſed ad commodum potius dicti canalis, ut acqua recto tramite labilius curſum habeat ingrediendo ipſum rivum ipſis ſupplicantibus bene fieri poteſt, & concedi, prout petunt, dummodo tamen quando laborabunt, & atterabunt faciant fieri fundamenta lapidea & non lignea, captum fuit omnibus his conſideratis, quod fiat eis, ſicut petunt, & ſicut conſulunt Officiales publicorum. Et ſic finiebat ipſius gratiæ tenor. Ipſique prædeceſſores noſtri ſolum & dumtaxat conceſſerunt ipſis Fratribus ſive dicto eorum Sindico, quod atterrare & occupare poſſent per lineam rectam, ab angu-

(1) Eodem anno notatur indictio XIV. menſe Auguſto, Indictio vero XV. menſe Octobris, quia apud Venetos Indictio incipiebat menſe Septembri.

angulo dictæ Scholæ usque in paludem nulla alia expreſſione facta, aut declaratione dictæ gratiæ, ſive conceſſionis obtentæ a Majori Conſilio prout, & ſicut de jure declarandum erat; Volentes Nos Ludovicus Sagredo, Bartholomæus Fuſcareno, & Paulus Contareno Officiales Publicorum a Grado usque ad Caputaggeris deputati, prout pro forma noſtri Capitularis tenemur dictis Fratribus aſſignare ſolum, & dumtaxat id quod ſibi per noſtrum Dominium, ejusque Majus Conſilium extitit conceſſum, ad locum prædictum perſonaliter acceſſimus, ubi viſa & lecta dicta gratia, ſive conceſſione, viſoque opere jam incepto per quadratum, & Fratres dictæ Scholæ S. Marci, quod opus pro majori ornamento ipſius fabricæ, ſic ſumptuoſæ & magnæ, ſicut diſponunt facere plus capit in angulo contiguo dicto Monaſterio, quam ſeptem pedes, prout ipſi Fratres in prædicta eorum conceſſione expreſſerunt, quod laborando & continuando opus ſuum linea recta a dicto angulo, usque in palludem, prout ipſi Fratres intelligebant, ipſi Fratres dicto rivo nocerent, & præjudicarent juribus vicinorum ex alio latere rivi exiſtentis, qui jamdiu gratias habuerunt se ampliandi in dicto rivo, nec non ipſi Fratres venirent habere plus multo eo quod noſtrum Dominium intellexit ſibi dare, & concedere declaraverunt, & determinantes determinaverunt, quod debeant exire & fundamenta ſui operis fiendi ponere in dicto canali recto tramite ab angulo dictæ Scholæ ſilicet & illo quod verſus palludem contiguo cum ſuo Monaſterio, usque in paludem exeundo a dicto capite, usque ad angulum viridarii dicti Monaſteri exeundo a dicto capite verſus paludem extra muros antiquos dicti ſui viridarii a parte inferiori ſui fundamenti de novo fiendo ſolum pedibus undecim prout menſuravimus, quo exibat fundamentum fabricæ dictæ Scholæ in angulo contiguo dicto Monaſterio, ubi debet incipere confinia dictæ eorum conceſſionis, quos pedes undecim ſibi aſſignavimus pro confinio per totum usque in paludem menſurando, ad partem inferiorem fundamentorum, & dicto Monaſterio vigore dictæ gratiæ & ſupraſcripti noſtri Officii conceſſimus a modo cum pleniſſima virtute & poteſtate atterandi, fabricandi, fundandi, elevandi, claudendi, tenendi, poſſidendi, & quicquid ipſis Fratribus, & Conventui placuerit faciendi, nemine eis contradicente. Mandantes Notario noſtræ Curiæ quatenus de prædicta noſtra conceſſione eidem Fr. Dominico Procuratori, ut ſupra, Inſtrumentum conficiat, & exhibeat ad eorum perpetuam tutellam, & hoc noſtræ dationis & tranſactionis gratiæ inſtrumentum perpetuæ firmitatis robur obtineat. Signum ſupraſcriptorum Dominorum Judicum publicorum qui hæc fieri mandaverunt.

Ego Presbyter Franciſcus Gritti Plebanus Sancti Pantaleonis Capellanusque Sancti Marci Venetiarum, & Officii Publicorum Notarius de mandato ſupraſcriptorum Dominorum Officialium Publicorum complevi & roboravi.

DE

DE

MONASTERIO SANCTI DOMINICI DE CASTELLO.

ORdinem Prædicatorum, quem vivens mirifice coluit, moriens etiam ampliſſimo auxit beneficio Marinus Georgio piiſſimus Dux Venetiarum, qui ob morum ſanctimoniam, & ſingularem erga Eccleſias pietatem *Sancti* cognomento non ſemel fuit appellatus. Vir hic eximius *Ducatum*, (ut legitur Tom. II. Chronic. Andreæ Danduli Ducis Tom. XII. Rer. Ital. col. 411.) *aſcenderat anno D.* MCCCXI. *die* XXII. *Auguſti*, *præſuitque Ducatui* X. *menſibus*, & X. *diebus*. Refert deinde ipſe accuratiſſimus Dandulus extremam religioſi Ducis voluntatem his verbis: „ Deinde expirans Monaſterium Fratrum Prædicatorum Sancti Dominici, in ejus ultima voluntate fieri juſſit, & de bonis ſibi a Deo conceſſis ipſum prædotavit. Apud Fratres Prædicatores tumulatus jacet. " Hæc optime concordant cum

Marini

Marini teſtamento, quod biduo antequam e vita decederet, anno ſcilicet Mcccxii. poſtrema die menſis Junii ſcripſit, & in publicas tabulas retulit Petrus Baccarus Primicerius, Caſtellanus Notarius, & Ducalis Aulæ Cancellarius. Hæc ſunt ipſius teſtamenti verba.

„ Item volumus & ordinamus, quod de omnibus noſtris „ bonis tollantur libræ duomille & quingentæ, vel usque ad „ triamille in emendo terram, & in ædificando unum locum „ cum Eccleſia, & aliis officinis ibi conjunctis, ſicut videbi„ tur noſtræ commiſſariæ in Venetiis tantum, & ſpecialiter „ in Civitate Rivoalti, ſi ibi commode fieri poterit; in qua „ Eccleſia & loco volumus, & ordinamus, quod ſint Fratres „ duodecim, qui ſint apti ad celebrandum, & debeant cele„ brare pro anima noſtra perpetuo divina officia, ex quibus „ non poſſint eſſe ultra duo Converſi, qui ibi permanere, & „ habitare debeant in perpetuum, in quibus officiis, & ſpe„ cialiter in miſſis quotidie commemoratio fiat nominis no„ ſtri. Et quod ſemper celebrent anniverſale noſtrum, Patris „ Noſtri, quod debet celebrari die undecimo exeunte Julio, „ & Matris Noſtræ Dominæ Mariæ, quod debet celebrari in „ die Sancti Bartholomæi, & ſupraſcriptæ uxoris noſtræ (A„ gnetis,) atque Hellenæ q. filiæ noſtræ, quod debet cele„ brari die decimo intrante Madii, ubi tunc ſcilicet in di„ cta Eccleſia dicti loci, vel in Eccleſia Sanctorum Joannis „ & Pauli, Ordinis Fratrum Prædicatorum juxta altare Cru„ cis in muro Eccleſiæ verſus Clauſtrum ordinamus nos, & „ uxorem noſtram honorifice jacere, ut noſtri nominis com„ memorationem in Divinis Officiis poſtponere non dedu„ cant. Qui Fratres volumus, quod ſint de Ordine Fratrum Præ„ dicatorum. Et ſi prædicti Fratres Prædicatores dictum locum „ & Eccleſiam non acceptaverint infra unum annum poſtquam „ per noſtros Commiſſarios eis denuntiatum fuerit, tunc vo„ lumus, quod ſimili modo denuncietur & præſentetur Fra„ tribus Ordinis Minorum, qui ſint in ea quantitate, quali„ tate, modo, & ordine, & conditione, ut ſupra dictum eſt „ de Fratribus Prædicatoribus, qui etiam, ſi infra unum annum „ poſtquam per noſtros Commiſſarios eis denunciatum fuerit, „ non acceptaverint, tunc volumus, quod ſit in poteſtate Com„ miſſariorum noſtrorum alios Religioſos exemptos, vel de

D E

MONASTERIO SANCTI DOMINICI DE CASTELLO.

ORdinem Prædicatorum, quem vivens mirifice coluit, moriens etiam ampliſſimo auxit beneficio Marinus Georgio piiſſimus Dux Venetiarum, qui ob morum ſanctimoniam, & ſingularem erga Eccleſias pietatem *Sancti* cognomento non ſemel fuit appellatus. Vir hic eximius *Ducatum*, (ut legitur Tom. II. Chronic. Andreæ Danduli Ducis Tom. XII. Rer. Ital. col. 411.) *aſcenderat anno D.* MCCCXI. *die* XXII. *Auguſti*, *præfuitque Ducatui* X. *menſibus*, *&* X. *diebus*. Refert deinde ipſe accuratiſſimus Dandulus extremam religioſi Ducis voluntatem his verbis: „ Deinde expirans Monaſterium Fratrum Prædicatorum San- „ cti Dominici, in ejus ultima voluntate fieri juſſit, & de „ bonis ſibi a Deo conceſſis ipſum prædotavit. Apud Fratres „ Prædicatores tumulatus jacet. “ Hæc optime concordant cum

Marini

Marini teſtamento, quod biduo antequam e vita decederet, anno ſcilicet MCCCXII. poſtrema die menſis Junii ſcripſit, & in publicas tabulas retulit Petrus Baccarus Primicerius, Caſtellanus Notarius, & Ducalis Aulæ Cancellarius. Hæc ſunt ipſius teſtamenti verba.

„ Item volumus & ordinamus, quod de omnibus noſtris „ bonis tollantur libræ duomille & quingentæ, vel usque ad „ triamille in emendo terram, & in ædificando unum locum „ cum Eccleſia, & aliis officinis ibi conjunctis, ſicut videbi„ tur noſtræ commiſſariæ in Venetiis tantum, & ſpecialiter „ in Civitate Rivoalti, ſi ibi commode fieri poterit; in qua „ Eccleſia & loco volumus, & ordinamus, quod ſint Fratres „ duodecim, qui ſint apti ad celebrandum, & debeant cele„ brare pro anima noſtra perpetuo divina officia, ex quibus „ non poſſint eſſe ultra duo Converſi, qui ibi permanere, & „ habitare debeant in perpetuum, in quibus officiis, & ſpe„ cialiter in miſſis quotidie commemoratio fiat nominis no„ ſtri. Et quod ſemper celebrent anniverſale noſtrum, Patris „ Noſtri, quod debet celebrari die undecimo exeunte Julio, „ & Matris Noſtræ Dominæ Mariæ, quod debet celebrari in „ die Sancti Bartholomæi, & ſupraſcriptæ uxoris noſtræ (A„ gnetis,) atque Hellenæ q. filiæ noſtræ, quod debet cele„ brari die decimo intrante Madii, ubi tunc ſcilicet in di„ cta Eccleſia dicti loci, vel in Eccleſia Sanctorum Joannis „ & Pauli, Ordinis Fratrum Prædicatorum juxta altare Cru„ cis in muro Eccleſiæ verſus Clauſtrum ordinamus nos, & „ uxorem noſtram honorifice jacere, ut noſtri nominis com„ memorationem in Divinis Officiis poſtponere non dedu„ cant. Qui Fratres volumus, quod ſint de Ordine Fratrum Præ„ dicatorum. Et ſi prædicti Fratres Prædicatores dictum locum „ & Eccleſiam non acceptaverint infra unum annum poſtquam „ per noſtros Commiſſarios eis denuntiatum fuerit, tunc vo„ lumus, quod ſimili modo denuncietur & præſentetur Fra„ tribus Ordinis Minorum, qui ſint in ea quantitate, quali„ tate, modo, & ordine, & conditione, ut ſupra dictum eſt „ de Fratribus Prædicatoribus, qui etiam, ſi infra unum annum „ poſtquam per noſtros Commiſſarios eis denunciatum fuerit, „ non acceptaverint, tunc volumus, quod ſit in poteſtate Com„ miſſariorum noſtrorum alios Religioſos exemptos, vel de

„ iſtis ſupradictis, ſi ibi eſſe voluerint, reponere ſecundum modum, & ordinem ſuperius denotatum de quantitate, qualitate, modo, & conditione ſicut noſtris Commiſſariis melius apparebit. Item volumus, quod dicti Fratres ſeu Religioſi, qui erunt in dicto loco in perpetuum, de victu & veſtitu proviſi eſſe debeant de omnibus noſtris redditibus, qui erunt per tempora annuatim, circa libras denariorum Venetorum tercentum, & usque libras tercentas quinquaginta, ſicut dictis noſtris Commiſſariis pro tempore videbitur expedire, valeant præparare, & quotieſcumque, & quandocunque Commiſſarii noſtri invenire non poterunt Religioſos exemptos adimplendi prædicta, debeant remanere loco ipſorum Fratrum in ipſo Monaſterio ſic ordinato infantes, & pueri indigentes minoris ætatis utriusque ſexus, ſicut inferius declarabitur de alio Hoſpitali... Fieri debeat unum Hoſpitale, quod ſemper debeat eſſe exemptum cum Oratorio, & aliis officinis neceſſariis ibi conjunctis, quod debeat teneri in Venetiis, & in Civitate Rivoalti ubi comode fieri poterit, & ſpecialiter prope dictum Monaſterium, quod Hoſpitali volumus & ordinamus eſſe decretatum ad nutriendum & conſervandum infantes, & pueros indigentes minoris ætatis utriusque ſexus pauperes, & indigentes, quibus provideatur annuatim bene, & ſufficienter per noſtros Commiſſarios cum familia ipſis neceſſaria de dictis omnibus redditibus, qui ſupererunt a ſupradictis legatis, illud quod ſic ſufficiens pro victu & veſtitu ipſorum, & eorum familiæ.

Monaſterium itaque, & Hoſpitale moriens ædificanda mandavit religioſus Dux relictis extremæ ſuæ voluntatis executoribus, & Commiſſariis Agnete peramabili (ut ipſe ait) uxore ſua, Zana Sorore ſua, necnon Gracono Dandulo, & Phyoſio Mauroceno Divi Marci Procuratoribus, quos omnes ædium legatarum erectioni præfectos eſſe voluit. Hi itaque animo & voluntate concordes nulla interjecta mora, ut clariſſimi Teſtatoris voluntatem exequerentur, Templum Deo ſub Sancti Dominici invocatione ſacrum, adjectumque ei Cœnobium non ſatis quidem amplum in extrema Venetæ Urbis parte, quæ Orientem reſpicit, haud longe a Cathedrali Baſilica erigi curaverunt; Ea poſtmodum ad perfectionem deducta, anno

no MCCCXVII. die ultima Auguſti Thomas Lauredanus Conventus SS. Joannis & Pauli Prior, cui, adnitente Berengario de Landorra Generali Ordinis Magiſtro, id munus a Joanne XXII. Summo Pontifice fuerat delegatum, Ordinis Prædicatorum nomine ſuſcepit, atque ſub Vicariatus titulo juribus ſui Monaſterii ſubjecit, ſub cujus cura tandiu ſtetit, *donec eidem ſeptuaginta & amplius poſt annos proprium regimen aſſeruit, ac attulit ſplendorem Beatus Joannes Dominici Florentinus*, de cujus laudibus plura attulimus, Operis hujus Dec. I. pag. 117. & ſequent. quemque ad reſtituendam tum in hoc, tum in aliis Ordinis Prædicatorum Monaſteriis collapſam obſervantiam plurimum laboraſſe, jam ſuperius ex Thomæ Senenſis clariſſimo teſtimonio didicimus.

Circa ejusdem Sæculi XIV. finem cum ad ſcindendam Eccleſiam funeſtum ſchisma exortum eſſet, atque Italicæ Provinciæ cruentis factionibus lacerarentur, Monaſterium Venetum S. Dominici, quod in rigida legum obſervantia fundatum fuerat, cœpit ab inſtituto paulatim decedere, ex ea temporum calamitate, qua in omnibus fere Cœnobiis regularis diſciplinæ fervorem tepeſcere, moresque corrumpi, non uno exemplo cognovimus.

Ad evertendam quoque in virorum Cœnobiis antiquam vivendi rationem, plurimum contuliſſe traditur alia eorum temporum calamitas, graviſſima nempe peſtilentia, quæ ex barbaris Scythiæ regionibus egreſſa orientalem plagam primum devaſtavit, mox anno MCCCXLVII. in Europam transgreſſa, Italiam quoque, & Venetam urbem populo magna ex parte viduavit, & plurima virorum Monaſteria ad ſolitudinem pene redegit. Ut hujus vaſtitatis damnum eo, quo fas erat modo, ii, qui ſuperfuerant, repararent ad religioſa inſtituta quoscunque obvios nullo habito ætatis, vel conditionis delectu paſſim aſſumentes exacto vix brevis tyrocinii tempore ad ſolemnia vota admiſerunt, ex quo factum eſt, ut plurimi male morati homines ſacris cœtibus adnumerati peſſimo operum morumque ſuorum exemplo cæteros quoque inficerent, & ad laxam vitæ rationem adducerent. Ut vero ſui Ordinis Cœnobia ad veterem ſanctimoniam revocaret Joannes Dominici, qui ſacris concionibus eo tempore apud Sanctos Joannem & Paulum operam dabat, omni ſtudio incubuit, cumque

ad egregium opus perficiendum per ferventes B. Raymundi a Capua Generalis Magiſtri epiſtolas excitatum ſe ſenſiſſet, nulli labori, nulli ſane incommodo pepercit, ut ſolutam diſciplinam ad priſtinæ obſervantiæ ſtatum omni ratione reduceret. Rem ex Divo Antonino Archiepiſcopo Florentino addiſcimus, qui par. III. tit. XXII. hæc affert. *Hic Joannes fuit ille primus ſuſcitator obſervantiæ regularis in Italia, quæ jam collapſa erat in Ordine Prædicatorum, eam inchoans in Conventu S. Dominici Veneto, cum quibusdam in ſancto propoſito adhærentibus*. Idipſum confirmat Vincentius Fontana in Conſtit. Ord. Prædic. Tit. de Reformat. Ordinis, ubi hæc *reformatio ſequenti anno, videlicet milleſimo tercenteſimo nonageſimo primo de menſe Septembris in Conventu B. Dominici de Venetiis, qui tunc erat deſolatus ex toto, accepit exordium per R. P. Fratrem Joannem Dominici de Florentia Romanæ Provinciæ, & R. P. Fratrem Thomam Ajutamichriſto, qui fuit primus Prior reformationis in eodem Conventu inſtitutus per Magiſtrum Ordinis prædictum*. Ex his inſtruimur anno eodem proprium Veneto Divi Dominici Cœnobio datum fuiſſe Priorem Thomam ſupramemoratum, patria Piſanum, Virum pietate ſpectatiſſimum, quem & Priorem SS. Joannis & Pauli, anno MCCCIVC. fuiſſe, ſuperius retulimus. Ut vero ſtatutum Cœnobii regimen firmaret validius ſupralaudatus Raymundus, Conventum ipſum ſupradicto Joanni Dominico ſpeciali Vicario ſubjecit, unde celebris Congregatio Lombardiæ ſua traxit exordia. Huic itaque adhæſit, donec Clementis VII. decreto ea extincta anno MDXXXI. Provinciæ utriusque Lombardiæ tunc inſtitutæ ſubjectum fuit, in cujus jura nunc etiam perſeverat.

Interea, cum renovati Monaſterii cœtui quamplures adſcribi certatim poſtularent, cœpit virorum numerus majorem in modum augeri, atque priſtinus Religionis fervor mirabiliter refloreſcere. Itaque a Veneta S. Dominici domo, cujus bona fama manabat in dies latius, tamquam a ſeverioris diſciplinæ loco civitatum invitatu miſſæ coloniæ fuerunt, quæ vicina loca ad veteris ſanctimoniæ leges reformarent. Rei teſtimonium perhibet laudati Raymundi Magiſtri Generalis Epiſtola, qui Clodienſi Coloniæ Joannem Dominici Vicarium ſpecialem præfecit, ei *omnem auctoritatem concedens, quam per alias litteras in Conventu Sancti Dominici ſupradicto conceſſe-*

ceſſerat. Eas ex Veneto Sancti Dominici Archivo erutas exhibemus.

„ In Dei filio ſibi chariſſimo Fratri Johanni Dominici de
„ Florentia, Vicario in Conventibus Venetis Ordin. Prædic.
„ Frater Raymundus ejusdem Ordinis humilis Magiſter, &
„ ſervus ſalutem, & Chriſtum Dominum efficaciter imitari.
„ Quia ſumme mihi eſt cordi, tentoria filiorum B. Domini-
„ ci dilatare; & vos propter multitudinem Fratrum, quam
„ habebatis in Conventu Sancti Dominici de Venetiis, cu-
„ jus idem Conventus capax non erat, aliquos ex ipſis Fra-
„ tribus de licentia Provincialis Provinciæ Lombardiæ infe-
„ rioris, ad Conventum Clugienſem noviter tranſtuliſtis; ne
„ dicti Fratres ſic translatati poſſint quomodolibet moleſtari,
„ aut a divino ſervitio impediri, vos in dicto Conventu Clu-
„ gienſi tenore præſentium inſtituo meum Vicarium ſpecialem:
„ concedens vobis omnem auctoritatem in eo, quam vobis
„ conceſſi, & commiſi per alias meas literas in Conventu
„ S. Dominici ſupradicto, cum omnibus clauſulis, & pote-
„ ſtatibus in literis prædictis expreſſis: Nolens, quod aliquis
„ me inferior vos valeat, ſeu audeat in executione dictarum
„ auctoritatum quomodolibet impedire. In cujus rei teſtimo-
„ nio præſentes patentes literas fieri feci, & noſtri Ordinis
„ ſigillo muniri. Datum Romæ die xv. Julii anno Domini
„ MCCCXCII.

Nec Clodiæ ſolum, ſed etiam Tipherni, ſeu in Civitate Caſtelli, Cortonæ, ac Fæſulis ſeveriorem diſciplinam, quam in Venetis Monaſteriis S. Dominici primum, mox Sanctorum Joannis & Pauli magno labore reſtituerat B. Joannes, mirabiliter propagavit, quam tamen in Caſtellano D. Dominici Cœnobio primam originem habuiſſe, teſtatur Fontana par. II. col. 48. Conſtit. ubi hæc affert: " Cum vero B. Raymundus de Capua
„ Generalis Magiſter eliminatum regularis obſervantiæ nito-
„ rem ob communia Eccleſiæ, atque Orbis mala noſtro Or-
„ dini reſtituere decreviſſet, omnibus & ſingulis Provinciis,
„ ut unum Conventum pro regulari obſervantia exacte ad-
„ implenda eligerent, imperavit, datis de hoc literis Romæ
„ die 1. Novemb. an. MCCCXC. In hujus igitur Decreti execu-
„ tionem aliqui Patres regularis obſervantiæ amatores, inter
„ quos recenſentur Jo. Dominici de Florentia, Thomas Aju-

tami-

„ tamichriſto de Piſis, Thomas de Senis, Hieronymus a Fulgineo, Marcolinus Foroliviensis, Nicolaus de Ravenna, & Robertus de Neapoli, eamdem in Italia reſtituendam curavere, ac propterea aliqui ex ipſis in Conventum S. Dominici de Venetiis Fratribus deſtitutum, ſe recipientes ſub prædicto P. F. Thoma Ajutamichriſto de Piſis, (quem Magiſter Ordinis Priorem inſtituit, ut in prima par. de Refor. Ordinis diximus) exactiſſimam vivendi formam juxta Conſtitutionum noſtrarum tenorem amplexati fuere; ex quo loco poſtea, tanquam virtutum omnium uberrimo Seminario in plurimos Lombardiæ Conventus ſeſe mirabiliter divina cooperante gratia diffudit, ex quibus Congregatio Lombardiæ vitæ Regularis (ita enim in Actis Capitulorum Generalium, & Regeſt. Magiſtrorum Ord. nuncupabatur) coaluit. " Annum quoque, & menſem inductæ reformationis idem author par. 1. de Reformat. Ordin. col. 563. ſignat his verbis: " Prædictis igitur rationibus Cardinalis Oſtienſis convictus, contradicentibus Fratribus patrocinari deſtitit, & B. Raymundus Reformationem in Conventu S. Dominici de Venetiis auſpicatus, Fratrum ex Provincia Romana opera uſus eſt. Ita enim in tractatu de Reformatione Religioſorum, Auctore B. Raymundo de Capua Volumini cuidam Actorum Capitulorum Generalium annexo refertur. Quibus literis dictus Dominus (ſcilicet Cardin. Oſtienſ.) informatus, taliter poſtmodum eſt ſecutum, quod dicta Ordinis Reformatio ſequenti anno, videlicet MCCCXCI. de menſe Septembris in Conventu Beati Dominici de Venetiis, qui tunc erat deſolatus ex toto, accepit exordium per R. P. F. Joannem Dominici, (qui poſtmodum a Gregorio XII. anno MCCCCVIII. fuit S. R. E. Card. creatus) de Florentia Romanæ Provinciæ, & R. P. F. Thomam Ajutamichriſto de Piſis, qui fuit Primus Prior Reformationis in eodem Conventu S. Dominici inſtitutus per Magiſtrum Ord. " quæ omnia perfecte opuſculo Beati Thomæ Senenſis concordare noſcuntur.

Monaſterium itaque S. Dominici, quod dudum alteri Sanctorum Joannis & Pauli, ſub Vicariatus titulo, ſubjectum erat, in Prioratum decernente Generali Ordinis Magiſtro anno MCCCXCI. erectum fuit, primusque ejus Prior inſtitutus Fr. Tho-

Thomas Ajutamicristo, vir religione, & prudentia eximius, quo Monaſterium adminiſtrante primo ſui regiminis anno, *cum tamen intraſſet annus* MCCCXCII. *intravit Ordinem in dicto Conventu S. Dominici quidam Nobilis dictus Frater Johannes Benedicto de Venetiis*, ut in ſæpe laudato opuſculo refert teſtis omni exceptione major Thomas Antonii de Senis, cujus authoritate eorum refellenda eſt ſententia, qui Johannem Benedictum Patriarcham Gradenſem electum, moxque Epiſcopum Tarviſinum conſecratum, ad Cœnobium aſſerunt SS. Johannis & Pauli pertinere. Vir hic, cujus mentionem ingeſſimus tum ad Monaſterium Corporis Domini, tum ad Eccleſiam S. Silveſtri, a parentibus militiæ clericali deſtinatus paternas ædes majoris perfectionis deſiderio clam reliquit, atque *Conventum* (ut ait Joannes Nyder in Formic. lib. I. cap. x.) *noſtrum intravit reformatum*, in quo adeo ſanctimonia doctrinaque illuxit, ut Petro Amelio Patriarcha Gradenſe ad Alexandrinam Sedem translato Bonifacius IX. cui Joannis noſtri merita virtuteſque innotuerant, ipſi Gradenſes infulas ultro obtulerit, quas ipſe tamen conſtantiſſima animi humilitate recuſavit. Joannis vero electionem ad Patriarchale onus cum accepiſſet alter Joannes Dominici, qui tunc Venetiis aberat, ornatiſſimam ei epiſtolam dedit ejuſdem anni MCCCC. die XXIV. Auguſti, quam in Cl. V. Biſcionii collectione omiſſam dignam quidem cenſeo, ut in lucem proferatur non tam ad eruditorum notitiam, quam etiam multoque magis ad eorum inſtructionem, qui Epiſcopales, aliaſque Eccleſiaſticas dignitates aſſumunt.

„ Mens anxia multum (ait ille) prope manibus calamum „ negat, & ſilentium imperat mutum, tum propter funera „ cara, quæ recenter tumulis tradita ſunt (nempe infra tri„ginta ſex horas tres ſubditos ſatis dilectos e manibus no„ſtris terra ſuſcepit, cœlum animabus, ut credimus, peten„tibus læte, ex quibus unus ſolus erat profeſſus, videlicet „ Frater Franciſcus de Piſauro;) tum etiam propter alias „ occupationes innumeras, & languentium intus & extra, „ quibus plenum eſt templum & atrium, neceſſarias curas „ vigilantiam exigentes non parvam. (1) Accedit ignorantia „ cœ-

(1) Inter Italos ſcriptores, qui hanc ſeviſſimam luem memorarunt, Divus Antoninus part. III. tit. XXII. hæc habet: *morbus ille contagioſus a* MCCCC. *anno graſſatus eſt, ita ut prope tertiam partem viventium abſumeret, uſque ad annum* MCCCCLVII. *in quo vivimus*.

„ tamichriſto de Piſis, Thomas de Senis, Hieronymus a Ful-
„ gineo, Marcolinus Forolivienſis, Nicolaus de Ravenna, &
„ Robertus de Neapoli, eamdem in Italia reſtituendam cu-
„ ravere, ac propterea aliqui ex ipſis in Conventum S. Domi-
„ nici de Venetiis Fratribus deſtitutum, ſe recipientes ſub
„ prædicto P. F. Thoma Ajutamichriſto de Piſis, (quem Ma-
„ giſter Ordinis Priorem inſtituit, ut in prima par. de Refor.
„ Ordinis diximus) exactiſſimam vivendi formam juxta Conſti-
„ tutionum noſtrarum tenorem amplexati fuere; ex quo lo-
„ co poſtea, tanquam virtutum omnium uberrimo Seminario
„ in plurimos Lombardiæ Conventus ſeſe mirabiliter divina
„ cooperante gratia diffudit, ex quibus Congregatio Lombar-
„ diæ vitæ Regularis (ita enim in Actis Capitulorum Gene-
„ ralium, & Regeſt. Magiſtrorum Ord. nuncupabatur) coa-
„ luit. “ Annum quoque, & menſem inductæ reformationis
idem author par. 1. de Reformat. Ordin. col. 563. ſignat his
verbis: “ Prædictis igitur rationibus Cardinalis Oſtienſis con-
„ victus, contradicentibus Fratribus patrocinari deſtitit, &
„ B. Raymundus Reformationem in Conventu S. Dominici
„ de Venetiis auſpicatus, Fratrum ex Provincia Romana
„ opera uſus eſt. Ita enim in tractatu de Reformatione Re-
„ ligioſorum, Auctore B. Raymundo de Capua Volumini cui-
„ dam Actorum Capitulorum Generalium annexo refertur.
„ Quibus literis dictus Dominus (ſcilicet Cardin. Oſtienſ.)
„ informatus, taliter poſtmodum eſt ſecutum, quod dicta Or-
„ dinis Reformatio ſequenti anno, videlicet MCCCXCI. de men-
„ ſe Septembris in Conventu Beati Dominici de Venetiis,
„ qui tunc erat deſolatus ex toto, accepit exordium per R.
„ P. F. Joannem Dominici, (qui poſtmodum a Gregorio XII.
„ anno MCCCCVIII. fuit S. R. E. Card. creatus) de Floren-
„ tia Romanæ Provinciæ, & R. P. F. Thomam Ajutamichri-
„ ſto de Piſis, qui fuit Primus Prior Reformationis in eo-
„ dem Conventu S. Dominici inſtitutus per Magiſtrum Ord. “
quæ omnia perfecte opuſculo Beati Thomæ Senenſis concor-
date noſcuntur.

Monaſterium itaque S. Dominici, quod dudum alteri Sanctorum Joannis & Pauli, ſub Vicariatus titulo, ſubjectum erat, in Prioratum decernente Generali Ordinis Magiſtro anno MCCCXCI. erectum fuit, primusque ejus Prior inſtitutus Fr. Tho-

Thomas Ajutamichriſto, vir religione, & prudentia eximius, quo Monaſterium adminiſtrante primo ſui regiminis anno, *cum tamen intraſſet annus* MCCCXCII. *intravit Ordinem in dicto Conventu S. Dominici quidam Nobilis dictus Frater Johannes Benedicto de Venetiis*, ut in ſæpe laudato opuſculo refert teſtis omni exceptione major Thomas Antonii de Senis, cujus authoritate eorum refellenda eſt ſententia, qui Johannem Benedictum Patriarcham Gradenſem electum, moxque Epiſcopum Tarviſinum conſecratum, ad Cœnobium aſſerunt SS. Johannis & Pauli pertinere. Vir hic, cujus mentionem ingeſſimus tum ad Monaſterium Corporis Domini, tum ad Eccleſiam S. Silveſtri, a parentibus militiæ clericali deſtinatus paternas ædes majoris perfectionis deſiderio clam reliquit, atque *Conventum* (ut ait Joannes Nyder in Formic. lib. I. cap. X.) *noſtrum intravit reformatum*, in quo adeo ſanctimonia doctrinaque illuxit, ut Petro Amelio Patriarcha Gradenſe ad Alexandrinam Sedem translato Bonifacius IX. cui Joannis noſtri merita virtuteſque innotuerant, ipſi Gradenſes infulas ultro obtulerit, quas ipſe tamen conſtantiſſima animi humilitate recuſavit. Joannis vero electionem ad Patriarchale onus cum accepiſſet alter Joannes Dominici, qui tunc Venetiis aberat, ornatiſſimam ei epiſtolam dedit ejuſdem anni MCCCC. die XXIV. Auguſti, quam in Cl. V. Biſcionii collectione omiſſam dignam quidem cenſeo, ut in lucem proferatur non tam ad eruditorum notitiam, quam etiam multoque magis ad eorum inſtructionem, qui Epiſcopales, aliaſque Eccleſiaſticas dignitates aſſumunt.

„ Mens anxia multum (ait ille) prope manibus calamum
„ negat, & ſilentium imperat mutum, tum propter funera
„ cara, quæ recenter tumulis tradita ſunt (nempe infra tri-
„ ginta ſex horas tres ſubditos ſatis dilectos e manibus no-
„ ſtris terra ſuſcepit, cœlum animabus, ut credimus, peten-
„ tibus læte, ex quibus unus ſolus erat profeſſus, videlicet
„ Frater Franciſcus de Piſauro;) tum etiam propter alias
„ occupationes innumeras, & languentium intus & extra,
„ quibus plenum eſt templum & atrium, neceſſarias curas
„ vigilantiam exigentes non parvam. (1) Accedit ignorantia
„ cœ-

(1) Inter Italos ſcriptores, qui hanc ſæviſſimam luem memorarunt, Divus Antoninus part. III. tit. XXII. hæc habet: *morbus ille contagioſus a* MCCCC. *anno graſſatus eſt, ita ut prope tertiam partem viventium abſumeret, uſque ad annum* MCCCCLVII. *in quo vivimus*.

,, cœca, & inſuetudo ſcribendi, quæ gratia fili me nudum
,, fecere, balbutienti linguæ ex toto ingenio facto, ita ut
,, jam pudeat profari aut ſcribere. (2) Quamquam vero im-
,, patiens amor, & nimis forſan ratione carens, & modo,
,, omnis debiti frangit habenas, & in loquacem ſermonem
,, imperatum ſilentium vertit. Igitur olim dilecte fili, ſed
,, nunc Reverende Pater quinimo Reverendiſſime ave Pater Pa-
,, triarcha, qui ſonat Pater patrum. Suſcipe ſimplicis homi-
,, nis verba ſimplicia, ſed de amoris ſinceri divite fonte pro-
,, lata. Vigeſima tertia menſis præſentis de Roma ſuſcepi, te
,, in Patriarcham Gradenſem promotum. Si per oſtium intra-
,, ſti, & non aliunde, gaudeo plane. Non utique lætor, quod
,, te amiſerit Ordo, ſed ejus caſum deploro; ipſius namque una
,, fortior columna, qua tota credebatur fabrica ſuſtentari, pro
,, certo eſt ab illo remota. Te utique defleo Patrem a me
,, profeſſione, non corde diviſum. Gaudeo tamen, te Patriar-
,, cham effectum propter Domini Dei potiorem honorem,
,, commune bonum præponendo privato. O Reverendiſſime Pa-
,, ter, & mi Domine plurimum venerande, quanto periculo,
,, ad caſum animarum multarum, iniquorum occaſione Pa-
,, ſtorum jugiter nomen Domini blaſphematur nefande: ava-
,, ritia videlicet cæca, ambitione ſuperba, impudica laſcivia,
,, & gula mortali ipſos præcipue, ut interim ſileam de cæ-
,, teris malis, agentibus indefeſſe: a quibus cladibus divina
,, gratia in hodiernum diem, & te præſervavit illæſum, &
,, fortem athletam armavit, atque expugnatorem felicem. Pal-
,, mam adeptum populis multis te conceſſit benigne: libera-
,, ſtique multos ab ipſorum tyrannide forti, verbo pariter
,, & exemplo. Spero ergo, jamque ſpe certa conſpicio, non
,, ſo-

(2) Joannem Dominici a nativitate balbum fuiſſe teſtatur in Chronic. ms. Monaſterii Corporis Domini ornatiſſima Virgo Bartholomæa Riccobona; quo linguæ vitio cum meritis Divæ Catharinæ Senenſis ſolutus fuiſſet, eximius inde verbi Dei diſpenſator effectus eſt, ita ut quam plurimos ſuis concionibus è vitiorum cœno eductos, ad Chriſtianæ vitæ perfectionem deduxerit. Hæc ſunt ſinceriſſimæ Chronographæ verba: *El ſo mandato a Parixe, e tornò in poche tempo pieno de molta ſciencia. El dixe, che ſempre lo haveva deſiderio de convertir pure aſſae aneme a Dio; ma perchè al jera balbeto, el dubitava de non eſſer intexo. Aldando delle virtù de S. Catarina da Siena, che in quel tempo jera morta, & feva de gran miracoli, el ſe racomanda a ella de poder eſſer intexo: e cuxi lave la gracia, per tal che in quel tempo non jera più excellente predicator de lui.*

„ ſolum Venetum populum, ſed populos plures exemplo ſan-
„ cto tuo permotos, pietatis manum aperuiſſe inopi, & pal-
„ mas ad pauperes extendiſſe. Jam video miſeros ſubleva-
„ tos, & de tanto patrono plurimum gaudentes. Vere hic
„ eris Patriarcha pauperum, & Chriſti pauperis in membris
„ ſuis miſerator benignus. Alium jam te Martinum intueor
„ veſte propria propter egentes nudatum, & niſi veſtiaris ut
„ pauper, ſacra miſſarum ſolemnia celebrare non vales. Pro-
„ pter hoc credo, divina bonitate inſpirante, ejusdem Mar-
„ tini devotionem præcipuam tuo cordi, etiam a cunabulis
„ fuiſſe impreſſam, ut ſcires videlicet, qualem patronum te
„ decet imitari. Nempe tecum ab infantia, ut ſoror, miſe-
„ ratio crevit, & viſcera pauperibus condiviſit. O quotiens
„ te vidi a te derelictum, & omne commodum carnis tibi
„ negatum propter afflictorum ſalutem! Quid etiam jam fa-
„ cies de bonis pauperum dives effectus, & eorum, ut præ-
„ fertur, Patriarcha promotus? Te utique certe es venditu-
„ rus, & tantæ charitatis fulgentibus radiis eos, qui te vide-
„ rint, ardentius provocabis ad eleemoſynas ſanctas; veſtigia
„ ſiquidem ſequens Patris tui Dominici, cujus vitam, & ha-
„ bitum usque ad horam præſentem illibate ſervaſti. Non
„ pudeat, Fili, jam reverendus Pater effectus, ſi etiam igno-
„ rantia tetra tabeſces, fore te ſupplico aviſatum caritate
„ ſincera, quod Eccleſiarum divitiæ Præſulibus creduntur:
„ non dico, ut inde amore, vel ſanguine ſibi junctos ex
„ ipſis reficiant atque ditent, ad quod malum te nunquam
„ credo venturum: ſed nec etiam pro calamiſtratorum ſer-
„ vorum, & equorum pinguium turba paſcenda: ſed tantum
„ ut deductis expenſis pro fabrica debitis, & parco, arctoque
„ cibo, & ſui vili veſtitu, alant pauperes & egenos. Oro
„ ſupplex, ne ſtomachatus extemplo, ſimplicitatem meam
„ ſpernendo derideas. Novum namque videor dixiſſe, & cun-
„ ctis Paſtoribus (etiam qui ſancti judicantur a populis, qui-
„ que juxta dignitatis ſuæ gradum ornatu famulorum vallan-
„ tur) detraxiſſe. Qui proh dolor! etiam illud Salamonis
„ adimplent: *ubi multæ ſunt opes, multi ſunt qui devorant*
„ *eas*. Tibi namque non pulveroſos pedes, ſed caput ex auro
„ optimo imitandum propono, Dominum ſcilicet Jeſum Chri-
„ ſtum, cujus amore te ſæpe languidum vidi, & deficientem

„ præ dulcedine ſui te cadentem inter ulnas ſuſcepi. Hic
„ hic, Patriarcha perdulcis, *non venit miniſtrari, ſed miniſtra-*
„ *re; & animam ſuam redemptionem dare pro multis*. Hunc
„ Pater cæleſtis cum Apoſtolis tibi, & toti orbi ſequendum
„ indixit, ingerens: *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi*
„ *bene complacui, ipſum audite*. (Hic eſt filius meus dile-
„ ctus.) Hoc ſæpe revolve mente ferventi, quia hoc eſt dul-
„ ciſſimum cordi, & faucibus dulcius, quam favus mellis. O
„ quantum dilectus! Aliquando guſtaſti, ad fontem tamen non
„ perveniſti: aſcende, ut reficiaris in fonte. Nunquam rece-
„ dat a corde; *ipſum audite*; ſed ſit tibi vita ipſius ſemper
„ ante mentis oculos ſita: & Patriarchatus officia ages ſine de-
„ fectu, ſi videlicet a ſuis veſtigiis ſanctis tuos greſſus nun-
„ quam deflectas. Dic æterno Patri opere ſimul & corde,
„ quod ſæpe lingua profaris eidem: *lucerna pedibus meis ver-*
„ *bum tuum, & lumen ſemitis meis*. Hic ergo Sanctus San-
„ ctorum, non ſolum Patriarcha, ſed Patriarcharum Creator,
„ & totius orbis ſummus Monarcha terrenis famulis caruit
„ quantum ad uſum, quandiu nobiſcum vixit in carne: &
„ itinere feſſus, ad exemplum potius, quam neceſſitate co-
„ gente, non phaleratis equis, ſed humili inſedit aſello. Non
„ tamen ſolus Dominus orbis manebat: habebat ſane diſci-
„ pulos ſanctos, cum quibus tanquam unus ex illis, aut de
„ verbo vitæ tractabat, aut orans docebat orare, vel coram
„ quibus ſubditorum operabatur ſalutem. O ſi poſſes (quia
„ potes, ſi voles, voleſque, ſi omnes humanos reſpectus cal-
„ cabis) Eccleſiam tibi venerandam commiſſam, ad felicem
„ priſtinum reducere ſtatum, aliaſque exemplis tam ſaluberri-
„ mis viſis; ut quæ olim conſumpſerunt pompa ſervorum &
„ equorum, tu inter pauperes, pauper effectus tibi, & eis uni-
„ verſa bona diviſa miniſtres! O quanti meriti eris apud Altiſſi-
„ mum, qualiaque præmia ſuper te manebunt in patria? Ne-
„ quaquam dixi prohibens ſervos, ut maneas ſolus; ſed habes
„ quam multos; quos tecum potes, & debes ſalubriter reti-
„ nere. Et ut de cæteris ſileam; Reverendum Fratrem Tha-
„ dæum, & Dominum Ægidium lateribus tuis adhuc infan-
„ tilibus junge: quorum primus Theologiæ, alter Juris Cano-
„ nici claro lumine fulget, non tantum verbis, ſed facto,
„ verborum foliis præponendo ubique. Sed nunquam te dam-

„ na-

„ nabo .... tecum turbam ſervorum. Meum utique
„ non eſt judicare: ſed qui me judicat, & iſtum, & illum,
„ Dominus eſt. Sed quid hic ſentiam, brevi ſermone com-
„ plectar. Præſulum equidem eſt ſubditorum ſuorum ſaluti,
„ in utroque homine providere: & non tantum verbis & fa-
„ ctis docere, ſed neceſſaria miniſtrare pro poſſe, confortare
„ debiles, diſcolis minas inferre, citare dubios, & rebelles
„ quoque etiam violenter de portis inferi revocare. Ad hæc
„ ergo ſolertius peragenda neceſſaria fuit obſequentium co-
„ mitiva, qui etiam merito, vita, & habitu a cæteris ſo-
„ lent diſtingui; ad reverentiam ſcilicet populorum ſibi ca-
„ ptandam. Et quia nonnunquam ſine brutis commode ta-
„ lia fieri non poſſunt, etiam bruta de bonis pauperum,
„ propter utilitatem ipſorum Præſul ſanctus poteſt nutrire:
„ & barchas ſive cimbas habere: quinimo peccaret oppo-
„ ſitum agens. Ex hoc ergo ſancto principio orta eſt mul-
„ to iniqua ſequela; ut ſcilicet quæ debentur egenis, ſine
„ populi commodo ornati mancipii conſumant & equi præ-
„ grandes. Tu autem ages prudenter, ne rapinæ reus, qui-
„ nimo Sacrilegii peſſimi arguaris a Domino, quem latere
„ nihil poteſt: ſed ſis *fidelis ſervus & prudens quem conſti-*
„ *tuit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore*
„ *tritici menſuram*. Tibi namque viam præparavit ſatis fide-
„ lem tuus prædeceſſor venerandus & Sanctus Patriarcha Qui-
„ rino. (3) Vidiſti, quod contra avaritiam Præſulum agens,
„ etiam pompæ detraxi; quia non ſolum reor, & fieri exo-
„ ro, ut tua fulgida vita credita bona fideliter diſpenſentur:
„ ſed etiam ut ſuperborum faſtus inflati, ſæcularium Princi-
„ pum, quinimo feminarum, & Regum vanos apparatus vin-
„ centes, totaliter deponantur. Tu namque ſæculo dives,
„ ſpectabilis domo, civitate inſignis, verbo glorioſus, refer-
„ tus amicis, dignitate ſublimis, & commiſſis divitiis ſatis
„ abundas, cæteriſque pollens, quæ ambitionis ſolent indu-

(3) Is eſt Franciſcus Quirinus de quo ſæpe ſæpius laudes attulimus, qui Parœcialem primo D. Mariæ Formoſæ Eccleſiam rexit, mox ad Juſtinopolitanas & deinde ad Cretenſes, & poſtremo ad Gradenſes inſulas evectus fuit, cujus ſanctitati illuſtre teſtimonium perhibet Joannes Dominici, dum illum ſucceſſoribus ſuis *viam ſatis fidelem* præparaſſe aſſerit.

„ cere cultum, ita ut forſan non ſit in tua patria ſimilis. Si „ ergo humilitatem ſervaveris, quam tibi olim uxorem junxiſti certe facies quæ rogaris: quinimo exigente juſtitia, & „ ratione cogente humilitas creſcet. Noſti equidem experientia longa docente, uxorem cum viro, & non contra, gradus mutare: omnis namque uxor Ducis vocatur Duciſſa; „ ſed non omnis vir Duciſſæ Dux nuncupatur. Hoc eſt tibi „ notum, ſi penſes Duciſſam viduam iterum copulari marito. „ Si ergo tuæ ſponſæ humilitati percaræ injuriam non vis „ irrogare, ei concede gradum tibi conceſſum: & ſicut tu „ homo hominum es Patriarcha, ita ipſa ſit omnium humilitatum Patriarchiſſa. Nullus ergo ſit regularis vel ſæcularis, „ vir vel fœmina, qui audeat tuam humilitatem præire; ſed „ eam omnibus anteponas. Sic te docet Scriptura ſacra, quam „ ex amore ſemper tecum conſueviſti geſtare; ut ſcilicet „ *quanto major es, te in omnibus humilies:* quia ſic egit Chriſtus homo Deus, cui ſedem in tua mente jam dudum paraſti. Ratione utens inſuper, hoc ages indubie. Sic enim, „ quod quanto amplius res quælibet ad aliquod extremorum „ accedit, tanto magis de ipſius extremi proprietatibus ſumit. „ Hæc ſatis ſentis, cum ad ignem propinquas. Quia ergo in „ dignitate nunc es Deo propinquior ſolito, & vocitaris ut „ ipſe, & officium geris ipſius; (quanquam olim prædicando, officium Apoſtolicum exercebas) de humilitate ipſius „ Dei & hominis plus ſolito debes habere. Non vacat in „ plurimis occupato contra ſtomachabiles Præſulum pompas „ in veſtibus, & famulis, menſis, & equis, & mille cæteris „ malis exclamare. Non ſentio, atque non expedit, quia talia hactenus abhorrebas: & hac forſan de cauſa ſilvas petis, „ cum Gregorio Papa (4) fugiens gradum, ad quem ſine tuo „ velle fuiſti promotus. Revertere fili, revertere Pater, ut „ Domino ſub humilitatis theſauro lucriſacias multos. Spero „ namque quod cito tibi adhærebit venerabilis Præſul Caſſinenſis Nobilis Barbadico, (5) & cuncti qui te viderint:

„ & eo-

(4) De S. Gregorio Magno illuſtre humilitatis exemplum traditur, quod ad Pontificiam Divi Petri Sedem aſſumptus clam ſe ſubduxerit, tandiuque in ignoto loco latuerit, donec igneæ columnæ indicio inventus conſecratus fuit.

(5) Eo tempore Monaſterio S. Georgii Majoris præerat Abbas nomine Carolus, de quo, cum multa documenta etiam Pontificia mentionem faciant, nullibi

„ & eorum nomina ſunt in libro vitæ conſcripta. Satis ad
„ iſtam virtutem te vocat titulus tuus. Factus es Patriarcha
„ Gradenſis. Ad Gradum vocaris. Exigua eſt terra, ſed di-
„ gnitas extat inſignis: quia humilitas parvulos facit in ter-
„ ra, ſed in Cœlo maximos valde. Ad Gradum vocaris. Gra-
„ dus carpe, gradum gradui junge, & ſcalam humilitatis
„ compone: per quam poſt te ad Deum aſcendant, quos du-
„ dum ad viam humilitatis ferventi verbo, utriusque ſexus
„ catervam traxiſti; aliosque quos adhuc trahere non potuiſti
„ de ſuperbis vanitatibus mundi, quibus maxime tuum ſolum
„ abundat, utpote divitiis multum refertum, Tibi a Domi-
„ no per hanc viam reſervatos ſalvandos. Non te latet, or-
„ bis princeps cæleſtis, me ad finem ſcripturæ velociter fe-
„ ſtinare propter varias occupationes hinc inde vocatum. Dum
„ namque præſentes papyro trado ſermones, ab altari, non-
„ dum *Pater noſter* incœpto, cadit ut mortuus Frater Petrus
„ Paulus vulneratus a peſte: unde cogor capitulum tertium,
„ quod de pudicitia erat ſcribendum, tranſire: forſan Deo ju-
„ bente, quoniam expedit minus hæc doctrina, quia a cuna-
„ bulis flores, itaut nedum mens, ſed ne ſenſus ſentiret car-
„ nis pruritus. Non ſolum cum Bernardo latrones adeſſe, cla-
„ maſti: ſed ignem cum Benedicto, Frater Joannes Benedicte
„ fugiſti. Silere tamen ex toto non poſſum, quinimo tuis pe-
„ dibus jaceo provolutus, cum lacrymis orans, ut tui dilectiſ-
„ ſimi amatoris pariter & amati miſerearis Domini Jeſu Chri-
„ ſti, ut non patiaris ſub tuo ſceptro potenti ipſum iterum
„ crucifigi neſande a manibus impudicorum Sacerdotum. Pel-
„ le de ſede tua omni jure, quo vales, clericos uxoratos, con-
„ cubinarios, & laſcivos. Para munda vaſa mundiſſimo Domi-
„ no; ſciens, te non parum peccaſſe, ſi non obſiſtas pecca-
„ tum cum vales. Hoc ages quam glorioſe ſi non hominum
„ terrores formides, nec malorum requiras favorem. Nempe
„ horum duorum neutrum, te ſervum Chriſti eſſe permittet.
„ Abſit

bi tamen ejus agnomen invenitur: ſi itaque pro Præſule Caſſinenſi intelli-
gendus veniat S. Georgii Abbas, agnomen ejus ex hac Epiſtola ſupplendum
erit. Non tamen ille eſt, qui concionem habuit anno MCCCCXVI. in fune-
re Paulæ Matris Joannis Dominici Cardinalis; eo enim anno Monaſterii
S. Georgii Majoris Abbas recenſetur Joannes Michael.

„ Abſit utrumque a Patriarcha quocunque, quem ſemper in-
„ cedentem Crux Chriſti præcedit, ut ſcias, te pro Crucifixo
„ inceſſanter debere pugnare, Chriſti Crucem portare, per
„ Crucem te ad patriam cum Crucifixo tranſiturum. Si ubi-
„ que Crucem defenderis, crucem non formidabis pro Chri-
„ ſto. Pro particula quarta tantum breves, ſed cordiales pre-
„ ces expono: ſcilicet, ut ſolitum cibum, parcum, & vilem
„ non mutes: niſi fortaſſis de quantitate diminuas, ſicut ſolito
„ minus te corporaliter occuparit, erit neceſſe: quia ſaluti
„ proximorum deditus olim, omnem quietem die noctuque
„ corpori tuo negabas. Sed infra arctitudinem Domus tuæ ju-
„ ra redditurum petentibus, & ſuſcepturum egenos Dominos
„ tuos, te oportune manere; atque veloces diſcurſus in gra-
„ tam ſeſſionem mutare. Ergo quantitas, non qualitas erit
„ ciborum pro corporis tui ſalute mutanda. Oro, te non fal-
„ lat Venerabilis Pater carnis tuæ importuna ſuggeſtio, me-
„ dicorumque etſi rationalis doctrina, experientiæ tamen veri-
„ tatis magiſtræ contraria multum. Hi enim piſcium, & ovo-
„ rum, olerum, & caſei eſum condemnant, in carnibus præ-
„ cipue & neglecto jejunio humani corporis ſalutem ponen-
„ tes: ſed tu jam oppoſitum cum tuis aperte vidiſti pœni-
„ tentiæ ſanctæ amator factus infidelis. Legiſti etiam fre-
„ quenter tam in Biblia, quam in ſcriptis Hieronymi glorioſi
„ ſanctorum Patrum abſtinentium vitam, & a morbis quibus
„ inabſtinentes laborant, alienam fuiſſe, atque multum lon-
„ gævam. Conſilia talium a te abdica ſanus; & aut medicum
„ honora, cum tibi fuerit neceſſe, quoniam *propter neceſſita-*
„ *tem illum creavit Altiſſimus*, aut ſequeris dicentem, *Medi-*
„ *cinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, ſed habeo*
„ *Dominum Jeſum Chriſtum, qui ſolo verbo reſtaurat univer-*
„ *ſa*: & hoc laudo ſumme. Erit namque tibi, ſi voles, cibo-
„ rum parſimonia ſancta mentis & corporis ſalus, non ſolum
„ morbos curans illatos, ſed præcavens a futuris. Ergo me-
„ mor voluntariæ profeſſionis tuæ, ut etiam non careas ſuffra-
„ giis Fratrum tuorum (quia non vales ſpernere ſine pecca-
„ to, quæ Ordinis ſunt) quantum potes obſerva: ſciens, quod
„ Patriarchatuum principalium omnis Eccleſia Baptiſtæ eſt in-
„ titulata Joanni, ad hoc ut Patriarcha conetur proſequi vi-
„ ctu & veſtitu Novi Teſtamenti primum Patriarcham Joan-

„ nem,

„ nem, cujus vita eſt tibi nota. Comitem tuum ſacræ Scri-
„ pturæ Codicem accepiſti: nunc tibi neceſſarium magis. Hu-
„ jus ergo ſemper lectiones frequenta: & cum volueris intel-
„ lectui cibum mutare, libellum quem Pater ad Filium, Ab-
„ bas ad Papam, Bernardus ad Eugenium ſcripſit, in mani-
„ bus ſume, ubi reperies, quæ ad tuum pertinent ſtatum, quæ
„ brevitati ſtudens non ſcripſi. Neceſſitas, non voluntas, ver-
„ bis cœteris interruptis finem imponit. Et quia gradus perſo-
„ nales ex propria voluntate acceptare non debes, ſed renun-
„ ciare, (& in hoc laudo fugam tuam, qui latebras quæris,
„ ne Patriarchatum a ſummo Pontifice tibi oblatum accepta-
„ re cogaris,) omni auctoritate, qua valeo juris, vel amoris
„ tibi præcipio, ut ſi es ſine Simonia promotus, electionem
„ quinimo Eccleſiam tibi commiſſam acceptes: ſciens, ex hoc
„ ſi fideliter egeris magis onerari, quam honorari. Diſpenſa-
„ tio enim tibi committitur, non rapina: vigilantia ſuper gre-
„ gem Dominicum, non voluptas, ſive corporis quies. Qui
„ ergo cum Chriſto, Martino, Ambroſio, & Gregorio fugi-
„ ſti, revertere cum eisdem, Domino te vocante; alias ca-
„ ve. In Chriſto vale. Scriptum cum feſtinantia multa, &
„ interruptione frequenti xxiv. Auguſti Mcccc. Tuus ubique
„ & ſemper Frater Joannes Dominici &c. *ſine loco*.

Quamvis autem Patriarchales infulas detrectaſſet Joannes de Benedictis, Epiſcopalem tamen Tarviſii ſedem biennio vix expleto adire compulſus eſt, quam ſancte adminiſtravit usque ad annum Mccccxxxiii. Plura de eo in Italia Sacra Venetæ editionis Tom. v. col. 552. & 562.

Simul cum Joanne de Benedictis, Dominicanæ Familiæ nomen dedere quidam alii Veneti, quos inter Frater Antonius Corrario, qui Brixienſis primum Epiſcopus electus, mox jubente Gregorio XII. ejus patruo ad Cenetenſem Eccleſiam deductus fuit. Quamvis autem ex ejus teſtamenti fragmento, quod ſuperius attulimus ad Monaſterium SS. Joannis & Pauli, eidem Monaſterio adſcribendus eſſe videatur, attamen ex optimi viri Thomæ de Senis teſtimonio ad alterum Sancti Dominici Cœnobium pertinere dicendum eſt, cum in eo aſſumpto religioſo habitu Dominicanæ militiæ nomen dederit. Eodem Thoma Ajutamichiſto adhuc in S. Dominici ædibus Priore, *quidam Frater Joannes de Duracio de Provincia*

Dal-

Dalmatia, (ita ſupralaudatus Thomas de Senis,) *Epiſcopatui renuntiavit odore obſervantiæ regularis attractus*, atque in Cœnobio Sancti Dominici reliquos vitæ ſuæ annos ſanctiſſime tranſegit. Illuſtrem de ipſo mentionem habent Ambroſius Tægius par. II. in append. Pius par. II. lib. 3. Fontana Monum. Domen. ad annum 1397. quorum tamen nemo Eccleſiæ nomen præfert, quam dereliquit. Anno inſequenti, ut jam dictum eſt, Thomas Ajutamichriſto Prioratum SS. Joannis & Pauli laudabiliter exercens peſte correptus migravit ad Dominum.

Anno 1396. Bartholomæus de Piſis Prior, de quo Bartholomæa Riccobona in Chron. aſſerit anno 1397. ſolemnitati interfuiſſe, qua Dominicanæ Sanctimoniales in Monaſterio Corporis Domini concluſæ fuerunt.

Anno 1398. Nicolaus Magiſtri Johannis Phyſici de Ravenna, qui teſte Thoma de Senis Dominicanum habitum non multo pridem in hoc Monaſterio ſuſceperat ex manibus Thomæ Ajutamichriſto Prioris, quamvis ipſum Prædicatorum Ordini a B. Joanne Dominici adſcriptum fuiſſe perperam tradant Marcheſius, & Fontana; Vir integritate vitæ, jugi orationis ſtudio, ac virtutum omnium exercitio adeo fuit ſpectabilis, ut inter Beatos a ſcriptoribus Ordinis adnumerari meruerit, qui primo ſui Prioratus anno peſtifera lue, quæ tunc temporis in Urbe Veneta fœde graſſabatur, correptus in ipſo S. Dominici Cœnobio ſanctiſſime obdormivit. Egregias ejus virtutes a B. Joanne Dominici celebratas tum in Tractatu ſuper Cantica Canticorum, tum in conſolatoria Epiſtola ad Vicarium, & Fratres Conventus Prædicatorum Civitatis Caſtelli data, retulit B. Thomas Antonii in ſuperius allato libello de Origine, & Proceſſu Ordinis de Pœnitentia S. Dominici, in Civitate Venetiarum.

Nomina Priorum, qui poſt Nicolaum Cœnobio præfuerunt uſque ad annum 1410. *deſiderantur*.

Anno 1410. Nicolaus de Venetiis.
Anno 1412. Dominicus de Scodra Dalmata.
Anno 1414. B. Thomas Caffarini, qui & Thomas Antonii ex Patris nomine aliquando appellatur, Senis ortus, in qua Ci-

Civitate habitum Religionis aſſumpſit. Verbi Dei præco eximius, quandoque dum e ſuggeſtu conciones haberet, ſublimis in aera ferri viſus eſt; prudentia autem, & ſpirituum diſcretione adeo excelluit, ut S. Catharinæ Senenſi datus fuerit aliquando a confeſſionibus, cujus propterea SS. Virginis proceſſus in Caſtellana Curia ſuper ipſius cultu, & ſanctitate habitos transſcribi curavit, anno 1409. dum Monaſterio Sanctorum Joannis & Pauli Prior præeſſet. Geſta ejus fuſiori ſermone exhibent Fontana, Razzius, Pius, & Marcheſius, qui tamen in aſſignando ejus emortuali anno invicem diſſentiunt. Nemo præter Thomam Cœnobio huic præfuiſſe invenitur ab anno ſupradicto 1414. usque ad annum 1422. cujus anni menſe Auguſto die 1. Marco Lando Epiſcopo Caſtellano, cenſum ſpopondit unius libræ ceræ annuatim in feſto Annuntiationis B. M. V. ſolvendum *pro licentia data per dictum Dominum Epiſcopum occaſione Capellæ*, *quam fabricari fecerant* Prior & Fratres S. Dominici, *in ſua Eccleſia a parte interiori;* a cujus deinde cenſus ſolutione tamquam indebite, & contra ſui Ordinis privilegia ſtatuto Monaſterium liberum eſſe declaravit Thomas Donato Patriarcha Venetiarum die VII. Novembris anno MVIID. (A) Anno præcedente MCCCCXXI. die XIV. Maii, Martinum V. Indulgentias conceſſiſſe *viſitantibus ædes Sacras Cœnobii Veneti S. Dominici*, refert Bull. Ord. Tom.II. p. 598. *Obiit poſtea in hoc Cœnobio Venerabilis Vir dilectus Deo, & hominibus*, ad cujus tumulum epigraphen inſculpi juſſit Senatus.

Frigida præclarum claudunt hæc marmora Patrem
Thomam de Senis, mens cujus in alta relucet.
Religionis honor, ſpeculum virtutis in omnes
Semper ubique fuit, divini ſemina verbi
Fervidus in populo ſparſit, quod gratius omni.
Dominici præclara ſequens veſtigia, mentem
Intulit æthereis poſt hæc peritura triumphis.

Corpore B. Viri in deaurata lignea capſa poſtmodum collocato, & ad latus aræ olim Divæ Mariæ Magdalenæ, nunc Sancto Pio V. ſacræ deducto, epigraphes marmorea ablata fuit.

Primus, qui poſt Thomam prælaudatum inveniatur hujus Cœnobii Prior eſt Frater Petrus de Venetiis, qui anno 1434. memoratur S. Dominici Venetiarum Prior, quo munere dum egregie fungitur, Petinenſium Epiſcopus adlegitur ipſo anno 1434. ut ex Tægio notat Fontana Th. Dom. par. I. Hic diverſus omnino videtur ab altero Petro de Venetiis, quem Corcyræ Archiepiſcopum datum fuiſſe, memorat ipſe Fontana tum in Monum. Domin. par. III. c. IV. tum in Theatro Dominic. par. I. quem ex Juſtiniana familia procreatum attulimus ſuperius ad Monaſterium SS. Joannis & Pauli.

Anno 1446. Frater Thomas de Leuco, poſtea Congreg. Lombardiæ Vicarius. Eo ipſo anno die VII. Auguſti Majoris Conſilii lege permiſſum eſt, ut Cœnobii limites ſuper paludem extenderentur, cujus conceſſionis memoria in Archivo aſſervatur his verbis: " Succeſſive vero in 1446. die 7. Au-
" guſti capta fuit Pars in Majori Conſilio, quod dicti Fra-
" tres poſſent atterrari facere partem cujusdam Terreni per
" eos capti ſecundum longitudinem alterius atterrationis præ-
" fati Conventus, & in latitudine duorum pedum, quæ gra-
" tia fuit adimpleta die 12. Auguſti 1446.

Anno 1448. Bartholomæus de Soncino. Iterum 1450.
Anno 1449. Joannes de Brixia.
Anno 1451. Michael de Novaria. Iterum 1463.
Anno 1452. Auguſtinus de Ventimillia.
Anno 1453. Thomas de Brixia.
Anno 1455. Philippus de Cremona.
Anno 1457. Lucas de Mediolano.
Anno 1458. Damianus de Finario.
Anno 1459. Dominicus de Liniaco.
Anno 1460. Georgius de Vercellis.
Anno 1464. Joannes ab Ulmo ſeu de Lulmo. Iterum 1476.
Anno 1465. Auguſtinus de Tragurio.

Anno 1467. Thomas ex Patritia Donata gente Venetiis ortus, cujus clariſſimus Pater Hermolaus *per inſidias gladio impii pro tuenda juſtitia transfixus, magnanime parcens occubuit die* VI. *Novembris anno* 1450. Sexto poſt patris obitum anno, Thomas in hoc Divi Dominici Monaſterio habitum Sanctæ Religionis aſſumpſit, cum XVI. ætatis ſuæ annum nondum expleſſet, in quo pietate & doctrina adeo excelluit, ut XXVII.

æta-

ætatis ſuæ anno vix elapſo ad ipſius Cœnobii regimen evocatus fuerit. Eodem anno Martialis Orobellus Avenionenſis Generalis Ordinis Magiſter XII. conſtitutiones ei miſit ad Monaſterii ſibi crediti regimen opportunas. Quantam pro ſui Monaſterii juribus tuendis ſollicitudinem exercuerit, documentum illud præclare teſtatur, quod ab eo in controverſia exorta inter Canonicos S. Antonii, & Religioſos S. Dominici concinnatum attulimus Operis hujus Tom. IV. pag. 297. Thomam Donatum præclariſſimos edidiſſe commentarios in Pſalmos, Evangelium Matthæi, Epiſtolas Divi Pauli, atque in Summam Divi Thomæ, ac præterea Sermones aliquos de tempore, & de Sanctis refert Rovetta, quibus operibus addit Philippus Thomaſinus prout in Bibliotheca S. Dominici adſervatos *Sermones de Sacramentis*, quorum initium eſt: *Non abſcondam a vobis*; finis autem: *ex quibus omnibus ſperare debemus*. Ad eumdem Thomam Donatum pertinere aſſerit Echardus Tom. II. *Officia pro feſtis Viſitationis, & Sanctificationis B. V.* ut colligitur ex Breviario, quod ſub Magiſtro Ordinis Joachimo Turriano Venetiis impreſſum eſt, typis Emerici de Spira anno MCCCCXCII. De illuſtri hoc viro ad Patriarchalem patriæ Sedem evecto verba iterum faciemus ad Cathedralem S. Petri Eccleſiam. Iterum Anno 1475. 1482. 1484. 1489.

Anno 1469. Daniel de Venetiis.

Anno 1471. Antonius de Brixia.

Anno 1472. Jacobus de Sancto Nazario.

Anno 1474. Jacobus de Bononia.

Anno 1477. Marcus Peregrinus Veronenſis.

Anno 1480. Hieronymus de Florentia.

Anno 1486. Ludovicus Michael. Iterum 1493. 1500. Vir eximiæ pietatis prædicta ſuæ mortis die, obiit anno 1515. die 19. Aprilis. Refert Leander author ſynchronus exaraſſe *Summam moralem caſuum conſcientiæ*, ex ejus agnomine Michaelinam vocatam, additque Rovetta etiam compoſuiſſe *Tractatum de Decimis*.

Anno 1488. Honorius de Brixia.

Anno 1496. Marinus Georgius. Iterum 1504. & 1511. Circa hæc tempora Monaſterium S. Dominici Venetiarum, plurimis Sanctorum Reliquiis e Dyrrachienſi Urbe deductis di-

tatum fuit, cum enim anno 1499. ut tradunt Sagredus, & Jo: Baptiſta Contarenus, ſeu potius anno 1500. ut notavit Cl. Vir Apoſtolus Zeno in margine Hiſtoriæ Petri Cardinalis Bembo, *Magiſtratus Reipublicæ* (ita Bembus Hiſtor. lib. v.) *qui Dyrrachio præerat, morbo affectus, ut valetudinem curaret, Olicinium ſe contulit cœli ſalubrioris gratia. Eam occaſionem nacti hoſtes, noctu Dyrrachium furtim aggreſſi, ſcalis ad murum poſitis ſe in oppidum intulerunt: interfectiſque paucis ſomno expergefactis oppido ſunt potiti*. Fratres vero Prædicatores deplorabilem urbis illius cladem prævenientes, reliquias omnes ſacramque ſuppellectilem Brunduſium miſerunt, tunc enim ea civitas Venetæ ditioni ſubjacebat. Venetias itaque appulſi Dyrrachio Dominicani Patres, cum ſe ſe ad Divi Dominici Cœnobium recepiſſent, ut eo quoque ſacra lipſana, aliæque res deducerentur, exorarunt; quorum vota cum lubens excepiſſet Senatus, datis ad Antonium de Canali Gubernatorem Brunduſi, die IX. Maii anno MDIII. publicis litteris, juſſit, ut aſſervatam Brunduſii Dyrrachienſem ſacram ſuppellectilem Venetias ad Caſtellanum Divi Dominici Cœnobium mitti curaret, quod & iteratis epiſtolis præceptum fuit die XIII. ejusdem menſis; Huic publicæ poteſtatis mandato, & ſuum adjecit eadem die XIII. Maii Angelus Leoninus Epiſcopus Tyburtinus per univerſum Venetum Dominium Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus (B).

Anno 1506. Stephanus de Paterno, a Julio II. Pontifice, pro reparatione ſui Cœnobii, quod in ſuis edificiis jam præ nimia vetuſtate labentibus inſtauratione magna indigebat, obtinuit, ut ſinguli Chriſtifideles, qui Eccleſiam viſitaſſent, & pro inſtauratione hujusmodi manus porrexiſſent adjutrices, plenariam delictorum ſuorum Indulgentiam conſequerentur. Datum fuit Apoſtolicum Diploma die XIV. Februarii anno MDVI. (C). Iterum eligitur Prior anno 1513.

Anno 1507. Hieronymus Quirino, quem in Dominicanæ Familiæ cœtum cooptavit ſupralaudatus Thomas Donato anno 1490. die XI. Julii; in quo cum virtutum omnium laude excelleret Monaſterio præfectus fuit, in ipſo juventutis ſuæ flore hoc anno 1507. ac iterum electus annis 1515. & 1521. nec multo poſt anno ſcilicet 1524. ob ſpectatam ejus doctrinam, & pietatem Patriarchalibus Venetiarum inſulis de-

cora-

coratus, de quo iterum ſermo erit ad Caſtellanam D. Petri Eccleſiam.

Anno 1508. Silveſter Mozolinus ex Nativitatis ſuæ loco in Aſtenſi comitatu, Silveſter de Prierio dictus, Theologiam ad mentem Divi Thomæ (ut refert Jacobus Salomonius) Senatus Veneti invitatu per aliquot annos in Patavina Academia primum docuit, ut Echardus, Rovetta, aliique teſtantur, quo in docendi munere anteceſſorem habuit, (ut conjicit Jacobus Salomonius apud Nicolaum Comnenum Papadopoli in Hiſt. Gymnaſ. Patav. Tom. II. lib. II. cap. XIII.) Ludovicum Ferrarienſem, qui primus omnium in Patav. Lyceo Theologica ſtudia in via D. Thomæ legere cœpit anno 1500. In albis tamen Profeſſorum, tum typis editis, tum mſ. nomen Silveſtri de Prierio non inveniri, teſtatur in citata Hiſtoria ſupralaudatus Papadopoli. Ut ut res ſit, anno 1508. ad finem vergente, ut ex monumentis Cœnobii conſtat, Silveſter de Prierio datus fuit Monaſterio huic Prior, quod iterum adminiſtraſſe novimus anno 1514. in regeſtis enim Conſil. adnotatum legimus: *Anno* MDXIV. *More Veneto die* 1. *Januarii. Ego Fr. Silveſter de Prierio Prior propoſui Ven. PP. an vellent habere in filium ſui Conventus P. F. Bartholomæum de Piſis, & reſponderunt, ut infra. In primis Ego idem Prior ſum valde contentus &c.* ac deinde ad inſequentem diem 11. Januarii hæc habentur: *Fr. Laurentius de Bergomo fecit profeſſionem die* 11. *Januarii* MDXIV. *More Veneto, ſub Magiſtro Silveſtro Priore:* De quo Priore ex iis, quæ attulimus, documentis manifeſte conſtat Fontanam, & alios erraſſe, qui Silveſtrum de Prierio aſſerunt ante annum 1512. electum fuiſſe a Julio II. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum.

Anno 1510. Thomas de Triviato.

Anno 1512. Bartholomæus Phaledrus Venetus, quem Prioratui poſt paucos menſes renunciaſſe putandum eſt, ſiquidem anno inſequente 1513. die XX. Maii Cœnobium Priore carebat, ut ex Regeſtis patet, in quibus hæc adnotantur: *Fr. Archangelus Venetus fuit receptus, ad habitum Clericalem die* XX. *Maii per Fr. Marcum Alemanum Suppriorem tempore, quo Conventus carebat Priore. Item Fr. Marcus de Venetiis fuit receptus ad hab. Cler. die* 22. *Maii* 1513. *per Fr. Marcum Alemanum: idem fecit profeſſionem una cum Fr. Archangelo, cujus*

pro-

profeſſio prolongata fuit 14. *diebus die* 26. *Maii* 1514. *Submerſus fuit aquis apud Catholicam, dum erat Prior Piſauren. & Prædicator vitæ integerrimæ.*

Anno 1516. Matthæus de Pontecorono.

Anno 1517. Stephanus de Bononia.

Anno 1519. Vincentius de Piſis.

Anno 1523. Marcus de Alemania Prior *die* XIV. *Maii* ejuſdem anni recepit *ad habitum Clericalem* Fr. Adrianum Venetum in ſæculo vocatum Hieronymum Joannis Beretii Veneti, & Dominicæ de Opitergio filium, qui poſt tyrocinii annum laudabiliter actum, vota ſolemnia profeſſus eſt die XV. Maii anni inſequentis 1524. Dalmatam fuiſſe origine, aliqui produnt, ejusque imagini in Aula Epiſcopali Juſtinopolitana appoſita viſitur hæc inſcriptio *Fr. Adrianus Valenticus Dalmata Ord. Prædicatorum*. Attamen eum Patre Veneto genitum fuiſſe, ſatis probatur ex Ducali Andreæ Gritti Ducis Venetiarum Decreto, in quo Parentes Adriani memorantur hoc modo.

„ Andreas Gritti Dei gratia Dux Venetiarum. Univerſis, „ & ſingulis tam amicis, quam fidelibus præſentes inſpecturis ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum. Significamus Vobis, quod Bernardus de Tomaſiis publicus Imperiali auctoritate Notarius publicavit hodie Inſtrumentum quodam, & ratificavit in præſentia Noſtra, ad inſtantiam ſ. Jacobi Zoja de Oppitergio, quo probatum fuit ſufficienter per Teſtes, videlicet Nicolaum a Berettinis Venetum, & Presbyterum Joannem de Arbe, qui conſcientia ducti, & juramento ſibi dato, teſtificati ſunt, Donnam Dominicam q. Baptiſtæ de Oppitergio, & ſ. Joannem Venetum Beretium, coram ipſis Matrimonium contraxiſſe, ex eisque ortum filium unicum in ſæculo nomine Hieronymum, nunc Fr. Adrianum Ord. Præd. anno Domini 1506. 25. Novemb. eſt Vir & Notarius bonæ famæ, & opinionis, cujus inſtrumentis plena fides adhibetur.

„ Datum in Noſtro Ducali Palatio 1525. Ind. XIII. 4. Maii.

Verum cum ſuperius enunciata Dominica poſt Beretii viri ſui obitum nupſiſſet Damiano Cathonenſi Dalmatæ, ut ex ejusdem Damiani teſtamento patet, propterea ex Vitrici patria aliquando Dalmata creditus fuit. Cur autem Adrianus non

ex

ex patris agnomine Beretius dictus fuerit, ſed Valenticus, ut in Ughel. legitur Tom. V. col. 392. hoc fortaſſe in cauſa fuit; *Valenticus* vicus eſt in agro Oppitergino, in quo prædium extat a Dominica Adriani Matre, Cœnobio huic legatum, ex quo veriſimiliter argui poteſt in eo vico Dominicam natam fuiſſe, & ex eodem denominatam, indeque *Valentici* agnomen Adriano filio etiam attributum.

Cum poſt emiſſam profeſſionem mirifice in ſacrarum litterarum ſcientia excelluiſſet. Adrianus, Metaphyſicam primum publice profeſſus eſt in Accademia Patavina, eamque Cathedram a die VI. Novembris anni MDXLIII. tenuit usque ad annum MDLI. Eo enim anno explicandæ Sacræ Scripturæ munus in eodem Gymnaſio ſuſcepit, egitque ad annum usque MDLXIV. Eo ipſo docendi munere retento, Concilio Tridentino interfuit, ubi in Petri Soti Theologi Pontificii e vivis ſublati locum a Pio IV. anno MDLXIII. ſubrogatus eſt. Dum autem ſoluto Concilio ad Patavinam Cathedram revertitur, Venetiis inſtitutus fuit ab eodem Pio IV. Quæſitor fidei Generalis, & biennio evoluto anno ſcilicet MDLXVI. die XXVI. Aprilis, ad Epiſcopales Juſtinopoleos infulas a Pio V. ſublimatus. Eam Eccleſiam cum laudatiſſime rexiſſet, obiit die VII. Martii anno MDLXXII. cujus præclara doctrinæ teſtimonia recenſent Echardus, & Rovetta.

Anno 1525. Andreas de Soncino.

Anno 1527. Bonifatius de Monticellis.

Anno 1529. Florianus de Brixia.

Anno 1531. Benedictus Peregrinus Bononienſis.

Anno 1533. Dominicus de Venetiis.

Anno 1535. Dominicus de Caſtenedulo Brixienſis.

Anno 1536. Laurentius de Gherardis Bergomas. Habitum receperat in hoc Cœnobio die I. Januarii anno 1513. more Veneto ideſt ineunte anno 1514. votaque ſolemnia emiſit die II. Januarii 1514. more Veneto ideſt 1515. Eximius verbi Dei præco, cum ſacra facundia & morum integritate celebris eſſet, Epiſcopali Modruſienſis Eccleſiæ titulo decoratus Antiſtiti Bononienſi datus fuit ſuffraganeus, ut Echardus, aliique Dominicani Scriptores aſſerunt. De eo ita legitur in Regeſtis Conſiliorum: *Iſte fuit Epiſcopus Modruſienſis; obiit Bononiæ* MDLIV. *ſuffraganeus*. De eo plura apud Scriptores Ord. Prædic.

Anno

Anno 1537. Angelus de Ariminio, qui ad habitum Angelum Bragadenum Epiſcopum poſtea Vicentinum recepit die vi. Aprilis ejusdem anni.

Anno 1538. Thomas Coſpius Bononienſis Vir illuſtris, de quo Echardus, aliique Scriptores Ordinis.

Anno 1539. Petrus Martyr Maripetro. Iterum 1550. & 1557.

Anno 1541. Stephanus Uſusmaris Januenſis poſtea anno MDLIII. electus Generalis Ord. Prædic. Mag.

Anno 1543. Angelus Bragadenus. Iterum 1548. Mentio de eo habetur in Regeſto Conſiliorum his verbis: *Frater Angelus de Venetiis, in ſæculo Dominus Aloyſius Bragadenus, fuit receptus ad habitum clericalem per P. F. Angelum Ariminenſem* MDXXXVII. VI. *Aprilis. Fecit profeſſionem* VII. *Aprilis* MDXXXVIII. *Hic ab Julio III. Pontifice Maximo creatus eſt Epiſcopus Vicentinus anno* MDL. *Obiit Vicentiæ anno* MDLX.

Anno 1544. Stephanus Foſcararius Bononienſis.

Anno 1546. Vincentius Calcius de Soncino hujus Conventus filius, pietate & operibus editis clarus Epiſcopalem Eccleſiam Venuſinam in Apulia a Gregorio XIV. regendam ſuſcepit anno 1591.

Anno 1549. Alexius de Como.

Anno 1552. Franciſcus de Colonia.

Anno 1554. Hieronymus Triviſanus (de quo ita in Regeſtis Conſiliorum) *in ſæculo ejuſdem nominis filius Magnifici D. Dominici q. Dom. Stephani fuit receptus ad habitum per Fr. Stephanum Uſusmaris die* XXII. *Septembris hora* XXIV. *anno* MDXXXII. *Iſte anno revoluto fecit profeſſionem in manibus Fratris Angeli Bragadeni de Venetiis Prioris die* XXII. *Septembris hora* I. *noctis vel circa. Obiit Tridenti* MDLXII. *die* 11. *Septembris, cum eſſet Epiſcopus Veronenſis*. Ad eam Cathedram adſcitus fuit a Pio IV. ut refert Andreas Maurocenus in Hiſt. Veneta. Aloyſio Lippomano Veronenſi Epiſcopo e vivis ſublato, *quattuor eligendorum facultatem, ex quorum numero Epiſcopus a ſe Veronenſis deligeretur*, *Pius* (IV.) *Patribus conceſſit: perque legatum egit, ut eo numero Amulius*, (Marcus Antonius olim apud eumdem Pontificem ordinarius Orator) *comprehenderetur. Verum cum in ſuffragia itum fuiſſet, nomenque Amulii recitaretur, ejus rationem minime habendam eſſe frequentes Patres decre-*

crevere: nuncupatique ſunt Bernardus Naugerius, Vir præcipuis Reipublicæ Magiſtratibus perfunctus; Daniel Barbarus Patriarcha Aquilejenſis electus; Andreas Lippomanus Trinitatis, ut vocant, Prior; & Hieronymus Triviſanus, Dominici Frater, e Dominicana familia percelebris ea tempeſtate Theologus. Qui Veronenſem Epiſcopatum conſecutus, ſumma cum laude adminiſtravit. Tridenti, dum ſacræ Synodo adeſſet, morbo correptus piiſſime obiit, cujus cadaver Venetias delatum ad Divi Dominici Eccleſiam in medio ſacrarii tumulatum fuit hac appoſita Epigraphe:

„ Hieronymo Triviſano Ord. Prædic. Dominici filio Epiſ.
„ Veronen. in ſacra Tridentina Synodo vita functo Auguſti-
„ nus, & Franc. FF. ſibique & P. vixit annos xxx. Obiit
„ MDLXII.

De eo Ughel. in Veronenſ. Epiſc. Pallavicinus in Hiſt. Concilii Tridentini, Rovetta, qui opera a Hieronymo concinnata recenſet, Siſtus Senenſis in Bibliotecha S., cujus teſtimonio addiſcimus Hieronymum Veronenſem Epiſcopum *explanationem in Epiſtolam ad Hebræos edidiſſe eruditionis & judicii ſingularis*.

Anno 1556. Jacobus de Sancto Angelo.

Anno 1559. Seraphinus de Martinengo.

Anno 1560. Paulus de Zaveottis Venetus. Ad calcem Operis Stephani de Luſignan inſcripti *Raccolta di cinque diſcorſi* ac Patavinis typis editi anno 1557. extat Epiſtola Pauli de Venetiis Ord. Præd. ad Ludovicum de Lanſac data Venetiis anno 1577. die XIV. Martii. Iterum 1579.

Hoc ipſo anno 1560. die XIII. Julii, Pii IV. Decreto Supremus Fidei Quæſitor in Veneta Urbe, atque in toto ipſius Dominio electus fuit Thomas de Vicentia Ordinis Prædicatorum alumnus. Sacræ Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem Tribunal erectum fuiſſe Venetiis annuente Senatus pietate anno MCCLXXXIX. a Nicolao IV. refert Odor. Rainald. ad ipſum annum 1289. num. 54. & 55. illius vero adminiſtrationem Nicolaus Pontifex Ordinis Seraphici olim Profeſſor, Fratribus Minoribus commendatam voluit, qui ea perfuncti ſunt usque ad Pium IV.; ipſo etenim jubente Generalis Inquiſitoris in Veneta ditione munus ad Dominicanos, in quibus uſquemodo perſeverat, pertranſiit.

Ex Seraphica Familia Generales Quæſitores novimus ſequentes:

Michael Piſani anno 1356.

Ludovicus Donatus anno 1370. poſtea S. R. E. Cardinalis.

Nicolaus Mutius anno 1373.

Lucas Lioni anno 1434.

Paulus Filomellus anno 1542.

Marinus Venetus anno 1546.

Nicolaus Venetus anno 1550.

Felix de Montalto anno 1557. poſtea Sixtus V. Pont. Max.

Cornelius Venetus Felici de Montalto graviter ægrotanti ſucceſſor datus fuit ipſo anno 1557.

Deducto itaque Venetæ Sacræ Inquiſitionis munere ad eam Prædicatorum Provinciam, quæ Lombardiæ vocatur, ſtatutaque in Caſtellano Divi Dominici Cœnobio Inquiſitoris Sede, Thomas de Vicentia electus, ut dictum eſt anno 1560. idem munus per triennium obivit, cui poſtea renuntiaſſe traditur, utpote qui *jam ſatis aptus non eſſet ad labores diutius perferendos, cum propter ſummam ſenectutem, tum propter morbi, quo laborabat, gravitatem*.

Adrianus Valenticus Venetus a Pio IV. electus anno 1564. die 24. Junii tranſiit ad Epiſcopatum Juſtinopolitanum.

Valerius Faenzi Veronenſis a Pio V. anno 1566. die 4. Aprilis.

Aurelius Schelinus Brixienſis a Pio V. anno 1569. die 12. Julii, de quo iterum inter Priores.

Marcus Medices Veronenſis a Gregorio XIII. anno 1564. die 7. Aprilis. Ad Eccleſiam Clugienſem regendam aſſumptus, ut in Ital. Sacræ Tom. v. in Clugienſ.

Joannes Baptiſta de Civenis Mediolanenſis a Gregorio XIII. anno 1578. die 18. Novembris.

Angelus Mirabinus de Faventia ab eodem Gregorio XIII. anno 1581. die 20. Junii.

Stephanus Guaraldus de Cento, a Sixto V. anno 1587. die 27. Decembris.

Gabriel de Salutiis deputatus a Suprema Romana Inquiſitione anno 1590. die 17. Auguſti, qua die obiit Sixtus V.

Vincentius Arrigonius Brixienſis a Clemente VIII. electus anno 1595. die 27. Januarii, mox Epiſcopus Sebenicenſis.

Joan-

Joannes Dominicus Vignutius Ravennas a Clem. VIII. anno 1600. die 19. Februarii.

Joannes Ludovicus Secchiarius Ravennas a Gregorio XV. anno 1622. die 10. Septembris, oneri tamen renuntiavit gravi infirmitate detentus, ex qua obiit die 29. Decembris ejusdem anni.

Paulus Canevari de Gabieno a Gregorio XV. anno 1623. die 21. Januarii. Obiit eodem anno die 22. Novembris.

Silveſter Ugolettus de Caſtilione ab Urbano VIII. anno 1623. die 15. Decembris.

Hieronymus Zuppettus de Quintiano ab Urbano VIII. anno 1625. die 18. Julii.

Clemens ab Iſeo ab Urbano VIII. anno 1632. die 14. Auguſti.

Anſelmus Oliva Brixienſis ab Urbano VIII. anno 1639. die 8. Auguſti. In munere obiit anno 1647. die 21. Martii.

Joannes Baptiſta Raymundus de Gavardo Brixienſis ab Innocentio X. anno 1647. die 12. Aprilis. Obiit an. 1651. die 21. Martii.

Ambroſius Fracaſſinus Brixienſis ab Innoc. X. anno 1651. die 30. Julii. Electus poſtea fuit Epiſcopus Polenſis.

Agapitus Ugoni Brixienſis ab Alexandro VII. anno 1663. die 5. Januarii.

Baſſanus Galliciolus Brixienſis a Clemente X. anno 1670. die 6. Junii.

Vincentius Salici Brixienſis a Clem. X. anno 1675. die 30. Januarii.

Thomas Rovetta Brixienſis ab Innocentio XI. anno 1677. die 17. Julii. Electus poſtea Epiſcopus Pharienſis.

Antonius Leoni Patavinus ab Innocentio XII. anno 1693. die 27. Maii.

Raymundus Aſperti Bergomas ab Innoc. XII. anno 1698. die 11. Julii. Eccleſiæ Pharienſis, quam Thomas Rovetta reſignaverat, præficitur anno 1704. die 28. Februarii.

Vincentius Maria Mazzolenus Bergomas a Clemente XI. anno 1704. die 15. Martii. A Benedicto XIII. electus Archiepiſcopus Corcyrenſis anno 1727. die 7. Decembris, poſtea ad Parentinam Eccleſiam translatus. Hujus Conventus filius ipſum redditibus ex teſtamento auxit, unde in grati animi te-

ſtimonium Patres Conventus hanc benemerito viro epigraphen in marmore incidi, & ſacrarii parieti affigi decreverunt.

Vincentio Mariæ Mazzoleno Bergomati
Ordinis Prædicatorum
Religione probitate Litteris Præclaro
Quem Fidei Quæſitoris munere Venetiis
Parmæ Bononiæ egregie perfunctum
Ad metropolitanam Corcyrenſem Sedem
Præ modeſtia licet reluctantem
Evexit Benedictus XIII.
Proque votis ad Epiſcopalem Parentinam
Tranſtulit Clemens XII.
Ibidem vita functo ac tumulato
Cœnobii alumno munificentiſſimo
Grati animi Monumentum Patres Poſuerunt
Vixit Annos LXXIV. Obiit MDCCXLI.
XVII. Kalendas Januarii.

Thomas Maria Gennari Clugienſis a Clemente XI. anno 1710. die 27. Septemb. Obiit Clodiæ anno 1736. die 13. Novembris.

Paulus Maria Manuelli Veronenſis a Clemente XII. die XVIII. Januarii anno 1737.

His pro ampliori Cœnobii hujus dignitate prolatis ad intermiſſam Priorum ſeriem redeamus.

Anno 1561. Ludovicus Bergomas a loco originis *de Luere* nuncupatus. Iterum 1564.

Anno 1562. Chryſoſtomus de Venetiis.

Anno 1566. Petrus Paſſamonti Venetus.

Anno 1568. Cornelius de Medula.

An-

Anno 1570. Aurelius Schelinus Brixienſis, quem ſuperius notavimus Quæſitorem fidei.

Anno 1571. Dominicus de Triviato Brixienſis.

Anno 1572. Joannes Maria de Montaneana.

Anno 1574. Dominicus de Piſauro.

Anno 1576. Vincentius Laudenſis.

Anno 1578. Vincentius de Patavio.

Anno 1581. Salvator de Brixia, qui ejusdem anni die XIV. Octobris Societatem SS. Nominis Dei in Eccleſia inſtituit. Eo Monaſterium regente Venetias appulit, (ut ſuperius diximus ad Monaſterium SS. Joannis & Pauli,) Paulus Conſtabilis Ferrarienſis totius Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis, qui in hoc Cœnobio gravi morbo correptus ſpiritum Deo reddidit die XVII. Septembris anno 1582. Ejus cadaver, poſt ſolemnes in Eccleſia SS. Joannis & Pauli exequias peractas, tumulatum fuit in hujus Eccleſiæ ſacello Principe, eique appoſitus fuit lapis, his verbis notatus: *Hic terra terræ*. Emortualis vero ejus epigraphe marmoreo ipſius ſimulacro ſubjecta legitur ad clauſtri parietem affixa.

„ Paulo Conſtabili, Patritio Ferrarien. Prædic. Famil. Ge-
„ nerali Magiſtro, qui Philoſoph. ac Theolog. Interpr. Hæret.
„ Pravit. Inquiſit. Sacri Palatii Magiſt. Summis virtutib. ad
„ ſummam dignitatem in ſuo Ordine ſibi aditum patefecit.
„ Unde Provin. perluſtran. & communi commodo, ad quod
„ natus erat, omni animi, ac corporis contentione conſulen.
„ Ann. ætat. ſuæ 63. deceſſit 15. Kal. Octobr. 1582. F. Paulus
„ Liareſius Mirandulanus Magiſter Provin. Terræ Sanctæ ac
„ Soc. nomine totius Ord.

Anno 1583. Dominicus Bollanus Venetus. Hic in Sancti Dominici Brixienſis Cœnobio Dominicanum habitum aſſumpſit anno 1570. die XII. Martii, ſolemnem vero profeſſionem emiſit in Veneto S. Dominici Monaſterio, ad quod tyrocinio nondum expleto miſſus fuerat. Dum huic Cœnobio præeſſet, Agienſis, ſeu Cydonienſis Epiſcopus in Cretæ Regno electus fuit.

Anno 1585. Angelus Avogadrus Brixienſis, cujus ſtudio parietes Eccleſiæ ruinam minitantes renovantur.

Anno 1586. Vincentius de Piſauro.

Anno 1587. Eliſeus de Cappis Venetus, Vir eximiæ doctri-

næ

næ interfuit ſacræ Tridentinæ Synodo, inter cujus Patres pluries peroravit. Tractatum concinnavit de Peccato Originali & Opuſculum de Gratia, quæ in conventu S. Dominici aſſervantur. Elenchum Sacrarum Reliquiarum fecit, anno 1588. die XII. Febr. in quo Sanctorum lipſana notavit olim Dyrrachii aſſervata, & deinde ab urbe Brunduſio Venetias deducta.

„ In vaſe argenteo inaurato Spina una integra Coronæ D.
„ N. J. C.

„ Brachium S. Matthiæ Apoſtoli in argento, in modum
„ Brachii cum manu ſua.

„ In vaſe argenteo deaurato Reliquiæ Sanctæ Venerandæ,
„ cum Dente S. Dominici Patris Noſtri.

„ In alio vaſe argenteo deaurato Reliquiæ S. Nicolai Epi-
„ ſcopi, ſcilicet Os.

Ad calcem repertorii hujus appoſita leguntur hæc verba:

„ Anno Domini 1503. die 22. Maii, ſupraſcriptæ Reliquiæ,
„ miſſæ Illuſtriſs. Ducali Dominio Venetiar. per anteſcriptum
„ Rectorem Brunduſii per conductores nominatos in litteris
„ ſupraſcriptis Rectoris præfati. Unde Sereniſſimus Princeps,
„ ac Illuſtriſs. Dominium præfatum ordinaverunt, quod Re-
„ liquiæ omnes dictæ ponerentur, ac collocarentur in hoc
„ Conventu noſtro S. Dominici de Venetiis, & ſic a Fratri-
„ bus noſtris die dicto egredientibus proceſſionaliter, hono-
„ rifice, ac valde reverenter ſuſceptæ fuerunt. Præſidente tunc
„ Conventus, ac Superiore F. Bartholomeo Cambi Veneto,
„ vacante Prioratu; Procurante autem negotium ſemper ab
„ initio usque nunc Nobili Viro, ac Magnifico D. Nicolao
„ Delphino q. D. Marci, Procuratore digniſſimo Noſtri Con-
„ ventus.

Anno 1589. Bonifacius de Viglebano.
Anno 1590. Auguſtinus de Borgotaro.
Anno 1591. Petrus Martyr Feſta Urceanus.
Anno 1592. Georgius de Caſali.
Anno 1593. Ludovicus de Romano.
Anno 1595. Hieronymus de Capugnano.
Anno 1596. Hieronymus de Placentia.
Anno 1598. Joſeph de Rubeis de Brixia.
Anno 1599. Hieronymus de Quinzano.

An-

Anno 1601. Benedictus Roſa de Mantua.

Anno 1602. Julius Landrianus, quo Cœnobium adminiſtrante Hieronymus Mercurius Romanus, hujus Conventus filius Sacrarium ſuis ſumptibus perfecit, ut notabat epigraphe olim ipſius Sacrarii parieti affixa.

„ F. Hieronymus Rom. Prædicator, Phil. ac Medic. Doctor,
„ ac S. T. D. Sacrarium hoc ſuis ſumptibus perfecit, & in hanc
„ formam redegit: cujus ſuperiorem partem, quam Depoſi-
„ tum vocant, F. Angelus Venetus pecuniis Conventus, & Pio-
„ rum eleemoſinis conſtruxit. Priore R. P. F. Julio Landria-
„ no L. T. MDCIII.

Anno 1604. Vincentius Vaſchimus de Calviſano.

Anno 1606. Aurelius Laurinus Bergomas. Iterum 1612.

Anno 1608. Vincentius Gotti Mediolanenſis, cujus opera conſecratum fuit Templum anno 1609. ut notat marmorea epigraphe januæ Chori affixa.

Anno Domini 1609. Die XX. *Menſis Januarii.*

„ Priore R. P. F. Jo: Vincentio de Mediol. S. T. L. Reve-
„ rendiſs. D. F. Raphael Ripa Ven. Ord. Præd. Epiſcopus Cur-
„ zulen. conſecravit hanc Eccleſiam, & Altare Majus ad ho-
„ norem S. Dominici, & in omni Anniverſario ipſius Dedi-
„ cationis dat, & concedit eam devote viſitantibus 40. dies
„ de Indulgentia S. F. G. V. C.

Conſecrata Eccleſia & ara majori, unanimi Patrum conſenſu ſtatutum inde fuit die 26. Auguſti ejuſdem anni, ut ſacræ Reliquiæ tum Brunduſio, tum ex aliis locis huc devectæ, quæ ſub ara majoris Sacelli collocatæ aſſervabantur, ad Sacellum Divæ Mariæ Magdalenæ in ornatis loculis, *cum omni decentia ſub tutela Patrum* cuſtodirentur; Earum autem, quæ ex Dyrrachienſi clade ereptæ fuerunt, Elenchum dedimus, aliæ vero, quæ diverſis temporibus variiſque ex locis adductæ fuerunt, quæque notatu digniſſimæ videntur, hæ ſunt:

Portio Ligni Sanctiſſimæ Crucis D. N. J. C. quæ olim *in civitate Famaguſtana* in Eccleſia S. Georgii, (ut Patriarchale approbationis inſtrumentum teſtatur, anno 1580. die 22. Martii peractum) ab omnibus tam Latinis, quam Græcis colebatur. Hanc in formam Crucis diſpoſitam huic Monaſterio dono dedit Franciſcus Nicolai Hoſpitalis SS. Petri & Pauli de Caſtello Prior, exhibitis fide dignis teſtibus, qui *juxta eorum*

æta-

ætatem de veritate exiſtentiæ dictæ Crucis fidem facerent, & teſtificarentur.

Digitus S. Catharinæ Senenſis Virginis adhuc carne coopertus, quem, ut videre eſt in ejus tractatu, obtulit Thomas de Senis ejusdem Divæ olim a confeſſionibus. Aſſervatur etiam ex ipſius B. Thomæ munere in lignea capſula cryſtallis circumornata Velum, & Veſtis vulgo *Cappa* ipſius Seraphicæ Virginis, cui adnexa viſitur pergamena epiſtola Ven. P. Bartholomæi de Ravenna ex Ordine Cartuſienſe Monachi data Venerando Religioſo Fr. Thomæ Antonii de Senis Ordinis Prædicatorum, die XXVII. Octobris anno Domini MCCCCXI. in qua quædam mira afferuntur ad conteſtandam Venerabilis Virginis Sanctitatem, ejusque apud Deum validam interceſſionem maxime opportuna. Epiſtolam hanc, nondum, quod ſciam, typis editam, ad Seraphicæ Catharinæ gloriam, atque ipſius cultum augendum optimum cenſui in lucem afferre.

„ Eternam Chriſti Salutem, & pacem. O Mi: Venerande „ Pater. Per Litteras inſtanter petitis tam a Rever. Patre „ noſtro Domino Stephano de Senis Priore hujus Monaſte- „ rii S. Mariæ de Gratia noſtri Cartuſienſis prope Papiam, „ quam de parvitate, & humilitate mea, ut in ſcriptis redi- „ gere velimus, quæ vera ſunt, & laude digna, ac memoriæ „ comendanda de Beata, atque Glorioſa Virgine Catharina „ de Senis, cujus mirabilium Virtutum tot ſunt Teſtes in „ Mundo cum ea converſati, dum ageret in humanis; & „ quia præfatus Pater noſter Dominus Stephanus copioſe con- „ ſcribit de excellentia, & multitudine virtutum præfatæ Vir- „ ginis, utpote cum ea diu converſatus, & ab ea ſpiritus la- „ cte nutritus: nihilominus pauca, quæ novi, ad notitiam „ hominum narrare curabo, præteriens grandia, & excelſa „ virtutum, quibus in hoc Mundo floruit, videlicet cordis „ puritate, contemplatione ſingulari cæleſtium bonorum, co- „ gnitione interiorum, & occultorum hominum Secretorum, „ Prophetiæ Spiritu, humilitate, patientia, abſtinentia, miſe- „ ricordia, in quibus virtutibus coram Deo, & Angelis ejus „ teſtor, numquam me vidiſſe ſimilem in hominibus viven- „ tem, quæ vera fateor, cum ipſa Virgo Piſis corporaliter ad- „ eſſet inſpirata Spiritu Sancto ad Inſulam Gorgonæ perſona- „ liter venit, in qua non modicum lucrum Animarum eſt

„ ope-

„ operata; ſed cum ipſa de Inſula recedere diſponeret in ſe-
„ creto dixit. Attende Paſtor circa cuſtodiam Gregis tui, &
„ ſcito, quod Inimicus humani Generis quærit in hoc Mun-
„ do ſcandalum ponere, & cum turbatus fuiſſet ad hæc ver-
„ ba, ſciens certiſſime, quod non loqueretur inani, ipſi
„ ſubjunxit, & ait, ſcilicet, ne timeas, quia ipſe Inimicus
„ non poterit prævalere, quod & factum eſt; nam poſt ali-
„ quos dies, dum quædam Barcha de Piſis cauſa portandi Li-
„ gna ad Inſulam veniſſet, unus ex Marinariis retulit cui-
„ dam Monacho Juveni noſtro Ordinis Protectoris S. Bene-
„ dicti quædam triſtia de Matre ſua, quare dictus Monachus
„ cum inſtantia importuna, ut ſibi concederem licentiam,
„ me rogabat eundi Piſas, cum dicto in Barcha: Ego vero
„ conſiderans non fore utile, neque neceſſarium, pro tunc
„ temporis concedere nolui; & ita Barcha receſſit; Tunc
„ idem Monachus abſorptus fuit a tanta triſtitia, diabolo in-
„ ſtigante, ut quieſcere non valeret: ſed poſt aliquos dies
„ cum eſſet in Clauſtro cum Monachis, venit ad me, & fa-
„ cie turbulenta, & ſermone arrogante, iterum petiit, ut
„ permitterem eum ire Piſas, unde volens eum reprimere ab
„ audacia ſua, & temeritate, repuli eum, & mandavi, ut
„ ſtatim ad Cellam rediret, qui illico juſſa complevit, & im-
„ mediate mandavi uni ex antiquioribus Monachis, qui ſequere-
„ tur eum, & cum ingreſſus fuiſſet Cellam ejus, ipſe præfa-
„ tus Juvenis Monachus accepto gladio manu erepta voluit
„ ſe perimere; quo dicto Monacho antiquiore apprehenden-
„ te manum ejus, ſic non voluit percutere ſe, & tunc alta
„ voce clamare cœpit, ad cujus vocem ego cucurri ſine mo-
„ ra, & cœpi blandiri dicto Monacho, promittens, quod ſibi
„ darem licentiam; qui alta voce reſpondit cum clamore: Ego
„ nolo ire, quia Diabolus tentabat me, & etiam ſuggerebat,
„ ut me præcipitarem de Monaſterio, quod in altum poſitum
„ eſt; qui Monachus cum in multa alteratione, & mentis
„ agonia, ac valido clamore poſitus eſſet, feci portari quem-
„ dam Mantellum præfatæ Virginis, quem dimiſerat in com-
„ memorationis ejus cauſam, quando de Inſula receſſit, &
„ quem nunc habeo etiam apud me, quo reverenter poſito
„ inter brachia dicti Monachi vexati, ſtatim requiem rece-
„ pit, & tunc dixi illi: Recomenda te, Fili mi, noſtræ Ca-

„ tharinæ. Et tunc ipſe ait: Ipſa bene orat pro me, & ma-
„ le mihi eſſet, ſi pro me non oraret. Multo poſt tempore
„ dum eſſet Piſis, & dicta B. Virgo jam de Civitate Piſana
„ receſſiſſet, contigit, me pervocatum quorumdam precibus
„ amicorum ire extra Civitatem prope tamen cum præfato
„ Mónacho ſuperius nominato, ad quamdam Mulierem a
„ Dæmone obſeſſam, quam cum interrogaſſem, & multis Ser-
„ monibus provocaſſem. Inter alia, quæro, dixit, dic mihi,
„ ſi hæc Sancta Virgo Catharina eſt ita Sancta, ut fertur;
„ quæ reſpondit: Eſt Sanctior, quam non dicatur: & tunc
„ ille Monachus, qui mecum erat, dixit: & ſi ipſa hic eſſet,
„ expelleret te, quæ reſpondit, ſic. Et tunc ille: Quare er-
„ go nos non te expellere poſſumus? & illa reſpondit: quia
„ vos non eſtis in ſtatu illius perfectionis, in quo ipſa eſt,
„ licet ſitis boni Religioſi. Aliud etiam non obmitto dicere,
„ quod oblitus fueram, quia cum receſſiſſet de Inſula noſtra
„ cum familia, & barchula noſtra, & veniſſet Piſas, illis
„ recedentibus, & ab ea benedictionem petentibus, cauſa ad In-
„ ſulam remeandi ait: Si aliquid ſiniſtrum vobis occurrerit in
„ via, ne timeatis, quia Dominus erit vobiſcum; qui cum
„ receſſiſſent ab ea, intraverunt mare & navigabant ad Inſu-
„ lam; Inſurgentibus vero fluctibus maris ex nimia vi ven-
„ torum contigit, ut appropinquarent Inſulæ, & ſubito fra-
„ cto timone non poterant ſe gubernare, unde compulſi ive-
„ runt ad Inſulam, ad locum, ad quem ire nolebant propter
„ fluctus imminentes, & gurgites aquarum grandes, quibus im-
„ pellentibus, barcha per tranſverſum intravit, & venit in
„ terram, & impleta eſt aqua; quod cum videret unus ex
„ noſtris Monachis, cucurrit, & voluit auxilium præbere, un-
„ de abſorptus eſt a fluctibus Maris, abſtractus eſt a Ter-
„ ra, ſed alio ſuccurrente evaſit periculum, & Deo gubernan-
„ te, & S. Catharina intercedente, non aliquis de dicta Bar-
„ cha, in ipſa Barcha aliquam læſionem recepit. Multas
„ alias Epiſtolas ſcio ipſam ſcripſiſſe pluribus Perſonis Ordi-
„ nis noſtri Cartuſienſis, per quas eos a multis tentationibus
„ liberavit, & in virtute conſtantiæ, & perſeverantiæ robo-
„ ravit. Multa etiam alia poſſem vobis ſcribere, ſed quia
„ lingua mea explicare non poſſet magnalia, & inaudita, quæ
„ Dominus oſtendit in glorioſa, ac mirabiliſſima Virgine,

„ ideo

„ ideo de pluribus pauca ſuſcipite ; quibus adſcribere fi-
„ dem indubitatiſſime debetis , ſi propriis oculis vidiſſetis .
„ Etiam ut veſtro deſiderio ſatisfaciam meo juramento con-
„ firmo, in præſentia Domini Petri de Damiſanis , Domini
„ Ugonis de Caſte , & Domini Vincentii de Zaziis Mona-
„ chorum hujus præfati Monaſterii noſtri Cartuſienſis , cum
„ appenſione Sigilli noſtri Conventualis prædicti Monaſterii.
„ Sancta Trinitas vos ſemper dirigat in agendis. Dat. in di-
„ cto Monaſterio die XXVII. Oct. anno Domini MCCCCXI.

Per indignum, & humilem Chriſti Servum Dominum Bartholomæum de Ravenna nunc Monachum , olim indignum Priorem Inſulæ Gorgonæ.

Sequuntur Reliquiæ.

Os integrum Brachii B. Joannæ de Urbeveteri Ord. Præd.

Os S. Chriſtophori Mart.

Brachium cum manu & digitis dempto pollice S. Vincentii Martyris.

Tunica integra B. Margaritæ de Caſtello Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Dominici.

Plurima item fragmenta ex oſſibus Sanctorum, quorum quidem longum nimis eſſet indicem texere.

Corpus B. Thomæ de Senis, qui in Cœnobio hoc ſanctiſſime quievit, depoſitum jacet, ut diximus ad latus aræ Divæ Magdalenæ olim, nunc Sancto Pontifici Pio V. dicatæ , ad aliud vero ejusdem aræ latus ſitum eſt corpus B. Auguſtini de Bugella (Biela in agro Vercellenſi,) qui cum plures annos in hoc Cœnobio inter aſſidua virtutum exercitia optime egiſſet , ibidem pretioſa morte ſancte actam vitam concluſit anno MCCCCXCIII. die XXII. Julii . Brevem ipſius panegerim concinnavit Fontana in Monumentis Dominicanis P. III. cap. XI. his verbis : *Auguſtinus de Bugella innocentia, vigiliis, orationibus, abſtinentiis , jejuniis, cæterisque virtutibus ornatus, & ipſe Cœlos hoc anno conſcendit: cui familiare fuit oranti a terra in altum ſublevari , lacrymarum dono abundare, dæmonum tentamenta eludere, ſola oratione obſeſſos liberare . Apud Soncinum puerum defunctum ſine ſacro baptiſmate ad vitam revocavit. Apud Viglebanum Dæmonia ab obſeſſo corpore fugavit . Venetiis mortalitatem exuit in æterna vita cum Chriſto feliciter*

 regna-

regnaturus. Bugellanis aliquam ex beati concivis ſui corpore partem enixe petentibus conceſſum eſt, anno MDCX. die x. Junii ex concordi Patrum conceſſu Os brachii ex loculo, ubi ſacra lipſana aſſervantur, eductum.

Anno 1610. Auguſtinus Garbellus Veronenſis.

Anno 1612. Aurelius Laurinus Bergomas. Mortalitatem exuit hoc anno Angelus Baronius, qui a Petro Paſſamonte hujus Cœnobii Priore inter filios S. Dominici adſcriptus anno 1556. die 14. Septembris, vota ſolemnia emiſit anno inſequenti. Emenſo inde ſtudiorum curriculo, dum in Bononienſi Monaſterio Theologiam doceret a Clemente VIII. Abſorivii Epiſcopus electus fuit anno 1604. deinde ad Clodienſem Sedem translatus anno 1611. die 12. Septembris, quam primo hujus ſecundi Epiſcopatus anno nondum elapſo cum vita deſeruit anno citato 1612.

Anno 1613. Conſtantius Maria a Verdello Bergomas.

Anno 1615. Michael Angelus Rigoni Brixienſis.

Anno 1616. Hyppolitus a Cignano.

Anno 1617. Antonius Silveſter Venetus.

Anno 1619. Raimundus Zanellus Venetus, cujus regiminis anno ſecundo Chriſti nempe 1620. e vita exceſſit Hieronymus in ſæculo Victor Contarenus Venetus, qui ad ſacrum Prædicatorum habitum receptus fuit die 26. Decembris anno 1580. cujus profeſſionem ſolemniter vovit anno inſequenti. A Clemente VIII. ad Eccleſiam Juſtinopolitanam electus anno 1600. die 15. Maii, quam per xx. annos laudatiſſime rexit. Ejus laudes celebrat in Corographia Eccleſiæ Juſtinopoleos Paulus Naldinus ejusdem Sedis Epiſcopus. Iterum Raimundus electus fuit Prior anno 1630. quo anno ex peſte obiit.

Anno 1621. Jordanus a Quinziano.

Anno 1623. Hyacinthus a Quinziano.

Anno 1625. Vincentius de Crema.

Anno 1627. Hyacinthus Maria de Bergomo.

Anno 1629. Modeſtus de Vicentia.

Anno 1630. Stephanus de Venetiis. Hoc anno e vivis exceſſit Hieronymus Ruſca hujus Conventus filius Abſorivii primum anno 1611. Epiſcopus, mox ad Juſtinopolitanam Eccleſiam translatus anno 1620. cui per decennium præfuit. Obiit, ut aſſerit Naldinus die 15. Februarii anno 1630.

An-

Anno 1631. Joannes Paulus Scarpa Venetus.
Anno 1633. Archangelus Maria de Venetiis.
Anno 1635. Marcus Roſſettus Venetus.
Anno 1637. Benedictus Bartholinus.
Anno 1639. Iſidorus a Cignano.
Anno 1641. Auguſtinus de Venetiis.
Anno 1642. Joannes Maria de Venetiis.
Anno 1644. Dominicus de Venetiis.
Anno 1646. Ludovicus Bona Venetus. Iterum 1657.
Anno 1647. Thomas Cicero de Grottola.
Anno 1649. Archangelus Maria de Venetiis.
Anno 1651. Joannes Baptiſta Natalinus Venetus. Iterum 1662.
Anno 1653. Joannes Dominicus Berengus de Muriano.
Anno 1655. Franciſcus Priolus Venetus.
Anno 1659. Petrus Paulus de Verdello.

Anno 1660. Hyacinthus Maria Conilius Venetus in ſæculo Elias Prædicatorum Ordini adſcriptus anno 1636. die 2. Novembris Cœnobio præfuit hoc anno 1660. iterumque annis 1666. 1668. atque 1672. ac deinde anno 1675. a Clemente X. Epiſcopus Zacynthi, & Cephaleniæ creatus. Eccleſiam ſibi commiſſam cum per viginti annos laudabiliter adminiſtraſſet, oneri ceſſit, ut reliquos vitæ ſuæ dies in religioſa quiete tranſigeret, a qua tandem ad æternam evolavit anno 1704.

Anno 1663. Baſilius Pica Neapolitanus vir eximiæ pietatis, de cujus laudibus ſermo fuit ad Inſulam S. Secundi.

Anno 1664. Hyacinthus Palladinus Dalmata.

Memorabilis ad præcipuam hujus Cœnobii gloriam notandus erit annus MDCLXVIII. in quo Petrus Franciſcus ex nobiliſſima Urſinorum gente Romæ progenitus patria, ac avito Gravinæ Principatu relictis, ut Deum ſequeretur, Venetias venit, ubi unanimi Patrum voto, plauſuque Prædicatorum Ordini adſcriptus die XII. Auguſti Dominicanum habitum, quem diu in votis habuerat, aſſumpſit. Hæc de ejus approbatione in regeſtu Conſiliorum notata leguntur:

„ Die 12. Aug. 1608. Congregatis Patribus à Conſiliis ab
„ Ad. R. P. F. Julio Vincentio Gentili Sac. Theol. Magiſt.
„ & Provinciali utriusque Lomb. in Bibliotheca hujus Con-
„ ventus S. Dominici de Venetiis, ipſis expoſuit, qualiter

„ Illu-

„ Illuſtriſſimus & Eccellentiſſimus Dominus Petrus Franciſcus
„ Urſinus Gravinæ Dux conſiderans cum Sapiente, quod vanitas vanitatum, & omnia vanitas, petebat indui habitu noſtræ ſacræ religionis; & communi omnium Patrum applauſu, ac jubilo a tribus Fratribus examinatoribus examinatus fuit per vota ſecreta unanimiter approbatus. In quorum fidem.

„ Ita eſt F. Thomas Maria Peyre de Nicæa Lect. Mor.
„ Secret. Conſiliorum.

Quanto autem in ipſis religioſæ vitæ exordiis effulſerit ſplendore virtutum teſtantur ſupracitata conſiliorum regeſta:

„ Die 7. Decemb. 1668. Convocatis PP. a Conſiliis ab Ad. R. P. F. Lect. Arcangelo de Duomo Superiore in Aula S. Inquiſit. ipſis propoſuit F. Vincentium Urſinum, an placeret PP. approbare dictum Fratrem de moribus pro Profeſſione ſuo tempore admittenda; & per vota ſecreta omnes unanimiter conſenſerunt.

Sexto deinde tyrocinii menſe nondum elapſo, Roma a Clemente IX. ut probaretur ejus vocationis propoſitum, accerſitur, cumque manifeſto agnoviſſet Pontifex, ejus ſpiritum a Deo eſſe, benigne indulſit, ut ſex menſibus ſuæ probationis expletis vota ſolemnia in eodem Prædicatorum Ordine poſſet emittere, quod in eadem urbe præſtitit in Cœnobio S. Sabinæ anno MDCLXIX. die XIII. Februarii coram Joanne Baptiſta de Marinis totius Ordinis Generali Magiſtro. Emenſo ſtudiorum curriculo, dum ad eas, quibus imbutus nuper fuerat, diſciplinas docendas Brixiam deſtinatur, a Clemente X. inter S. R. E. Cardinales cooptatus fuit die XXII. Februarii anno MDCLXXII. In ea dignitate conſtitutus hujus Cœnobii memor (D) in quo ſanctioris vitæ exordia poſuerat Epiſtolas ad Cœnobii Patres dedit humaniſſimas, atque aureos mille adjunxit, queis ſarta Cœnobii tecta renovarentur. Beneficii memoriam exhibet marmorea inſcriptio Monaſterii parieti affixa.

Sipontinam inde Eccleſiam regendam ſuſcepit, cujus Archiepiſcopus conſecratus fuit die V. Februarii MDCLXXV. mox ad Sedem Epiſcopalem Ceſenatenſem translatus die XXII. Janua-

nuarii anno MDCLXXX. ac tandem ad Metropolim Beneventanam deductus die XVIII. Martii MDCLXXXVI. cum qua & Eccleſias Tuſculanam, & Portuenſem adminiſtravit. Ad ſacram deinde Petri Sedem magno cum totius Orbis Chriſtiani gaudio, plauſuque evectus die XXIX. Maii anno MDCCXXIV. gratulantibus pro ſincero reverentiæ, & lætitiæ teſtimonio, hujus Cœnobii filiis, literas paternæ ſuæ benevolentiæ, gratique animi pignus certiſſimum ad eos dedit, die VII. Auguſti anno ſui Pontificatus Primo (E), nec multo poſt argentea ſex candelabra, paremque Crucem ad aræ Principis ornatum dono miſit. Humaniſſimi Pontificis beneficia grato corde rependentes Patres Conventus, marmoreum ejus ſimulacrum in ſacrario erigi decreverunt, & in ſtylobata hanc epigraphen incidi mandarunt.

D. O. M.

„ Benedicto XIII. Pont. Max. Ordinis Prædicatorum bene-
„ ficentiſſimo Conventus S. Dominici Venetiar. jam Filio,
„ nunc Patri poſuit MDCCXXVI.

Anno 1670. Joannes Baptiſta Ettoreus Venetus.

Anno 1672. Marcus Pius Pinius Venetus.

Anno 1675. Hyacinthus Caleppius Bergomas.

Anno 1677. Antonius Maria Caſtellanus Vicentinus.

Anno 1679. Dominicus Maria Ragni Venetus. Iterum 1689. 1695.

Anno 1681. Carolus Franciſcus Ardenghius Comenſis.

Anno 1682. Hieronymus Maria Balbi.

Anno 1684. Adrianus Morettus Brixienſis.

Anno 1686. Joannes Michael Cavalieri Bergomas, operibus editis illuſtris obiit 1701.

Anno 1687. Joan. Antonius Barberius, quo cedente ſucceſſit eodem

Anno 1687. Petrus Martyr Medices Venetus. Iterum 1714.

Anno 1691. Silveſter Rizzierius Brixienſis.

Anno 1693. Dominicus Maria Arizzius Bergomas.

Anno 1697. Nicolaus Noris Venetus.

Anno 1699. Joſeph Maria Sanſonius de Muriano, quo Monaſterium adminiſtrante ſtatutum eſt, ex unanimi Patrum volun-

luntate Aram Majorem ex marmore ædificari, quod opus anno 1707. ex piorum eleemoſynis magnifice perfectum eſt.

Anno 1701. Dominicus Maria Maffettus Bergomas. Iterum 1705.

Anno 1703. Benedictus Occhius Brixienſis.

Anno 1706. Albertus Pelizziolus Venetus.

Anno 1708. Franciſcus Maria Graſſi Vicentinus.

Anno 1710. Jo. Baptiſta Zanchius Veronenſis.

Anno 1712. Cherubinus Torni Venetus.

Anno 1716. Archangelus Maria Vernizius Venetus.

Anno 1718. Dominicus Maria Pelletti Cremenſis.

Anno 1720. Victorius Mazzocca Venetus, qui Ordinem Prædicatorum ingreſſus eſt die VIII. Maii anno 1672., cujus virtutes, dignitates, atque emortualem diem recenſet marmorea epigraphe a Patribus Cœnobii eidem ſtatuta, & in Sacrario affixa.

„ Victorio Mazzocca Veneto Ordinis Prædicatorum Eme-
„ rito hujus Cœnobii Alumno, virtutibus omnibus ornatiſſi-
„ mo, inſigniores Exedras, atque ſuprema Provinciæ mune-
„ ra emenſo ad Æmonienſem Eccleſiam aſſumpto a Benedicto
„ XIII. Oblatum ab eodem Corcyræ Archiepiſcopatum ætate
„ ingraveſcente humillime renuenti. Hic vita functo Anno-
„ rum LXXVI. ac tumulato Pridie Idus Maii MDCCXXXII. Pa-
„ truo B. M. Nepos S. A. M. P. Anno MDCCXLVI.

Iterum præfuit Cœnobio Prior Anno 1722.

Anno 1724. Paulus Thomas Manuelli Veronenſis, de quo etiam ſuperius in ſerie Inquiſitorum.

Anno 1726. Felix Maria Moſcheni Venetus. Iterum 1743.

Anno 1728. Henricus Aſperti Bergomas. Iterum 1733.

Anno 1730. Antonius Roſa Brixienſis.

Anno 1731. Joſeph Moſcheni Venetus.

Anno 1735. Alexander Botti Brixienſis.

Anno 1737. Jo. Dominicus Armano Venetus, qui *Monumenta ſelecta Conventus S. Dominici Venetiarum* collegit, & Venetis typis edidit anno MDCCXXIX.

Anno 1738. Thomas Moſcheni Venetus.

Anno 1740. Bernardus Cimegottus de Muriano.

Anno 1742. Albertus Pellicioli Venetus.

Præter ceteros, quos ſupra memoravimus inſignis ſanctimo-

niæ

niæ viros, adnotandi etiam veniunt Fr. Joan. Franciſcus e Patritia Gente Contarena, qui Ordinem Prædicatorum ingreſſus eſt anno 1574., ſacramque ſcripturam docuit in Accademia Patavina, ab anno 1587. usque ad annum ejus emortualem 1589. Hic, ut notant Regeſta Conſiliorum, adhuc juvenis vigeſimum agens annum modeſtiæ ſpecimen omnibus ſe præbuit, ad ſola divina incumbens, humana ac vilia deſpiciens, pœnitentiæ virtute præſtans, obiitque conſpicuus ſanctitate. Frater quoque Daniel Angelus de Comitibus Venetus, qui Dominicano Ordini adſcriptus fuit, die XXII. Julii anno *1673.* obiit Vincentiæ virtutibus, & meritis clarus anno *1683.* Ejus vitam contexuit Fialetta Fialetti Virgo piiſſima ex Ordine Pœnitentiæ Sancti Dominici, cujus laudes & emortuale elogium dedimus Operis hujus Tom. v. pag. 227.

Laurentii & Hieronymi, e nobiliſſima Priola gente Fratrum, qui fuere ambo præclariſſimi Venetiarum Duces, conditæ ſunt exuviæ in Bemate Eccleſiæ, alterius anno MDLIX. die XVII. Auguſti, & alterius anno MDLXVII. die X. Nov. Eodem in loco hodieque jacent, licet erecta magnifica conſpiciantur monumenta in Templo S. Salvatoris.

In Necrologio Conventus hæc habentur: *Anno* 1558. *26. Martii ſepulta fuit D. Caſſandra Fidelis in prima parte Clauſtri prope ſepulturam de Albergbetis*. Fœmina fuit ævo ſuo literis Græcis, ac latinis, editisque operibus clariſſima. Epiſtolæ ejus ac Orationes latinæ typis vulgatæ ſunt Patavii apud Franciſcum Bolzettam anno *1636.* curante Philippo Thomaſino. Laudes ejusdem celebrant Politianus, Hermolaus Barbarus, & Sabellicus. Illuſtris hujuſce Virginis inſtitutorem fuiſſe Gaſparinum Borum Ordinis Servorum B. M. V. Alumnum diximus Op. hujus Tom. II. pag. *65*.

Thomas de Senis Prior S. Dominici de Caſtello promittit dare annuatim libram unam ceræ pro ædificatione Sacelli Marco Lando Epiſcopo Caſtellano, & ejus Succeſſoribus.

A 1422. 1. Auguſti.

Ex Cataſtico Epiſcopatus Caſtellani.

MIlleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſecundo Indictione xv. die primo menſis Auguſti. Religioſus Vir D. Fr. Thomas de Senis Prior Monaſterii & Conventus S. Dominici de Caſtello, & Fratres ejuſdem Monaſterii Congregato Capitulo ſuo more ſolito per ſe & ſuos ſucceſſores obligaverunt ſolvere Rev. in Chriſto Patre & Domino D. Marco Lando Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Caſtellano & ſucceſſoribus ſuis annuatim in feſto Annuntiationis B. V. M. incipiendo terminum primi anni de anno proximo futuro 1423. unam libram puræ & mundæ ceræ, & hoc pro licentia eis data per dictum D. Epiſcopum occaſione capelle quam fabricari fecerunt ipſi D. Prior & Fratres in Eccleſia dictorum Monaſterii a parte anteriori & ſuper ipſius Eccleſiæ . . . ſub vocabulo Annunciationis B. M. V. ut de predictis extat publicum inſtrumentum ſcriptum & publicatum manu mei Notarii infraſcripti.

Ego Gaſparinus Marci de Venetiis publicus Imperiali auctoritate Notarius, & judex ordinarius ac ſupraſcripti D. Epiſcopi ejuſque Epiſcopalis Curiæ Notarius prædictis interfui & ſcripſi de mandato præfati R. Patris, & Domini D. Epiſcopi, & me, cum atteſtatione & in teſtimonium premiſſorum ſubſcripſi.

Thomas Donato Patriarcha Venetiarum declarat Monaſterium S. Dominici Venetiarum immune a ſolutione cujuſdam cenſus annui.

1493. 7. Novembris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Chriſti Nomine Amen. Cunctis pateat evidenter preſens publicum Inſtrumentum inſpecturis. Qualiter Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus D. Thomas Donato miſeratione divina Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primas mandavit in ſcriptis redigi ad futurorum memoriam infraſcriptam declarationem ſuam per ipſum factam tam pluribus menſibus, vid. Quod Monaſterium S. Dominici a Venetiis non teneatur ad ſolutionem cujuſdam cenſus alias conſtituti per gerentes tunc vices dicti Monaſterii Patriarchatus Venetiarum pro conſtructione cujuſdam Altaris. Ex eo quia ſtantibus privilegiis ſui ordinis, ut hujusmodi conſtitutio cenſus fuit indebite facta & non valuit in prejudicium dicti Monaſterii preſente Rever. D. Fr. Ludovico Michael Priore dicti Monaſterii & acceptante prædicta. Actum Venetiis in Patriarchali Palatio in camera cubiculari. Anno Dominicæ Nativitatis MCCCCXCIII. Indictione XI. die vero VII. Novembris. Preſentibus Rev. D. Jacobo de

D. Da-

D. Daniele Vicario prefati Reverendiſs. D. Patriarchæ Rev. D. Fr. David de Verona ſecretario teſtibus vocatis & rogatis.

L. S. Ego Philippus Ariminenſis q. Federici publicus Imperiali auctoritate Notarius, ac Cancellarius prefati Reverendiſs. D. Patriarchæ ſupraſcriptis omnibus & ſingulis rogatus interfui, ſubſcripſi, & roboravi, ſignumque meum appoſui conſuetum.

Epiſtolæ, quibus committitur, ut lipſana, & ſacra vaſa ex Urbe Dyrrachii Brunduſium delata Venetias mittantur ad Cœnobium S. Dominici de Caſtello.

B

1503: 9. & 13. Maii.

Ex Archivo S. Dominici de Caſtello.

Nobili, & Sapienti Viro Antonio de Canali, Gubernatori Brunduſii.

LEonardus Lauredanus, Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobili & Sapienti Viro Antonio de Canali de ſuo mandato Gubernatori Brunduſii, fideli, dilecto ſalutem, & dilectionis affectum. Se ritrovano ne la Terra, a vui commeſſa, che Nui certiſſimamente ſapemo, molte Reliquie, Croce, Calici, & altre coſe Eccleſiaſtiche, lì traſportate da la Città di Durazzo, nella qual per la Religion dell' Ordine di S. Domenico, erano ſolamente cuſtodite: Habbiamo per buona cauſa, e riſpetto deliberato, che ſiano levate de lì, e portate in queſta Città da eſſer depoſitate nel Monaſterio, over Chieſa de S. Domenico fino altro per Nui ſia ordinato. Però volemo, e comandemovi, che alli Venerandi Religioſi del dicto Ordine, portatori delle preſenti, conſignare dobbiate tutte le Reliquie predicte, & argenti per inventario diſtincto, & particular, & nelli termini, & eſſer le se ritroverano da eſſer a Nui mandate, inſieme cum la quietatione hanno a far dicti Religioſi del ricever delle dicte coſe, acciò non ſe habbi a perder alcuna de quelle, ne ſminuide over ſmembrade. Le qual Reliquie, & argento loro le habbiano a condur quì; per far el qual effetto, noſtra intentione è che preſtar li debbiate ogni favor per el paſſato ſuo preſto, e ſicuro, della qual conſignatione da eſſer per vui facta a dicti Religioſi, volemo habbi da eſſer cum vui preſente altre fide degne perſone in teſtimonio della verità, ſi per diſenſion voſtra, come per ſatisfation noſtra: & acciò vi ſia meglio nota la mente noſtra ve dichiariamo, che a dicti Frati dar, e conſegnar dobbiate tutte dicte Reliquie, argenti d' ogni ſorte, libri, & ogni altra coſa Eccleſiaſtica, ſia di che condition eſſer ſi voglia. Datum in Noſtro Ducali Palatio die 9. Maii Indictione VI. 1503.

Nobili, & Sapienti Viro Antonio Canali Gubernatori Brunduſii.

Leonardus Lauredanus Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobili, & Sapienti Viro Antonio de Canali Gubernatori Brunduſii, fideli dilecto ſalutem & dilectionis affectum. Per altre noſtre ve habbiamo ſcritto, e comandà ſotto di 9.

Xx 2 del

del preſente, che dar vui doveſte alli Venerandi Religioſi del dicto Ordine, portatori de quelle per inventario diſtincto, e particulare le molte Reliquie, Croce, Calici, & altre coſe Eccleſiaſtiche, tranſportate da Durazzo, e poſte in queſta Città in depoſito, come in quelle particolarmente ſe contien per condurre, e portare quelle a Venezia, da eſſer depoſitate nel Moneſtier, over Chieſa de S. Domenego. Et perchè noſtra preſentation a che al tutto dicta conſignation preſentata far habbiamo deliberato ſcriverve queſta cum i Capi del Conſejo de X. per mazor effetto, comandandovi efficaciſſimamente, che omnino & particulariter dobbiate dar eſecution alle lettere noſtre, preſentando ad eſſi Frati ogni favor voſtro sì nel conſignare de eſſe Reliquie, arzenti, & altre coſe, come de ſecuro, e bon paſſazo, e talmente operarete, che habbiamo cauſa de laudarve, e comendarve, e del ſeguito cum la copia dell'inventario darete notitia ai Capi del Conſejo de X. Datum in Noſtro Ducali Palatio die 13. Maii Indictione VI. 1503.

Angelus Leoninus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Tyburtinus, (1) Legatus Apoſtolicus cum poteſtate Legati de Latere per univerſum Venetorum Dominium. Univerſis & ſingulis inſpecturis ſalutem in Domino & Noſtris hujuſmodi ſimiliter obedire mandatis.

Intelleximus, quod ante captionem Dyrrachii ab Infidelibus ...... quædam Reliquiæ, & Vaſa ſacra, aurea, & argentea, cum quibuſdam aliis rebus ejuſdem metalli, & forte etiam de Serico, ad cultum Divinum pertinentibus, inventario depoſitata fuerint per FF. Prædicatores S. Dominici de Dyrrachio in Sacriſtia Archiepiſcopatus Brunduſii tenentes, & ne ſacra hujuſmodi in prædam Infidelium devenirent, quod tandem perveniens ad notitiam hujus Illuſtriſſimi Dominii, ut Reliquiæ, Vaſa Sacra, & alia bona præfata in loco convenientiori, ac ſecuriori collocarentur, ſic etiam exigente pia devotione ſua ſtatuit idem Illuſtriſs. Dominium mittere iſtuc duos Venerabiles Patres, & Fratres dicti Ord. Prædic. preſentium exhibitores ad ipſas Reliquias, Sacra Vaſa, ac alia bona accipiendum, & deferendum Venetias repoſitanda ibi ſecundum diſpoſitionem ejuſdem Illuſtriſs. Dominii. Unde ne forte per aliquem veſtrum retardetur executio voluntatis dictæ Illuſtriſs. Dominationis, faventes Nos pro noſtra conſuetudine, & debito piis votis Principum, ac Dominiorum Catholicorum conſideratis pia devotione ac rationibus predictis ...... ad veſtras Fraternitates deſtinare decrevimus, quibus ipſas Fraternitates veſtras requirimus, ac auctoritate noſtræ Legationis, quatenus ad vos etiam ſe extendit, mandamus, ac diſtricte præcipimus, ut ſemota omni penitus difficultate, ſeu contradictione ex quavis cauſa, detis & conſignetis in manus ſupraſcriptorum Nuntiorum Illuſtriſs. Dominii antedicti ſub inventario omnes, & ſingulas Reliquias Vaſa Sacra, aurea, argentea, & alias res ejuſdem metalli, ac quæcunque Paramenta, & alia bona, quæ, ut præmiſſum eſt, depoſitata fuere in Sacriſtia Cathedralis Eccleſiæ Brunduſienſis, vel forte in toto, vel in parte apud aliquam perſonam Eccleſiaſticam illius Civitatis per Fratres Prædicatores Conventus S. Dominici, vel forte alio nomine intitulati de Dyrrachio ante captionem dictæ urbis prout ample de conſueta veſtra benignitate, ac prompta obedientia confidimus ac ſperamus. In quorum fidem has preſentes fieri, noſtrique ſigilli annularis impreſſione juſſimus communiri. Datum Venetiis apud S. Samuelem, die 13. Maii 1503. Pontificatus Sanctiſs. Domini Noſtri Alexandri VI. anno 11.

Franciſcus Camelus Piſtojen.
Canc. Mandato ſubſcripſit.

(1) De hac Angeli Leonini Apoſtolica legatione nullam ingerit mentionem Ughell. in Ital. Sac. Tom. I. col. 1311.

Julius

Julius II. privilegia concedit ſuo reficiendo Veneto Cœnobio S. Dominici. Bull. Tom. VII. pag. 115.

C 1506. 14. Februarii.

Ex Autographo in Tabulario Monaſterii.

Julius Papa II.

UNiverſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Eccleſiarum fabricis manus porrigere adjutrices pium, & Deo gratum eſſe putantes, fideles quoslibet, quos in cæleſti patria cupimus collocari, ad impendendum illis opportuna ſuffragia ſpiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & remiſſionibus libenter inducimus, ut per ſpiritualia, quæ illis tribuuntur bona, præmia conſequi mereantur felicitatis æternæ. Sane accepimus, quod domus Fratrum S. Dominici Venetiarum ſuis ſtructuris, & ædificiis, quæ jam vetuſtate labaſcunt, inſtauratione magna indiget, pro cujus inſtauratione, reparationeque facienda præfatæ domus nullatenus ſuppetunt facultates, ſed Chriſtifidelium ſuffragia plurimum neceſſaria fore noſcuntur. Nos igitur cupientes, ut domus ipſa in ſuis ſtructuris, & ædificiis opportune reparetur, ac inſtauretur, fidelesque ipſi eo libentius devotionis cauſa confluant ad eandem, & ad reparationem, inſtaurationemque hujusmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono celeſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriusque ſexus fidelibus antedictis vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam Fratrum S. Dominici antedictam in die Sabbati a primis veſperis usque, & per totam diem Dominicam tertiæ hebdomadæ Quadrageſimæ proximæ futuræ, devote viſitaverint, & pro reparatione inſtaurationeque hujusmodi manus porrexerint adjutrices, omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & indulgentiam elargimur per præſentes. Et nihilominus, ut Chriſtifideles ipſi hujusmodi gratiæ capaciores reddantur, dilecto filio Guardiano præfatæ domus idoneos confeſſores tot, quot expedierit, in Eccleſia ipſius domus, qui fidelium eorundem confeſſionem audire, illosque ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, plenarie abſolvere; Vota vero quæcunque per eos emiſſa, ultramarina, viſitationis liminum Petri, & Pauli de Urbe, atque S. Jacobi in Compoſtella Apoſtolorum, continentiæ & religionis votis duntaxat exceptis, in inſtaurationem, reparationemque, ut præfertur, commutare valeant, & poſſint deputandi auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus, & facultatem. Volumus tamen, quod oblationes, eleemoſinæ & quæcunque Chriſtifidelium ſuffragia hujusmodi in inſtaurationem, & reparationem domus præfatæ, & non alios uſus convertantur. Præſentibus ad biennium duntaxat valituris.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIV. Februarii 1506. Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Vin-

Vincentius Maria Card. Urſinus dono mittit M. Aureos Cœnobio S. Dominici de Caſtello.

D

Ex Archivo S. Dominici de Caſtello.

Molt. RR. Pad. miei amatiſſimi Fratelli Cariſs. ed Oſſer. nel Signore.

L'Obbligazione, che contraſſi con la ſomma benignità delle Paternità Voſtre Molt. Rever., quando dalla loro Miſericordia fui ammeſſo nel ruolo delli Figliuoli del N. S. Pad. S. Domenico: è così inceſſante, che mi sforza in queſta mia doloroſa uſcita dalla Religione a teſtimoniare alle Paternità V.V. M.M. Rev. non meno il mio cordoglio per perdere la loro dolciſſima converſatione, che lo ſviſceratiſſimo fraterno amore, che le conſervo affinchè da ciò abbiano motivo di conſolare il mio dolore coll'impiegare mai ſempre le mie debolezze nel ſervizio così univerſale di coteſto Noſtro Convento, come particolare delle PP. MM. RR. e di concambiare la cordialità del mio affetto col conſervarmi il loro pregiatiſſimo, aſſicurandole, che non merita il Lettore Fra Vincenzo Maria Orſini d'eſſer abolito dalla loro memoria, benchè ſia ſtato eſpulſo dal Noſtro Chioſtro, imperciochè l'animo di lui ſempre ſi conſerva indiviſibile dall'oſſervanza, e divozione, che le ha profeſſato. Dalle operazioni mie maggiormente s'accerteranno di tutto queſto le Pater. VV. MM. RR. le quali prego ad accettare benignamente l'oblazione, che le preſenta la mia pochezza in atteſtato della mia riverenza, obligo, ed amore di mille Doble, che glie le mando per lo mio ſtimatiſſimo P. Maeſtro F. Bernardino Mazziola per ſervizio della fabrica del Dormitorio di coteſto Noſtro Convento. Il medemo Padre pregato da me, eſprimerà di vantaggio a viva voce i miei divoti, & affettuoſi ſentimenti, che nudiſco per le Pater. VV. MM. RR. L'umanità di queſte inſieme ſupplico a contentarſi di concederci la continuazione delle due Celle, che mi furono applicate dal P. Rever. Noſtro Generale, e dall' Illuſtriſs. Nuncio Apoſtolico preſſo coteſta Sereniſs. Patria, acciochè nel Conſeglio, che procurerò nella Corte poſſa conſolarmi col vedermi al lato pendenti le chiavi delle ſteſſe dilettiſſime Celle. Chi sà PP. MM. RR. che il P. S. Domenico voglia impetrarmi grazia di morire fra coteſte riveritiſſime mura, e poſſa ſpirare l'anima nelle braccia de' miei cordialiſſimi Fratelli, che per ultimo colle lagrime agli occhi prego a condonarmi tutte le mie mancanze, e tutti gl'errori, che aveſſi commeſſo commorando fra loro, mentre io per ſodisfazione, dopo averle baciato il Sacro Scapolare, e teneramente abbracciati, mi ſottoſcrivo ſino alle Ceneri immutabile.

Di V.V. P.P. M.M. Reverende.

Cordialiſs. Fratello e Servo nel Signore
Il Card. F. Vincenzo Maria Orſini de' Predicatori.

Emin. e Rev. Sig. Sig. e Patr. Collendiſs.

Da quel giorno feliciſſimo, in cui l'E. V. con eſempio ammirevole e generoſità incomparabile, rinunciate le native ſue grandezze, ſi compiacque di far-

ſarſi Noſtro Fratello amatiſs. e ſoaviſs. Compagno nella povertà religioſa, veſtendo l'abito del Noſtro Padre S. Domenico, e traſcieglier di più con benigniſſima elezione queſto povero Convento per la prediletta ſua Caſa, ed amatiſſimo ricovero Noi P.P. bene conoſcendo quanto decoroſo ci foſſe un ſimile acquiſto, e quanto prezioſo il poſſeſſo di Perſonaggio per ogni ſua condizione ſublime, abbiamo ſempre conſervato nel Noſtro Cuore una ſviſceratezza tutta amoroſa, ed una ſtima tutta ripiena d'affettuoſiſſimo oſſequio verſo la perſona di V. E. ne mai ſarà certo poſſibile, che Noi punto rimettiamo, o negl' oſſequj della riverenza, o nel ardor dell'affetto verſo l'E. V. poichè ſarebbe queſto un'eſſer a Noi ſteſſi Nemici, un interamente ſveſtirſi del diritto della ragione, anzi dell'umanità medeſima. E come potrà eſſere giammai, Emminentiſs. Sig. che Noi diamo bando dal Noſtro Cuore al più caro, al più degno, al più adorabile Soggetto di quanti abbia avuto ſin'ora, o ſia in avvenire per avere queſto Convento. L'E. V. è il ſuo fregio più bello, il ſuo più nobile vanto, ed il ſuo più decoroſo ſplendore. Si è letta Eminentiſs. Sig. in publico Conſilio la benigniſſima ſua lettera, indi ſi è participata agl'altri P.P. ma niuno è ſtato baſtevole udirla ſenza lagrime di tenerezza, e di gioja. Non ha la noſtra penna forme baſtevoli per eſprimer all' E. V. gli ſentimenti del Noſtro Cuore. Un contrario miſto d'allegrezza, e di duolo l'occuparono tutto. In un punto abbiamo perduto l'E. V. alla domeſtichezza ſoaviſſima, amoroſiſſima della Cella, e de' Chioſtri, ed ecco inconſolabile il dolore: l'acquiſtiamo con Emin. aumento al decoro immortale di queſto ſuo Convento, al ſingolariſſimo ſplendore dell'Ordine Noſtro, ed al più Nobile ſervigio della Santa Sede Apoſtolica, ed ecco feſtoſiſſimo il giubilo. Letta la lettera ci conſegnò il M. R. P. Maeſtro Bernardino Mazziola le mille Doble, generoſiſſimo dono dell' incomparabile bontà e munificenza dell'E. V. e gliene rendiamo mille, e mille affetuoſiſſime, ed umiliſſime grazie. Furono queſte in conformità de' ſuoi riveritiſſimi comandi riposte nella Caſſa del publico depoſito, e vi ſtaranno intieramente ſin tanto che dal P. Maeſtro Giacinto ſi dia principio alla Fabrica comandata dall' E. V. Per tanti capi adunque di rigoroſiſſimo obbligo dovendo eſſer ſempre tutto intieramente ſuo queſto Convento, fu preciſa obbedienza de ſuoi comandi l' aver nel Conſeglio dichiarato, che le due Celle, antecedentemente a lei conceſſe dalle due accennate autorità ſuperiori, s'intendano, e ſiino per l' avvenire con ſingolariſſima ſpecialità deſtinate a ſervigj di V. E. Così noi pure alimenteremo le affettuoſe Noſtre ſperanze di poter godere pur anco una volta Oſpite benigniſſimo di queſte mura l' E. V. quale però con nodi d' indiſſolubile amore dentro de' noſtri Cuori, avrà ſempre certo una ſtanza perpetua. La dimora dell'E. V. dentro de' Noſtri Chioſtri è ſtata non interotta ſerie di virtuoſiſſime azioni nell' oſſervanze, e nello ſtudio, che però anzi lei ci ha vivamente edificati, e non mai perturbati con offeſe. Ben ciaſcheduno di Noi per ſe, e tutti unitamente ſupplichiamo con ſuo diſpiacere con le tante noſtre imperfezioni commeſſe, ci conceda un generoſo perdono. Con che ſempre più ſi accreſcerà la cognizione dell'obbligo; l'ardor dell'affetto per riempire inceſſantemente tutte le Noſtre orazioni, e ſacrificii d' affettuoſiſſimi voti alla D. M. per la proſperoſiſſima, e ben allungata conſervazione di V. E. E quivi per fine di queſta, non potendo dove ci ſpinge il teneriſſimo Noſtro amore, portiamo dove l'oſſequio dovuto ci preſcrive, umilmente inchinati al lembo della Sacr. Porpora riverentiſſimo il bacio.

Umiliſs. Devotiſs. ed Obbediendis. Servi &c.

Bene-

Benedictus XIII. quod in Cœnobio S. Dominici Venetiarum habitum Religionis ſumpſerit, memoriam renovat.

E 1724. 7. Auguſti T. 6. pag. 536.

Ex Monumentis ſelectis Conventus num. VII. pag. 44.

Dilectis Filiis Priori, & Fratribus Ordinis Fratrum Prædicatorum Conventus S. Dominici Caſtelli.

Benedictus PP. XIII. dilecti filii Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUod inter primos adoleſcentis ætatis annos ad ſacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem, veluti ad tutam religioſæ tranquillitatis ſtationem, Nos evocaverit divina benignitas, nunquam animo noſtro ſine peculiari ſenſu ſpiritualis voluptatis obverſatur: eoque jucundior ſeſe nobis ingerit cæleſtis beneficii recordatio, quod in Cœnobio iſto ſecularibus curis nuncium remittere, & exempla inſignis diſciplinæ in ipſo ſacræ iſtius militiæ tyrocinio haurire, & addiſcere contigerit. Hanc igitur ſuaviſſimam memoriam, cum luculentius nobis repræſentaverint literæ veſtræ eximio nobis ſolatio fuerunt in hac maris altitudine, in quam divino judicio venimus, & in qua periculis, curiſque jactati identidem clamamus ad Dominum ne pereamus. Veſtras propterea ferventes preces requirimus, ut apud quos patuit nobis a ſeculi fluctibus portus ſecuritatis, apud eosdem per pias obſecrationes implorato Sancti Patri Dominici patrocinio, ne tempeſtas demergat nos, opportunum ſubſidium inveniamus. Memorem igitur, & pro veſtris erga nos pietatis, & obſervantiæ ſenſibus gratum animum profitentes Paternæ noſtræ benevolentiæ teſtem, & peculiaris dilectionis pignus vobis, dilecti filii, Apoſtolicam benedictionem amanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII. Auguſti Pontificatus noſtri Anno Primo.

Carolus Majellus.

DE

DE

MONASTERIO SANCTISSIMI ROSARII

Sororum Tertii Ordinis de Pœnitentia Sancti Dominici.

IN ſuperius allatis Beati Thomæ Senenſis opuſculis nihil prorſus omittitur, quod ad exordia, & incrementa Ordinis Pœnitentiæ Sancti Dominici, (quod tamen Militiæ Chriſti, ut vidimus, ab initio dicebatur) illuſtranda conducat. Ibidem legitur quonam pacto Sedis Apoſtolicæ authoritas, & comprobatio inſtituto huic acceſſerint, quaque ratione in bene multis Chriſtiani Orbis regionibus florere cœperit, ubi utriusque ſexus perſonas morum ſanctimonia plane ſingulari inſignes exhibuit, Seraphicam in primis Catherinam Senenſem. Quod autem in rem meam præcipue facit, in iisdem libellis videre eſt, quomodo adnitente ſæpelaudato Thoma Senenſi idem Ordo fuit Venetias invectus, Deo-

que feliciter etiam per prodigia annuente, piiſque viris eleemoſynas erogando adjuvantibus incrementa celerrima obtinuit. Novo huic Religioſo inſtituto ſuccreſcenti nomen indiſcriminatim viri & mulieres dabant, ut ex ſuperius allato Thomæ de Senis Tractatu didicimus, atque ex autographis Epiſtolis patet, quas Joannes de Zambottis Patriarcha Gradenſis anno Mccccvi. die xxiv. Septembris (A) dedit *Fratribus*, & Sororibus Ordinis de Pœnitentia S. Dominici per virtutum odoramenta Domino famulantibus. Memoratur proinde cum laude converſio prorſus mirabilis, & ſubſequuta inde virtus eximia Antonii Superantii Patritii Veneti, qui paulo poſt Fratribus hujus tertii Ordinis Prior, ut vocant, præfectus fuit. At communi rerum humanarum fato Virorum fervor decrevit, eorumque cœtus Venetiis ſenſim ſenſimque languendo in nihilum tandem abivit. Interea mulieres in ſancto propoſito laudabili conſtantia perſeverarunt, immo ut ferventius Deo inſervirent, non amplius ſeorſim ſingulæ apud ſuos Domeſticos in privatis ædibus degere voluerunt, ſed ad majus Ordinis decus, majoremque vacandi Deo opportunitatem in duos cœtus, ſeu familias coaluerunt, duaſque domos, ubi tamquam in Cœnobio viverent, ſibi compararunt, & altera quidem earum in Parœcia erat S. Martini, altera vero in confinio SS. Apoſtolorum, ut ex publico inſtrumento colligitur anni 1427. diei 1. Martii.

In his ædibus congregatæ non iis tantummodo privilegiis fruebantur, quæ univerſo de Pœnitentia S. Dominici Ordini indulſerat Romanorum Pontificum liberalitas, ſed & peculiaribus auctæ fuerant a Sixto IV. muneribus, qui anno Mcccclxxv. die xviii. Auguſti dato Diplomate (ut videre eſt in Bull. Ordinis Tom. III. pag. 592.) conceſſit, ut Venetæ Sorores de Pœnitentia nuncupatæ poſſent ſibi eligere Confeſſorem, qui eas *a peccatis, exceſſibusque in ſingulis Sedis Apoſtolicæ non reſervatis caſibus, toties quoties, in reſervatis vero eidem Sedi, & ab omnibus cenſuris, & penis eccleſiaſticis ſemel in vita, & in mortis articulo* abſolvere poſſet. Hanc autem Sixti Pontificis conceſſionem ſingillatim enuntiandam cenſeo, utpote cœtui *Sororum Begbinarum ſeu Bizocarum ſub habitu, & ſecundum inſtituta Fratrum Prædicatorum Venetiis Domino famulantium* ſpecialiter indultam, cæteras enim Apoſtolicas

largi-

largitiones Sororibus Tertii Ordinis, ubique commorantibus conceſſas fuſe recenſet Clar. V. Bremondius in Tractatu de Conſenſu Bullarum, in Bullar. Ord. Tom. VIII. Tit. 14. pag. 424. Nec prætereundum hoc loco cenſeo, a Commiſſariis Apoſtolicis ſuper retaxatione Beneficiorum Eccleſiaſticorum a Pio Papa IV. conſtitutis *Prioriſſam & Pizzocharas Congregationis Tertii Ordinis S. Dominici Venetiarum* a Decimarum ſolutione liberatas fuiſſe anno MDLXVI. die XXII. Januarii (B).

Cum autem geminæ Sororum ædes veluti duo corpora ſub uno capite regerentur, hinc plerumque ob communis Antiſtitis electionem ortæ contentiones, quæ ne diutius in religioſæ pacis perniciem protraherentur, Alphonſus Magiſter Provincialis anno 1576. primum, mox anno 1588. certas leges inſtituit tum ad creationem Prioriſſæ, tum ad utriusque Collegii regimen opportunas. Nec tamen hæ licet prudenter ſtatutæ leges, usque ad tollenda omnino diſſidia valuerunt, quapropter Bernardinus Goſelinus celebris in Ordine Prædicatorum vir, qui anno MDCXVI. Venetam Provinciam adminiſtrabat ad SS. Apoſtolorum domum ſe contulit, ſororibusque ibidem in minori numero commorantibus graviter increpatis ſub virtute ſanctæ obedientiæ mandavit, ut infra unius diei ſpatium, (quod illis tempus ad colligendas, diſponendasque res ſuas ſatis eſſe putavit) ad ampliores S. Martini ædes ſeſe reducerent. Effluxit in hoc conſilio mira Divinæ Clementiæ diſpoſitio, ſiquidem bonæ fœminæ, conſtanti hominis animo, gravique ſanctæ obedientiæ voce perculſæ omnes intra ſtatutas ſibi horas ad ignotam, æmulamque domum una ſe contulerunt, in qua apta cubicula pro novis hoſpitibus excipiendis parari juſſerat Provincialis; qui & a ſe prudenter acta, auctoritate Magiſtri Generalis in Provincialibus Comitiis eo anno Tarviſii coactis, approbari curavit.

Arcte igitur in eo loco, tanquam in privata domo diu permanſerunt Sorores, magnis impenſis, gravique incommodo ad Eccleſiam SS. Joannis & Pauli, pro divinis officiis audiendis ſe conferentes, una Paſchatis die tantummodo excepta, in qua pro explendo, Paſchali mandato ad proximam S. Martini Parœciam conveniebant, donec anno MDCIL. die XXI. Auguſti datis ſupplicibus libellis Joannem Franciſcum Maurocenum Patriarcham Venetiarum obteſtatæ ſunt, ut publicum Orato-

rium ea in religioſa domo extrui permitteret, ne diutius per urbem vagari cogerentur. Juſta ſupplicationis cauſa permotus Patriarcha lato ad diem xv. Julii anni MDCLI. decreto permiſit, ut in publico Sororum Oratorio (dum ad hoc Plebani, & Capitularis Collegii S. Martini accederet conſenſus) unica tantum Miſſa celebraretur, inter cujus ſolemnia Eucharistiam de manu celebrantis ſumere poſſent Sorores, neque tamen ob hæc a Paſchali Communione in Eccleſia Parœciali S. Martini accipienda ſolutæ cenſerentur.

Eo privilegio pacifice per quatuor ſupra decem annos uſæ ſunt Sorores, donec anno MDCLXV. Plebanus, & Capitulare Collegium a Sacrificii celebratione, & Sacramenti Euchariſtici adminiſtratione ceſſarunt, illicitum ſibi eſſe, prætendentes, in privata domo, quam *Pizochere* incolebant, Sacrificium Miſſæ, absque Sedis Apoſtolicæ facultate celebrare. Re *ad S. R. E. Cardinalium Congregationem negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam*, per Plebanum, & Capitulares viros delata; judicium exinde latum fuit in ſeptem partitum articulos nempe: Primum, quod mulieres Veneti Conſervatorii *Pizochere* nuncupatæ, ad formam conſtitutionum Ordinis Prædicatorum vota emittentes velo ſupra caput, Pectorali, & patientia in habitu licite uti poſſent. Secundum, quod ad ejusdem Ordinis habitum libere poſt 18. annum quascumque honeſtas mulieres recipere poſſent. Tertium, ut puellas e Conſervatorio dimitterent, quæ 18. annum non attigiſſent. Quartum, licitum eſſe Sororibus publicum Sacellum habere, *in quo Miſſæ Sacrificium offeratur*. Quintum, jam ædificatum Oratorium, non obſtante aſſerto vicinæ Parochialis Eccleſiæ præjuditio, conſervandum eſſe. Sextum, licere Sororibus in dicto Sacello *parvam feneſtram ad ſacrum e domo ipſarum Pizocherarum audiendum, & SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiendum apertam retinere, ſalvis juribus Eccleſiæ Parochialis*. Septimum, *quod eædem Pizocheræ Cratibus Parlatoriisque, ac votis ad inſtar Sanctimonialium uti poſſint, remiſſum fuit arbitrio, & prudentiæ* Veneti *Patriarchæ*. Sanctas haſce S. Congr. leges Clemens IX. die x. Decembris anno MDCLXVII. confirmavit lato Diplomate, quod in Bull. Ord. retulit Bremondius Tom. VI. pag. 231.

Sub hæc ferme decreta eo ipſo anno Sorores ſeſe ad perfe-

ctam

ctam Communitatis formam adduxerunt, atque inviolabili Decreto ſtatuerunt, ne deinceps uxoratæ aut viduæ, ſed ſolæ tantummodo Virgines, quæ annum ætatis XVIII. attigiſſent, ad ipſarum conſortium admitterentur, a cujus legis vigore ſola Romani Pontificis authoritas diſpenſare valeret. Nec multo poſt anno ſcilicet ab Incarnatione Domini MDCXC. die XXXI. Martii Alexandro Papa VIII. Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ, & Monialibus Monaſterii S. Martini Monialium Ordinis S. Dominici Indulgentias Scalæ Sanctæ de Urbe conceſſit. (C)

Obtentam interea celebrandæ Miſſæ facultatem, quam pro unico Sacrificio Patriarcha Maurocenus indulſerat, Sacra Congregatio Epiſcopis & Regularibus præpoſita anno MDCLXXIII. die X. Novembris ad duas quotidianas extendit, ac deinde Benedictus XIII. anno MDCCXXV. die XVIII. Octobris ad quatuor absque præjudicio juris Parochialis ampliavit.

Ad augendum deinde ſpirituale piarum Virginum gaudium ſuperius enuntiata S. Congreg. anno MDCCIIL. die I. Julii Patriarchæ Venetiarum, (quem ad hæc peragenda inſtituit Executorem Apoſtolicum) datis literis mandavit, ut ipſis facultatem elargiretur in Sacello aſſervandi SS. Euchariſtiæ Sacramentum, quod tamen unice Sororibus, & in ſolemni Paſchatis die a proximæ Parœciæ Plebano miniſtraretur. Tot itaque privilegiis decoratæ Sorores quibus etiam ea acceſſerant, quæ Benedictus XIII. munifica manu in univerſum S. Dominici Ordinem effuderat, ut firmior earum ſtatus, & quietior perſiſteret, viſum eſt, ut Aſceterium ſub Publicæ pietatis tutela reciperetur. Eapropter, datis ad Principem, & Senatum ſupplicibus libellis, publicam pietatem concordi voto exorarunt, ut Oratorium, & adjectum Collegium ab ipſis Sororibus ære proprio a fundamentis extructa, ipſosque redditus, quibus Sorores alebantur, ſub liberi Juriſpatronatus titulo recipere dignaretur, ipſaque Ducali S. Marci Baſilicæ unita cenſeri, & eſſe declararet. Pia Virginum vota lubenti animo exceperunt P. C. latoque ad diem I. Martii anno MDCCIL. inferius notato Decreto, Eccleſiam, Ædesque adjacentes, omnesque Sororum proventus ſub publicæ protectionis umbra perpetui Juriſpatronatus titulo ſuſceperunt, atque Ducali Eccleſiæ adnecti mandarunt, ut iis privilegiis, gratiiſque in poſterum

ſterum uteretur, quibus tum ipſa S. Marci Eccleſia, tum aliæ ei adnexæ ex publica liberalitate fruuntur.

„ Rendendoſi non meno per gl' eſempj che per le circo-
„ ſtanze da quali è accompagnata accettabile l'offerta, e de-
„ gna ſimilmente di eſaudirſi l'iſtanza delle Terziarie Dome-
„ nicane di S. Martino di queſta Città ſiccome nell'Informa-
„ zioni ora lette rappreſentano anche li Conſultori Noſtri in
„ Jure.

„ Sia da queſto Conſilio benignamente accolta in pubblico
„ Juſpatronato la libera ceſſione, che da eſſe Terziarie, co-
„ me ſecolari, e proprietarie vien fatta alla Signoria Noſtra
„ del loro Colleggio, Chieſa, beni, e rendite tutte sì per
„ Capitali inveſtiti ne publici depoſiti, Scuole, & arti, sì an-
„ cora per ſtabili, che poſſedono, e reſtino le medeſime ri-
„ cevute ſotto la protezione publica anneſſe & aggregate alla
„ Chieſa Ducale di S. Marco, così che dal governo, e cu-
„ ra di queſta s'intendano unicamente in avvenire dipenden-
„ ti, e a goderne abbiano in conformità delli altri Publici
„ Juſpatronati le prerogative, e preminenze.

Ex hoc Aſceterio egreſſæ ſunt anno MDCLXXII. duæ eximiæ pietatis Virgines, ortu Venetæ, ut cum Maria Dominica a Corde Jeſu in Conegſanenſi Oppido novi Monaſterii, quod Sorores Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Dominici incolunt, exordia diſponerent. Harum una Maria Piſenti nomine poſt ædificatum fundatumque Coneglanenſe Aſceterium Venetias ad S. Martini domum rediit, altera vero Maria Genevre Baſſo Divina Providentia protegente tria alibi Cœnobia ejuſdem inſtituti erexit, nempe in Monteflore, Monteloro, & in Urbe Maceratenſi, in quorum ultimo laboribus confecta migravit ad ſponſum virtutibus & prodigiis clariſſima.

Adjiciendam hoc loco poſt documenta cenſeo Beatæ Mariæ ex honeſta familia Storioni Venetiis progenitæ admirabilem converſionem, ſanEteque actam vitam, quam ſimplici quidem, ſed veraci ſtylo contexuit B. Fr. Thomas Antonii de Senis, cujus hortationibus ita ad meliora excitatam ſe ſenſit, ut calcatis mundi illecebris totam ſe ad aſſidua pœnitentiæ, & virtutum exercitia reduxerit. Licet autem religioſo Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Dominici habitu induta in paternis ædi-

ædibus vitam tranſegerit, attamen quia cum ſupralaudatis Sanctimonialibus commune inſtitutum habuit, ideo enuntiatam vitæ ejus hiſtoriam, ex Bibliotheca Civitatis Auſtriæ Ordinis Prædicatorum erutam, brevibusque notulis illuſtratam in lucem proferimus.

Joannes de Zambottis Patriarcha Gradenſis hortatur, & mandat, ut Fratres & Sorores de Pœnitentia in privilegiis a Sede Apoſtolica indultis nullatenus moleſtentur.

A 1406. 24. Septembris.

Ax Autographo in Monaſterio Roſarii Sororum de Pœnitentia S. Dominici.

JOhannes Miſeratione divina Gradenſis Eccleſiæ Patriarcha, Venetiarum, Dalmatiæque Primas. Venerandis Fratribus ac in Chriſto Sororibus Ordinis de Pœnitentia S. Dominici per virtutum odoramenta Domino famulantibus ſalutem in eodem Domino ſempiternam.

Quoniam illa quæ divini cultus favorem, ac etiam Religionum per Sedem Apoſtolicam approbatarum confirmatarum etiam diverſis privilegiis communitarum promotionem concernunt, tanto libentius cum affectu proſequimur, quanto ex debito paſtoralis officii ad id fortius obligamur. Hinc eſt quod veſtrum, qui eſtis Religionis hujusmodi devota & ſancta deſideria cupientes benigne ac pro viribus adimplere: Cum per SS. in Chriſto Patrem & Dominum Dominum Bonifatium divina providentia Papam nonum ſit vobis indultum, quod poſſitis ubilibet per totam Italiam a Fratribus Ordinis Prædicatorum per ſuos Superiores ad hoc deputatis confiteri, & Sacramentum Venerabile Corporis Jeſu Chriſti recipere, cum vobis fuerit opportunum; præterquam in feſto Reſurrectionis Dominicæ, ac jure Parochianorum alias in omnibus ſemper ſalvo, & hoc non obſtantibus juribus quibuſcumque, quemadmodum in ejuſdem Domini noſtri Papæ indulto vobis privilegio ſub veræ bullæ Papalis appenſione nobis exhibitæ, plenius continetur. Nec non etiam poſt conſequenter per eumdem ſupradictum Summum Pontificem Bonifacium Nonum adhuc ſit vobis generaliter indultum & plenius quod ne dum quovis alio tempore, ſed etiam tempore interdicti, dummodo cauſam non dederitis interdicto, in Eccleſiis Fratrum Ordinis Prædicatorum Miſſas, & alia divina Officia audire, & Eccleſiaſtica Sacramenta a Fratribus prædictis recipere, de ſpeciali gratia, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine libere & licite poſſitis, ac valeatis, prout in alio privilegio authentice inſinuato, & nobis oſtenſo evidenter habetur. Idcirco ſecundum quod devote & humiliter affectatis, & quemadmodum Venerabilis Pater & Dominus Dominus Leonardus Delfino tunc Epiſcopus Caſtellanus, nunc autem Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarcha Alexandrinus, & conſimiliter ejus Succeſſor qui nunc eſt Venerandus videlicet Pater & Dominus Dominus Franciſchus Bembo ad veſtri fecerunt inſtantiam, prout apparet per literas ipſorum, quas vidimus authenticas & ſolepnes: Ita & Nos tenore præſentium in Domino efficaciter deprecamur omnes exemptos noſtri Patriarchatus curam animarum habentes, nec non & omnes Priores, Plebanos

ſive

ſive Rectores nobis ſubjectos, ac etiam mandamus eisdem, quatenus contra ſupradictas perſonas dicti Ordinis de Pœnitentia B. Dominici propter hujusmodi indulta præfata ullatenus dedignentur, ipſas moleſtando, ſeu quomodolibet perturbando, ſed potius ædificentur atque congratulentur eisdem, cum ex hoc ac etiam ex tenore & Regula, ſive modo vivendi ipſarum non minus ſed amplius reddantur ad Prælatorum, atque Parochianorum ſuorum reverentiam promptiores, debeantque merito omnes, & ſignanter ac principaliter Prælati inferiores, quemadmodum conſequenter fideles cœteri Indulta quæque Apoſtolica revereri. In quorum omnium teſtimonium has patentes literas fieri fecimus, noſtrique Pontificalis Sigilli appenſione juſſimus communiri.

Datum Venetiis in Conventu Cruciferorum Anno Nativit. Domin. Milleſimo Quadringenteſimo ſexto, Indict. quartadecima & die vigeſima quarta menſis Septembris. Pontificatus in Chriſto SS. Patris & Domini noſtri Domini Innocentii divina Providentia Papæ Septimi Anno Secundo.

Alexander VIII. Monialibus Monaſterii S. Martini Ordinis S. Dominici Venetiarum Indulgentias Scalæ Sanctæ concedit.

B 1690. 31. Martii.

Ex Autographo apud Sorores de Pœnitentia S. Dominici.

CHriſti Nomine Invocato, a quo cuncta recta procedunt judicia, & oculi judicantium reſpiciunt veritatem. Nos Petrus Antonius de Capua Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Hydruntinus S. Sedis Apoſtolicæ in toto Sereniſs. Dominio Venetorum cum poteſtate Legati de latere Legatus. Joannes Triviſanus juris utriusque Doctor Miſeratione divina Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primas. Julius Contarenus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Bellunenſis. Joannes Delphinus eadem gratia Torcellanus Epiſcopi. Franciſcus Lauredanus Abbas B. Mariæ della Vangadizza Adrienſis ſeu nullius Diœceſis, Abbas ſeu Commendatarius. Et Marcus Antonius a Turre utriuſque Signaturæ Referendarius, Eccleſiæ Veronenſis Præpoſitus. Literarum Apoſtolicarum in forma Brevis ſub anulo Piſcatoris more Romanæ Curiæ Sigillatarum ſub Pontificatu Pii Papæ IV. rec. mem. de Anno præterito 1564. expeditarum, & Rever. tunc & pro tempore exiſtenti Legato in prædicto Dominio directarum de & ſuper retaxatione quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum in ditione Ser. Dominii prædicti tam maritima quam mediterranea conſiſtentium occaſione decimarum quæ in futurum per Sedem Apoſtolicam imponi contingerit. Abſente Reverendiſs. in Chriſto Patre Domino Danielle Barbaro eadem miſeratione divina Electo Patriarcha Aquilejenſi noſtro in hac parte Collega, Commiſſarii & Executores Apoſtolici ſpecialiter deputati: quia procedentes ad taxationem prædictorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum præſentia nobilium Virorum Dominorum Marci Juſtiniano, & Petri Sanuto in Aſſiſtentes per Sapientiſſimum Senatum Venetum deputatorum, comperti ſumus, fructus, redditus & proventus deſcriptos & annotatos in condictione nobis propter ea præſentata parte & nomine Ven. Dominarum Prioriſſæ & Pizochararum Congregationis Tertii Ordinis S. Dominici

Ve-

Venetiarum etiam cum juramento adeo tenues exiſtere, quod deductis ducatis ſeptem auri de camera pro qualibet ipſarum, & ſupportatis omnibus neceſsariis: ipſæ Pizocharæ quæ ad numerum viginti ſepem exiſtunt, unde ſolvere hujusmodi decimas non habent, quinimo ultra quantitatem fructuum prædictorum, piæ Chriſtifidelium elargitiones & eleemoſynæ ſibi ſunt neceſſariæ, & ſi cogerentur ad ſolutionem decimarum hujusmodi, id fieret cum extrema eârum confuſione. Propterea ſtantibus prædictis, ac etiam ſtante Ordinatione prælibati Sanctiſſimi Pontificis fel. rec. & aſſenſu Sereniſſimi Ducis & Dominii prædicti, cum quibus in Eccellentiſſimo Colleggio habuimus ſermonem, prædictas Pizocharas a decimarum hujusmodi tam præſentium quam in futurum Apoſtolica auctoritate prædicta imponendarum ſolutione liberandas, eximendas, & abſolvendas duximus, prout per præſentem noſtram ſententiam Apoſtolica auctoritate & qua fungimur in hac parte abſolvimus, eximimus, & liberamus. Et ne Pizocharæ prædictæ propter ea moleſtentur, mandamus Notario noſtro infraſcripto & quibuſcumque aliis ad quos onus hujusmodi ſpectat & pertinet, ut in libro authentico earumdem decimarum partitas dictarum Pizzochararum aptare & conſolidare debeant cum effectu. Et ita dicimus, pronunciamus, decernimus, & declaramus atque mandamus omni meliori modo quo poſſumus atque debemus.

Acta, data, & promulgata fuit hujusmodi ſententia abſolutoria per Rever. D. Legatum, Commiſſarios & Executores Apoſtolicos ſupranominatos in ſimul congregatos. Cum præſentia Cl. Nobilium ut ſupra in Aſſiſtente deputatorum in Palatio Apoſtolico in confinio S. Fuſcæ Venetiarum in camera ſolitæ audientiæ prælibati Rever. Dom. Legati Anno Nativ. ejusdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo quingenteſimo Sexageſimo ſexto. Indict. Nona. Die vero Vigeſimo Secundo Menſis Januarii. Vacante Pontificato. Præſentibus ibidem Hon. Dominis Joanne Ritio q. Domini Antonii, & Silveſtro Valdrino q. Domini Appollonii Civibus Venetis Ratiocinatore & Coadiutore respective prædictarum Decimarum Teſtibus ad præmiſſa habitis, vocatis, & rogatis.

Joannes Triviſanus Patriarcha Venetiarum & Commiſſarius.

Daniel Barbarus Electus Aquilejenſis & Commiſſarius.

Julius Contarenus Epiſcopus Bellunenſis Collector & Commiſſarius.

Joannes Delphinus Epiſcopus Torcellanus Commiſſarius.

Franciſcus Lauredanus Abbas Collector & Commiſſarius.

M. Antonius Turrianus Præpoſitus & Commiſſarius.

Presbyter Bartholomæus a Capello
Plebanus Notarius Decimarum rogatus ſubſcripſi.

Alexander VIII. Monialibus Monaſterii S. Martini Ordinis S. Dominici Venetiarum Indulgentias Scalæ Sanctæ concedit.

C 1690. 31. Martii.

Ex Autographo apud Sorores de Pœnitentia S. Dominici.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ & Monialibus Monaſterii S. Martini Monialium Ordinis S. Dominici Tertiariarum Civitatis Venetiarum Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Ad augendam veſtram devotionem, & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti Vobis omnibus & ſingulis, ac aliis in veſtro Monaſterio degentibus vere Pœnitentibus & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, quæ ſcalam intra Clauſtra veſtri Monaſterii ſitam orationi tantum deſtinatam quater in anno flexis genibus pie aſcenderitis, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderitis, qua vice prædictarum id egeritis, ut eas omnes & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes conſequamini, quas conſequeremini ſi Scalam Sanctam de Urbe piè flexis genibus & perſonaliter aſcenderetis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus & indulgemus. In contrarium facien. non obſtantibus quibuſcumque. Præſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint, atque ſi dicta Scala aliis uſibus inſerviat, præſentes quoque nullæ ſint.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXXI. Martii MDCXC. Pontif. Noſtri Anno Primo.

Gratis pro Deo & Scriptura.

J. F. Card. Albanus.

INCI-

INCIPIT PROLOGUS
In legendam cujuſdam B. Mariæ de Venetiis

Sororis Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici Inſtitutoris, & Patris Ordinis Prædicatorum tum quoad Fratres & Sanctimoniales, quam quoad prædicti utriusque ſexus de Pœnitentia ipſius Beati Dominici.

NOvellæ cujuſdam ſingulariter dilectæ Domini Jeſu Chriſti, non ſolum miraculoſam converſionem ad ipſum Jeſum, ſed etiam ex tunc laudabilis vitæ proceſſum, felicemque tranſitum ad cunctorum Chriſti Fidelium ædificationem, ac ad aliorum, & præſertim ſui ſtatus, & habitus de Pœnitentia Beati Dominici imitationis exemplum, ſecundum quod Dominus ipſe conceſſerit narraturus; mihi inchoandum occurrit cum Apoſtolo primæ ad Corinthios primo capite ſic dicente: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus*, quia *Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere*, utriusque videlicet non tantum ſexus, ſed etiam conditionis, & ſtatus, hoc eodem Apoſtolo Epiſtola præfata in ſecundo capite affirmante, quod ſcilicet vult Deus *omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. In cujus utique veritatis completa, & perfecta cognitione, ſeu clara viſione ſecundum omnes Sanctos noſtra finalis ſalus, & beatitudo principaliter noſcitur contineri. Hoc autem peroptabile humanæ ſalutis opus non ſolum Deus ipſe per ſeipſum mentibus hominum inſpirando, aut in carnem perſonaliter veniendo, vel Angelicos ſpiritus hominibus tranſmittendo, ſed etiam per miniſterium ſervorum ſuorum pure hominum a mundi exordio, adimplere efficaciter procuravit: utpote tam per medium Patriarcharum, & Prophetarum, quam Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, quam etiam Doctorum ſive Prædicatorum antiquorum, ac novellorum in fine temporum ab ipſo eodem Domino tranſmiſſorum; Ordinis quorum Beatus Dominicus extitit dux, & pater inclitus, nec non & ab eodem Patre ad hunc finem ſalutis videlicet peccatricium animarum talis Or-

do principaliter noſcitur inſtitutus : quod in exordio Conſtitutionum dicti Ordinis ad literam continetur.

De quo Ordine Ego Fr. Thomas minimus, & indignus exiſtens & anno Domini MCCCXCV. Sepulchro Dominico viſitato, Venetias cum galeris Venetorum adveniens, cum dicto anno, & deinceps per annos quamplures in Conventu noſtro SS. Joannis, & Pauli de Venetiis, & conſequenter hinc inde per Civitatem Venetiarum, tunc qui quinquagenarius prædicationis officium exercerem, vigente etiam tunc tam in dicto Conventu, quam in Conventu S. Dominici, ac etiam in Monaſterio Corporis Chriſti de vera obſervantia regulari, reperire me contigit, quam plures utriusque ſexus perſonas propter auditum verbi Dei, & præfatæ obſervantiæ regularis exemplar ad renunciandum mundi vanitatibus, & Deo ſerviendum quam bene diſpoſitas, & conſequenter quotidie efficacius per effectum, ita fore percepi : quemadmodum tunc etiam quamplures, & maxime de Confratribus noſtri Ordinis ſunt experti, & ſingulariter quidam Reverendus, videlicet Fr. Joannes Dominici de Florentia ſupradictæ regularis obſervantiæ tam ibi, quam alibi ſingularis fautor, & promotor, in tantum, ut aliquæ perſonæ remanentes in ſæculo vitam mirabiliter auſteram propter Chriſtum aſſumerent. Aliqui vero totaliter relicto mundo arduam religionis obſervantiam etiam invitis parentibus propter ipſum Dominum audacter, & ferventer arriperent, ut ſic ad Regna cœleſtia cognita, & concupita habilius evolarent. Ex quibus, ut de maſculini ſexus religionem aſſumentibus explicatius loquar, tot Habitum Ordinis Prædicatorum aſſumpſerunt, quod in modico tempore ultra octuaginta, vel nonaginta Fratres in Conventu Sanctorum Joannis, & Pauli, & S. Dominici de Venetiis ad noſtrum Ordinem ſunt recepti ; de quibus poſtmodum plurimi tam ex vita, quam doctrina, & aliqui miraculorum evidentia, eximiæ converſationis extiterunt, & famæ : de ipſisque in parte ſit mentio in quodam Libello, quem incœpi de ortu, ſeu origine ſtatus Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Beati Dominici in Venetiis ; qui etiam Libellus hic in infraſcripta Legenda, in aliquibus ejusdem Legendæ capitulis memoratur. Conſimiliter etiam tantæ feminei ſexus perſonæ ad ſupradictum Corporis Chriſti Monaſterium, per ſupradictum

ſtum Fr. Joannem Mcccxciv. jam inchoatum (1), & ordinatum, non ſolum de ſæculo, ſed etiam de aliis Monaſteriis propriæ ſalutis tractæ cupidine confugerunt, quod antequam annus Domini Mcccxcvii. compleretur, dicti Monaſterii Moniales, me in ingreſſu fere cujuslibet earum aſſiſtente, ad numerum quaſi octuagenarium pervenerunt; inter quas quamplures, & usque hodie aliquibus translatis ad Cœlum, vitam potius Angelicam, quam humanam ducere dignoſcuntur, de quibus hic ad præſens non ſpectat aliter explicare. Simili etiam modo a ſupradicto tempore in Civitate Venetiarum, quamplures utriusque ſexus perſonæ a me habitum ſupradicti Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici, authoritate interveniente Magiſtri & Generalis totius Ordinis noſtri, ſuſceperunt: Et quaſi omnes, & maxime mulieres, teſte Deo, & quemadmodum apparet in præallegato Libello, fuerunt præcipuæ virtutis, & vitæ. De quorum, ſive quarum numero tunc temporis ſingulariter fuit hæc Soror Domini dilecta Maria, de qua ſpecialiter, Deo dante, proſequi, & enarrare intendimus, ſecundum quod in hujusmodi Prologi exordio fuit expoſitum, & præmiſſum. Ad gloriam Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Sanctorum ſuorum. Qui Chriſtus Jeſus cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat unus Deus per infinita ſæcula benedictus. Amen.

Explicit Prologus.

(1) Vide Decadem primam in Monaſterio Corporis Chriſti.

Incipiunt tituli, ſive Tabula Capitulorum præſentis Legendæ Beatæ videlicet Mariæ de Venetiis, Sororis Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici.

DE hujus Beatæ proprio nomine, ac ipſius tam ex patria, quam ex parentibus origine, ac progenie. Capitulum primum, quod incipit, *Contigit ergo anno ſupradicto &c.*

De ipſius maritali copulatione, & ad domum mariti introductione. Capitulum ſecundum, quod incipit, *Præfata ergo a Domino &c.*

De

De ipſius maritali ad tempus ſeparatione, & ad domum propriorum genitorum regreſſione. Capitulum tertium, quod incipit, *Accidit autem, ut bujus* &c.

De ipſius ſubitæ, & admirabili ad Deum converſione: Et nedum ejusdem converſionis, ſed etiam futuræ ſanctæ converſationis, per ſanctos effectus efficaci demiratione. Capitulum quartum, quod incipit, *Cum ergo ſic in domo propria* &c.

De ipſius in via Dei profectu, & deſiderio perfecti auditus verbi Dei, & ſingulariter in prædicatione. Capitulum quintum, quod incipit, *Ex tunc autem dilecta Domini* &c.

De ſingulari iſtius Dilectæ Domini devotione in audiendo Miſſas in Eccleſia, ceteraque divina Officia: ac ejusdem divini Officii per ipſam tam in Eccleſia, quam in domo devota proſecutione. Capitulum ſextum, quod incipit, *Conſimiliter etiam ad plures Miſſas* &c.

De ipſius vitæ quoad plura ſingulari auſteritate, & ſenſuali mortificatione. Capitulum Septimum, quod incipit, *Vitam Fratrum Prædicatorum* &c.

De ipſius Sacramentalis Confeſſionis, Communionis, lectionis, & orationis devota frequentatione. Capitulum octavum, quod incipit, *Statutis temporibus* &c.

De ipſius ad tria Religionis vota, cum nondum eſſet adhuc Beati Dominici habitu veſtita, præcipua affectione, ac pro ſuo modulo proſecutione. Capitulum nonum, quod incipit, *Inardeſcens autem* &c.

De ipſius ad proximum præcipua ac ordinata charitate, & dilectione. Capitulum decimum, quod incipit, *De charitate*.

De ipſius erga Deum charitatis perfectione, ceterarumque virtutum conſequenter plena adeptione. Capitulum undecimum, quod incipit, *Quantum autem ad charitatem*.

De ipſius ad habitum Sancti Dominici affectione, & ejusdem pro ipſo obtinendo inſtanti poſtulatione ac impetratione, nec non quam devota, & ſolemni dicti habitus per ipſam ſuſceptione. Capitulum Duodecimum, quod incipit, *Hoc autem quod dictum eſt* &c.

De ipſius ægritudinibus, & qualiter in ultima, quæ fuit de peſte, feliciter migravit ad Dominum. Capitulum tertiumdeci-

decimum, quod incipit, *Cum autem poſt ſupradicti habitus* &c.

De ipſius funeris ad ſepulturam quam devota traditione. Capitulum quartumdecimum, quod incipit, *Mane autem facto* &c.

De quibusdam viſionibus, & quibusdam aliis circa ipſam habitis, quæ contigerunt tam dum ipſa ægrotaret, quam etiam poſtquam fuit tradita ſepulturæ. Capitulum quintumdecimum, quod incipit, *Poſt aliquos autem dies ſepulturæ* &c.

De ipſius univerſali gratia, quam habuit in vita, in morte, & poſt mortem tam coram Deo, quam coram hominibus utriusque conditionis, ſexus, & ſtatus. Capitulum Decimum ſextum, quod incipit, *Quantitate autem gratiæ* &c.

Expliciunt tituli Capitulorum præſentis Legendæ.

Et incipit ipſa Legenda.

De hujus Beatæ tam proprio nomine, quam de ejus patria atque progenie.

CAPUT I.

Contigit ergo anno ſupradicto, ſive immediate ſequenti ad ipſum videlicet MCCCXCVI. cum ego Fr. Thomas ſupradictus in ſupradicto Conventu SS. Joannis, & Pauli actualiter prædicarem, pervenire ad manus meas, unam Deo vere dilectam de præfata Venetiarum Civitate oriundam, & Dominam Mariam nomine proprio appellatam de ſatis diviti, & famoſa parentela; cujus genitor dictus eſt D. Nicolaus de Domo Storione, & ejus genetrix D. Jacoba nuncupata eſt, mulier nempe ſecundum mundum ſingularis prudentiæ, ac præcipuæ honeſtatis & famæ, bonæque progeniei Civitatis Veronæ. (2)

De

(2) Mortem ejus audiſſe infra narrat Author, anno 1399. die 28. Julii, ætatis anno 20. igitur natales habuit anno 1380. vel ſuperiore. Annum nativitatis adſignat 1381. Marcheſius in Diario Dominicano ad diem 28. Jul.

De ipſius maritali copulatione, & ad domum mariti introductione.

Caput II.

PRæfata ergo a Domino ſingulariter præviſa dilecta Maria, cum in puellari ætate conſtituta, præcipuæ probitatis, & honeſtatis eſſet puella, attamen vanitatibus, & ornamentis corporalibus, quibus illa puellaris ætas implicari ſolet, ac etiam plurimum oblectari, dedita ſatis erat; ad quod etiam impellebatur, quia erat quam pulchra corpore, nec non corporali, ac temporali ſponſo per parentes continue id tractantes, matrimonialiter copulanda. Sicque tandem factum eſt, quod uni juveni nuncupato Jannino Civitatis Venetiarum de bona domo, quæ dicitur de Platea, & habenti patrem ſatis magnarum divitiarum, matrimonialiter copulata eſt, & conjuncta; conſequenterque in domum dicti Patris, & Mariti ſui Jannini finaliter introducta, tunc ferme quatuordecim annorum ætatis exiſtens.

De ipſius maritali ad tempus ſeparatione, & ad domum propriorum genitorum regreſſione.

Caput III.

ACcidit autem, ut hujus Domini dilectæ maritus non ſolum aliqualiter, ſed etiam quamplurimum eſſet diſſolutus atque laſcivus, & exhinc quemadmodum antequam ſponſam acciperet, ita & poſt acceptam uxorem, cum proprio genitore modicum concordabat. Unde factum eſt, ut a patre pariter, & ab uxore diſcederet, & extra Venetias verſus Mantuam inter arriperet, emptis equis, & armis pro ſtipendio, & lucro, ac mundiali honore more ſtipendiariorum ibidem pro viribus aquirendis, eo quod inſonuiſſet de guerra inter Dominum Ducem Civitatis, (3) & Ducem Mediolanenſem firmiter adſumenda. Sicque contigit, ut cum ejus uxor in do-

(3) Hi bellorum motus pertinent ad annum 1393. & inſequentem. Vide Muratorium in Annalibus Italiæ.

domo genitoris mariti, ipſo abſente, non bene eſſet contenta, nec ibidem ſtaret decenter, de matris propriæ conſilio, & aſſenſu, relicta domo mariti, ad domum ſuorum genitorum per ejusdemmet genitricem eſſet reducta; hoc diſponente illo, qui dilectis, & electis ſuis omnia in bonum cooperari diſponit, & eisdem bona in melius convertere conſuevit.

De Mirabili, & ſubita ipſius ad Deum converſione: & nedum ejusdem converſionis, ſed etiam futuræ Sanctæ Converſationis per ſanctos effectus demonſtratione.

CAPUT IV.

CUm ergo ſic in domo propria, vel ſuorum parentum, quæ erat juxta Conventum noſtrum ſupradictum SS. Joannis, & Pauli, reſideret Domini prædilecta Maria, eſſetque tunc annorum ſedecim, vel circa; & audiret a propria genitrice de prædicationibus noſtris eam pulſare cœpit precibus importunis, quatenus ipſam ad prædicationes præfatas amore Dei ſecum ducere dignaretur. Quod cum fieret audiendo attentius verbum Dei, ita illico de Mundo ad Deum tota eſt converſa, quod apud me, & ejus Matrem verſum eſt in ſtuporem non parvum. Cujus utique poſt veram contritionem, & humilem confeſſionem miræ converſionis, & ſatisfactionis indicium in illo exordio, inter alia iſtud fuit, ejus genitrice etiam id cum non parva devotione atteſtante, videl. quod cum dilecta Deo ſemel a Prædicatione noſtra domum quaſi in Deum totaliter abſorpta rediret, ſtatim dimiſſa Matre, & reliquis de domo ad cameram propriam ſibi a genitoribus traditam, & in domus ſuperiora conſtitutam cucurrit, & in fervore ſpiritus omnia caputia ſua accipiens, cœpit ab eisdem cuncta ad ipſorum mundialem ornatum facientia, ſeu pertinentia cum longe majori complacentia, quam prius cum ipſos ornatus appoſuiſſet, feſtinanter & ex toto reſcindere. Sed cum in hoc occupata moram contraheret ultra morem, Matre hæſitante de cauſa dilationis inſolitæ, tandem aſcendit, & acceſſit ad eam, reperitque ipſam cum fervore mirabili, quod dictum eſt, facientem propter quod non modicum de hoc ſe turbatam oſtendens eandem quaſi cum indignanti animo in-

crepare cœpit ac dicere : O bona mulier quod eſt, quod facis? Nam & ſi tu non vis curare de iſtis, quare non cogitas de aliis proximis, & præſertim de ſororibus tuis, quæ non ſunt in tali diſpoſitione quibus poterunt talia eſſe ad comodum. Siquidem in Domo erant inter alias puellaris ætatis duæ germanæ ipſius dilectæ deo, quæ deputatæ erant ad matrimonia contrahenda, & cum eis etiam alia non germana. Tunc Chriſti dilecta, ſuam genitricem tam humiliter, quam prudenter, & dulciter eſt taliter allocuta dicendo: O dulcis & bona Mater nolite turbari; quoniam ſic facio modo dum ſum in tam bona diſpoſitione, ut in eadem de bono in melius proficere valeam, & ut a me abſcindam omnem occaſionem tentationis futuræ, quæ in me oriri poſſet de iſtis truſſis iterum reſumendis ac portandis in poſterum. Quæ verba ſantæ Sapientiæ Mater attendens, tactaque illico ſtupore mentis intrinſecus, verba præfata apud ſe tacita conſiderabat, & non ſolum de dictis verbis, ſed etiam geſtis a filia ſecum conferebat in corde ſuo ipſaque quam mature ponderans, & diſcrete, quamquam totum diſſimularet ab extra, quampluri-mum tamen admirata, ac ædificata remanſit ab intra. Aliud autem in Dei dilecta conſequenter apparuit, non ſolum perfectæ converſionis indicium, ſed etiam futuri profectus, & ſanctitatis præludium: Videl. quod deinceps cœpit taliter in his quæ ad Deum pertinent delectari, ut in nullo præteritorum, ſeu in aliquo ſibi oblatorum de cœtero mundialium oblectamentorum ne dum hujusmodi complaceret, ſed potius cuncta veluti ſtercora cum Apoſtolo arbitraretur, & abhorreret.

De ipſius in via Dei profectu, & deſiderio perfecti auditus Verbi Dei, & ſingulariter in Prædicatione.

CAPUT V.

EX tunc autem dilecta Domini taliter gradatim in via Dei virtuoſe proceſſit, quod ut ex dicendis patebit ad perfectionis apicem tandem ex ſignis evidentibus eſt adducta. Siquidem cum in principio ſupradicti temporis ipſa eſſet ætatis decem, & ſeptem, vel circa annorum, (4) & cepiſſet Prædicatio-

(4) Anno Chriſti circiter 1395. vel inſequente.

cationis indefaticabiliter frequentare, tanto audiendi illas compellebatur ardore, quod ut poſſet id melius proſequi juxta votum dimiſſis juvenilibus geſtaturis a parentibus quod portare poſſet cappam, & veſtes puellarum dominarum finaliter impetravit. Concurrente etiam ad hoc deceſſu de peſte duarum ſuarum germanarum, de quibus in præcedenti capite facta eſt mentio, & unius germani tredecim, aut quatuordecim annorum exiſtentis circiter. Quos omnes ante ſecum non parvo feſto præmiſit ad dominum, prius me inter alios teſte cooperans quod munirentur, ſicut & factum eſt Eccleſiaſticis Sacramentis, per quod etiam evidenter innuitur qualiter ipſa inſtinctu prophetico ornatus mundiales & vanos a ſuis ſupradictis caputiis amputarat, eo quod nec ipſa nec germanæ præfatæ dictis caputiis ſic ornatis ullatenus de cœtero amplius indiguerunt. Poſt hæc autem tanto fervore vigebat, quod omnia ad divinum cultum pertinentia ferventiſſime, & affectuoſiſſime proſequebatur, ſive eſſet in Eccleſia, ſive in domo aut ubique foret. Et inter alia ſemper per totum tempus quatuor annorum, & ultra (5) ex quo Deo ſuo ſervire cœpit, prædicationes indefaticabiliter eſt ſecuta. Ad quas audiendas ſe coaptans, tanta & tali attentione, mentiſque aviditate ferebatur ad illas, ut non ſolum ipſas inhianter corporaliter audire, ſed etiam cum mirabili auſtu interiori ſingula prædicationis verba ne dum ruminare, ſed deguſtare, & deglutire, ac etiam ad cordis intima transmittere cum quodam non parvo mentis jublilo videretur. Et cum tanta inſtantia perſeverantia, ac vigilantia, & veluti continue amplius verbi Dei famelicam, quod non obſtante quavis expectatione vel prædicationis præſtolatione nunquam tam per aliquam perſonam aut per me potuit percipi, vel adverti, quod in prædicatione, ne dum dormiret, ſed nec quod vel leviter dormitaret, aut quod predicationem aliquam, ſive intra quadrageſimam ſive extra, quomodolibet præteriret etiam horam prædicationis pro viribus preveniendo ſeque in loco aptiori aut conſueto locando, nec ex quavis temporis intemperie id ipſum pretermittendo. Quin primo etiam aliquando pre deſiderio valde tempeſtive de domo gratia prædicationis exibat, & hoc præſertim tempore quadrageſimæ, & cum prædicatio de

(5) Ab anno Chriſti circiter 1395.

mane contigiſſet fieri a remotis. Et cum diceretur eidem, quod ſibi deberet diligenter advertere, cum eſſet juvenis valde, ac ſpecie non parum decora quamquam ſatis abjecta, & oculis ſemper ad terram demiſſis incederet, humiliter reſpondebat. Se bonam habere cuſtodiam, vel cuſtodem in cella ſua mentali ſemper mentaliter conſtituta, in qua coram Deo, & Sanctis ſuis aſſiſtebat quocunque iret, vel ſtaret, & ſive eſſet ſola, ſive perſonis qualibuſcumque aſſociata. Siquidem in præfata cella mentali ſingulariter exercitabatur de qua utique cella copioſius alibi pertractatur. Si autem contigiſſet quod haberet ſervire in aliquo patri ſuo carnali, ex eo quod frequenter podagram patiebatur, & antiquus eſſet ætatis, vel aliquid hujuſmodi ita prudenter ſibi previdebat, & parentes ſeu genitores taliter ſuis verbis humilibus demulcebat, quod ſuam intentam devotionem de auditu verbi Dei ab eis gratantiſſime impetrabat, & ſic de audienda predicatione plene ut optaverat obtinebat. Nec erat tale, & tantum iſtud deſiderium auditus verbi Dei ratione tantum ſciendi, aut ex aliqua curioſitate, ſeu quavis vanitate; ſed ſolum intuendi placendi Deo, ejuſdemque voluntatem cognoſcendi, & illam pro viribus adimplendi, nec non & ſpiritum ſuo pabulo recreandi, ut ſic vere exiſteret veluti altera Maria, quæ libenter ſedens ſecus pedes Domini Jeſu cum inexplicabili aviditate verba audiebat ipſius. Propter quod ſuæ genitrici aliquando dicebat: O ſi ſciretis bona Mater cum quanta delectatione audio verba Dei; & poſtea addebat, firmiter ſcitote, quod quemadmodum illa delectabiliter audio, ita & opere implere deſidero in tantum, ut ſingula affectem cordialiter retinere, & effectualiter adimplere pariter conſervare, & ita pro viribus proſequi, ſeu exequi ſatagebat tanquam vera diſcipula Chriſti Jeſu, dicentis ſe veniſſe non legem ſolvere, ſed adimplere per ſingula, ac etiam veluti imitatrix alterius Mariæ Genitricis ipſius Jeſu verba ejuſdem conſervando ac etiam in corde illa ſecum dulciter conferendo, & ex his quando contingebat quod ſerva Dei advertiſſet Dei verbum avide, & attente ab aliis audiri ſumme gratulabatur, & ita de oppoſito plurimum triſtabatur. Et cum poſt confeſſionem ſuam Sacramentalem aliquando occurreret vel alias quod mecum poſſet quantulumcumque loqui de Deo ita reficiebatur atque ſagina-

gina-

ginatam in mente, quod cum corpore eſſet jejuna, carneque vigiliis, & aliis auſteritatibus ſpiritualiter macerata, ita tamen pro tunc corporaliter comparebat ac ſi delitioſis dapibus ac potibus fuiſſet refecta aut ſaturata recenter. Et ut breviter huic capitulo finem imponam teſtificor hic coram Deo, & hominibus quod nunquam in fervore auditus prædicationis, & verbi Dei conditionis, & ætatis ſuæ fœminam ſimilem atque etiam virum me huc uſque recolo reperiſſe; ut ſic ex omni parte oſtenderet ſe ſapientiæ veræ dilectrix de numero fore illorum, qui ſunt ex Deo, & qui tanquam beati audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

De ſingulari iſtius dilectæ Domini devotione in audiendo Miſſas in Eccleſia cæteraque divina officia, ac ejuſdem divini officii per ipſam tam in Eccleſia, quam in Domo devota proſecutione.

CAPUT VI.

CONſimiliter, etiam ad plures Miſſas juxta votum aut ſecundum quod ſibi erat permiſſum ſive in Eccleſia ſua Parochiali, ſive in noſtra exiſtens, & etiam ad alia divina officia, non ſolum quam devote aures præbebat intentas quemadmodum in prædicationibus faciebat, ſed adhuc ultra hoc ſemper flexis genibus ad cuncta præfata devotiſſime morabatur. Silentium ibidem ſemper ſervans, & orans cum oculis penitus demiſſis ad terram, ut nunquam eſſet quem ipſa videret, vel a quo plene videri poſſet in facie, etiam veniendo ad Eccleſiam aut redeundo ad domum, ut recte quoddam eſſet ſpeculum, & exemplar præcipuum cunctorum ipſam euntem, & in Eccleſia reſidentem intuentium, non ſolum puellarum, vel juvenum, ſed dominarum etiam provectarum; & ne dum virorum mundanorum, ſed etiam clericorum, & Fratrum religioſorum, & præſertim de ipſa notitiam aliqualem habentium. Officium Beatæ Virginis ſecundum conſuetudinem Ordinis Prædicatorum tam in Eccleſia, quam in domo ad plenum cum magna devotione perficiebat, diurnum pariter, & nocturnum, & ad aliud officium tam de tempore quam de Sanctis feſtis ſe quotidie amplius coaptabat; unde etiam pro

ipſa

ipſa emptum fuit unum Breviarium in Civitate Senarum, ſecundum conſuetudinem dicti Ordinis Prædicatorum, quod hucuſque apud Sorores de Pœnitentia Beati Dominici de Venetiis ob ſui memoriam atque reverentiam conſervatur.

De ipſius vitæ quo ad plura ſingulari auſteritate, & ſenſuali mortificatione.

Caput VII.

Vitam Fratrum Prædicatorum, & monialium Monaſterii Corporis Chriſti de Venetiis & etiam B. Catharinæ de Senis quantum ad auſteritates obſervare pro ſuo modulo totis viribus nitebatur. Siquidem carnes nunquam etiam in infirmitate ſine præcipua obedientia comedebat, & mirabiliter jejunabat. Semper induta, & quam ſemper genuflectens dormiebat, & extra lectum cum omnino ſibi dormiendi neceſſitas incumbebat. In omnibus veſtibus quibus utebatur præciſe laneas habebat, ſicque lineas aut pelliceas nunquam portabat, & ultra hoc die ac nocte ſuper teneram, & nudam carnem continue cilitium etiam aliquando groſſiſſimum deferebat. Et cum aliquando ipſam interrogarem qualiter cilitium poſſet deferre continue, & ſignanter tam groſſum taliterque nodoroſum, & iſpidum ſemper hilari vultu, ridentique facie mihi humiliter reſpondebat, dicens: Care Pater, Ego veritatem dico vobis, quia nihil de ipſo ſentio, ac ſi nihil hujusmodi deportarem, videbanturque plurima ſibi modica præ amoris magnitudine, aut quaſi nihil. Unde etiam catenam quandam groſſam ſatis de auricalco portabat ad Carnem, usque ad finem vitæ, qua pro ſingulari beneficentia a quadam mihi, & ſibi ſpiritualiter in Chriſto dilecta ſuſceperat de Sanctimonialibus Corporis Chriſti, & ulterius adhuc cum diſciplina a præfata, aut ab alia perſona ſecreto ſuſcepta, qua ſæpius ſeipſam diſciplinare acriter procurabat. Ut ſic non ſolum dictum Baptiſtæ faciens fructus dignos pœnitentiæ juxta culpas ſuſceptarum delitiarum, tormenta rependeret pœnarum; ſed etiam ad Chriſti doctrinam ſe affectam oſtenderet de qua dixit, quod niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, fructum

mul-

multum affert, & qui amat animam ſuam perdet eam, & cœtera quæ ſequuntur ibidem. Erat autem Chriſti dilectæ pœnitentia auſtera, & abſtinentia tanto amplius admiranda, quanto ætate adhuc juvencula, ſemper in deliciis enutrita, & cum hoc continue etiam ſe inveniebat, inter parentum ipſam tenerrime diligentium, & quam ſplendide corporaliter viventium delitias conſtitutam. Et tanto etiam mirabiliter, quanto ejus gratioſa induſtria rigorem ſuum non obſtantibus ſupradictis, cum pace tandem, & gratia ac ædificatione cunctorum de Domo executioni mandabat ad votum. Proinde ſilentium tam in domo, quam extra ad imitationem ſupradictæ B. Virginis Catharinæ pro poſſe ſervabat. Siquidem cum ipſa audiſſet de continuo ſilentio a dicta Virgine per triennium obſervato, omnino diſpoſuit ſe ad conſimile ſilentium ubique ſervandum in tantum quod per totam unam quadrageſimam, in qua ego apud Sanctum Barnabam de Venetiis de ſupranominata cella mentali quotidie prædicavi, & quæ fuit ultima quadrageſima (6) quam Chriſti ſerva degens in corpore celebravit, etiam non obſtante, quod omni die ipſa ad dictam prædicationem accederet, aut quod genitori ſuo ſupradicto ſerviret. Nihilominus quam ingenuoſe religioſorum more nutibus utendo loco verborum ad plenum, & juxta votum ſupradictum ſilentium obſervavit. Deindeque vigiliis ita quod niſi totaliter a natura coacta, & præciſe in ſtratu dormiret, & conſimiliter diverſis modis aliis ſuum tenellum corpuſculum quotidie amplius conabatur affligere, de quibus ad præſens pertranſiens gratia brevitatis huic Capitulo ad plenariam iſtius Dilectæ Chriſti auſteræ pœnitentiæ laudem taliter finem impono. Videlicet quod in cunctis ſuis auſteritatibus ſupradictis, minime veluti jejunans hypocrita triſtis, ſed tanquam præcipue divinæ gratiæ unctione peruncta ita ſemper jucunda, & hilaris apparebat, ac ſi novis, & quotidianis deliciis uteretur. Quibus tamen veraciter non utique corporalibus, ſed ſpiritualibus alimentis ſaginato ſpiritu in Domino fruebatur.

De

(6) Anno ſcilicet 1399. ut infra.

De ipſius Sacramentalis Confeſſionis, Communionis, Lectionis, & Orationis devota frequentatione.

CAPUT VIII.

STatutis temporibus modo in ſua Parochia, modo ad Monaſterium Corporis Chriſti de gratioſa licentia ſui tunc Curati, ac etiam mea cum magna aviditate ſacram ſumebat Euchariſtiam, & tam devote ut aſtantes in admirationem converteret, & ad devotionem ſingulariter provocaret. Cui ſacræ Communioni ſacramentalem Confeſſionem humilem pariter ac flebilem præmittebat, & cum diſcretione præcipua tunc Sacramenta hujusmodi frequentabat. Poſt habitus vero B. Dominici ſuſceptionem, juxta vivendi formulam ſui ſtatus, ac ſecundum morem Fratrum Prædicatorum nondum Sacerdotum, aut Monialium Corporis Chriſti, in certis Solemnitatibus, & obtenta licentia a ſuis Superioribus, humiliter comunicare curabat. In ipſa autem Confeſſione ſua, a modico tempore ſuæ Converſionis, & deinceps ita ipſam puram reperiebam, ut infantulam quinque annorum, & ſignanter erga materiam concupiſcentiæ ſenſualis, ad hoc ex ſuis Sanctis exercitiis ſupradictis, & infra dicendis deveniens, ut mihi fateretur ſibi de ſe videri, ac ſi non eſſet in Carne. Nihilominus tamen ſuam Confeſſionem ita mature exprimebat, ac ſi eſſet antiqua ætatis, tangens in ſpeciali quæ inter unam Confeſſionem, & aliam dicenda contigiſſent, & reliqua in generali, prout etiam a me edocta fuerat. In Confeſſione utendo verbis humilibus, ac brevibus, licet ſententioſis; Superfluis, & inutilibus penitus reſecatis. Item cum ſciret legere ultra divinum officium, etiam ſacris lectionibus intendebat, & cum prius penitus neſciret ſcribere, me ordinante, in modico tempore quam decenter didicit ad ſcribendum. Unde litteras quam plures tranſmiſit Piſas de manu ſua quibusdam Sororibus noſtris de Pœnitentia Sancti Dominici ibidem exiſtentibus, & tam ſibi, quam mihi ſingulariter in Chriſto dilectis. Etiam tranſcripſit quædam per me ſcripta diverſis religioſis perſonis. Quæ una cum ſupradictis ſuis Ciliciis, diſciplinis, & corda in quibuſdam perulis, ſeu intemellis apud Sorores de pœnitentia B. Dominici ob ejus reveren-

verentiam hucusque ſervantur. Tantæ inſuper cum ſupradictis vigiliis, meditationis, contemplationis erat ac orationis, ut quaſi ſemper poſt divinum officium, atque poſtquam adſcripſiſſet ſive legiſſet tam meditationi, quam contemplationi, vel orationi vacaret in tantum quod Mater idipſum advertens ex Conſcientia, ad ſervitia domus eam quam modicum requirebat, ſed ſæpius parcebat, ne a tanto bono, ſui occaſione, Domini dilecta impediretur; quamquam ipſa ad quævis exercitia exiſteret tam ex affectu activæ vitæ, quam etiam propter obedientiæ meritum quam prompte obedire parata, ita utique genitrici veluti vices meas gerenti, ſicut & mihi. Quæ utique Mater, cum aliquando mihi loqueretur, dicebat qualiter longe amplius ſibi, & domui ſuæ cedebat ad comodum, quod ejus filia apud Deum orationi, cui ita ſe ſpiritualiter coaptabat, inſiſteret; quamquam aliquibus corporalibus miniſteriis hinc inde per domum inepte occupata intenderet. Nam cum quaſi continue ſurſum ad divina pariter, & cœleſtia traheretur, & ſic interioribus & ſpiritualibus præcipue eſſet intenta remiſſa in exterioribus niſi ut præfertur obedientia, aut ſingularis exigentia caritatis, & pietatis proximi interveniſſet neceſſario reddebatur. Quantæ autem efficaciæ ejus oratio fuerit apud Deum ex ſequentibus apparebat, inter quæ hic unum adduco de multis ſingulariter admirabile & infra plenius declarandum. Quia cum ancilla Chriſti genitores haberet omnino contrarios reſpectu habitus de Pœnitentia B. Dominici, quem ipſa tandem aſſumpſit, & præſertim ex eo quod appareret nimium juvenilis ætatis noviterque dictus habitus in Civitate Venetiarum ſumpſiſſet exordium, nec non & eſſet ipſa adhuc viro Matrimonialiter copulata quamquam Matrimonium minime dictus habitus ſolvat, attamen quod abſque aſſenſu eorundem ſuorum genitorum id exequi non valeret, advertens taliter orando divinas aures propulſavit, quod immutatis voluntatibus parentum conſenſu ipſorum non ſolum reſpectu dicti habitus, ſed etiam cujuscumque alterius voti ſui ad plenum obtinuit, & gratioſiſſime impetravit. Pro finali autem hujus Capituli concluſione, præfatis adjici poteſt, quod ex aſſiduitate orandi, & quaſi continue tam in Eccleſia quam in domo flexis genibus ſtandi genuum tumefactionem incurrit, pro ut infra de hac infirmitate ſua, &

aliis latius explicatur. Et quemadmodum ſæpius orando oculis mentalibus elevabatur in Deum; ita in dictæ elevationis argumentum etiam oculi ſui corporales elevati, & erecti cernebantur in Cœlum. Et ſic ſufficiat de iſto Capitulo.

De hujus Domini dilectæ ad tria Religionis vota, cum nondum eſſet B. Dominici habitu religioſo veſtita, præcipua affectione, & pro ſuo modulo proſecutione.

CAPUT IX.

INardeſcens autem pro ut ſibi erat poſſibile ad tria ſolemnia religionis vota, quamvis adhuc habitu Beati Dominici non induta, attamen tanquam Deo tota dedicata, quemadmodum ſupradictas Sacræ religionis ceremonias, ita & ejuſdem vota præfata exequi plenarie ſatagebat. Unde quantum ad votum paupertatis voluiſſet quam prompte omnia, quæ habebat in potentia, vel in actu erogare pauperibus propter Chriſtum. Et cum ex hoc aliqua hinc inde dediſſet, Matre ſciente, & iterum poſt etiam aliqua alia, genitrice penitus ignorante, ad vitandum omne ſcandalum, & obtinendum intentum de conſilio, & mandato meo totum quod ad ipſam pertinebat, dictæ ſuæ Matri ſimpliciter, & alacriter reſignavit. Et ſic pauper effecta ſpiritu, ideſt affectu pariter, & effectu ita de hoc lætanter gloriabatur, & glorianter lætabatur, quod erat ſingulare feſtum videre juvenculam a teneris annis in temporalium cupidine enutritam, nunc autem tanta ac taliter frui beatitudine paupertatis.

De Caſtitatis autem voto quid dicam, cum a ſupradicto ſuæ converſionis tempore ſemper talis diſpoſitionis invenerim ac ſi nunquam hominem cognoviſſet? & conſimiliter cum firmo propoſito, quod, ubi Deo placeret, & poſſibile foret, nec in præteritum unquam virum cognoviſſe voluiſſet, nec in futurum unquam cognoſcere vellet. Et ut breviter circa hoc concludam, in confeſſione ſua, ut ſuperius dictum eſt, nec ſolum ſemel, ſed quampluries mihi cum ſingulari expreſſione & magna efficacia revelavit, dicens: Teneatis firmiter, care Pater, quod Domino largiente, ego me taliter ſentio, ac ſi non eſſem in carne. Et nihilominus ſæpius addebat hujus-

modi verba, videlicet: O care Pater ſi ſciretis, quam mala mulier ego fui: & ecce nedum carnis incentiva, ſed nec ipſi primi motus in caſtificato corpore propter gratiæ copiam videbantur poſſe quovis modo inſurgere. Minime autem vellem, Lector dilecte, quod quamvis hæc Chriſti ancilla pro tempore antequam ſe ad Chriſtum perfecte converteret, ex humilitate ſe malam fœminam vocitaret, ſuſpicareris ipſam tunc fuiſſe minus honeſtam, quoniam quantum ad mundum ſemper reputata fuit honeſtæ converſationis, & famæ. Sed hinc erat, quod omnem actum quantumcumque modicum impudicum reputabat grande peccatum pro quanto propter perfectam ſui converſionem ad Chriſtum admirandam affectionem conceperat non ſolum ad caſtitatem Matrimonialem, aut vidualem, ſed etiam virginalem.

Denique de obedientia ejus quid loquar? Cum a ſeculo nunquam ſimilem viderim ſuæ conditionis, nec forſan viſurus ſum in hac vita; ſiquidem omnia ita ab ore meo tanquam a Domino dicta ſuſcipiebat, quod veluti ab ipſo Deo audita, ſive mandata cum ſumma lætitia, ac ſimul reverentia & promptitudine ad plenum adimplere curabat, ut coram Deo poſſim veraciter affirmare, me non recolere, quod unquam obedientiam meam fuerit quovis modo affectione, ſeu affective transgreſſa, quin inhianter illam non affectaret plenarie pro viribus executioni mandare. Nec hanc obedientiam tantum erga communia obſervaſſet, ſed erga quæcumque vis ardua, etiam uſque ad effuſionem ſanguinis; quod, ut infra patebat, avide ſitiebat, quantum in ea fuiſſet modo conſimili perfeciſſet ad imitationem parata ſui cæleſtis ſponſi; Qui factus eſt obediens non ſolum uſque ad mortem, ſed etiam uſque ad mortem Crucis.

De hujus Deo dilectæ ad proximum præcipua Charitate, & dilectione.

CAPUT X.

DE charitate proinde, ſeu charitatis dilectæ Deo tam erga Deum & proximum augmento, & perfectione, cujus ſupradictæ religionis virtutes, & vota ſunt aptiſſima in-

ſtrumenta, ſaltem aliqualiter narraturus, ſcire te volo dilecte Lector, quomodo hæc dilecta, tanquam dilectrix veriſſima proximorum ita principaliter, & ferventer eorumdem zelabat ſalutem, quod cum adverteret ipſos propriam ſalutem vilipendere quovis modo ſumme cruciabatur; & ita per oppoſitum cum videret eosdem, quemadmodum ipſa fecerat, de quibusvis vitiis ad virtutes redire mire gratulabatur. Parata inſuper fuiſſet, quantum in ipſa erat, per totum orbem incedere ad prædicandum pro ipſis ad viam ſalutis efficaciter revocandis. Sed ut ſpecialiter loquar, & primo de charitate quam erga maritum ſuum gerebat, quæ nempe talis fuit, & tanta, quod non immerito eſt hic aliqualiter inſerenda. Sciendum quod, dictum eſt, cum eſſet vir ſuus juvenis, & laſcivus, & ab eodem mirabiliter male tractata, modicum appretiata, & ex toto quodam modo derelicta, nihilominus ſemper gerebat ſalutem ejus in corde. Et cum ſibi per quamplures perſonas, etiam aliquando ipſa advertente de tanto infortunio talis mariti non parva compaſſio monſtraretur, ipſa tunc talibus cum benignitate humiliter reſpondebat ſic dicens: Ego ex hoc percipio me Deo fore longe amplius obligatam, ac etiam marito meo, pro quanto ex tali derelictione me conjunctam ſentio cum ſponſo meo cœleſti, ſingulariterque dilectam, & multipliciter viſitatam ab ipſo, & principaliter ad ſibi ſerviendum magis liberam & expeditam; propter quod orationes ingeminabat pro ſalute Mariti, illasque quam avide pro ipſo Deo porrigebat. Retulit etiam mihi illius Genitrix, quod hæc viri ſui vera dilectrix cum aliquando recogitaret ſe habitum Sancti Dominici ſuſcepiſſe, de quo infra dicetur, & cum hoc ſponſum præfatum licet tunc abſentem habere, ex una parte plene confidens erat in Domino, ex alia parte vero, quaſi verens, ne ex hoc offendendi Deum aliquando marito ſuo revertenti occaſio traderetur, veluti zelotipa ſalutis ejusdem, poſtmodum infirmata, cum percepiſſet adhuc de reditu viri ſui, matrem advocans, eamdem eſt taliter allocuta: O dulciſſima Mater, ecce quam bene erga me providet ille qui cuncta gubernat, & regit, quare, ut viſibiliter video, Dominus vult me ex hac luce ſubtrahere. Et licet cunctis poſſit mirabiliter providere, nihilominus ubi ſic diſponat, non ſolum non habeo timere, quod ſim, vel fuerim, aut futura

ſim

ſim occaſio marito meo alicujus culpæ propter quæcumque per me dicta, vel geſta intentione placendi Deo; ſed potius habeo plurimum gaudere, eo quod ſibi futura ſim materia veræ compunctionis, & converſionis ad Dominum, ut ſic una mecum ſalvus efficiatur. Propter quod etiam ſi non eſſet niſi iſtud, habeo cœleſti ſponſo meo ſumme regratiari, & de hujus peregrinationis exilio juxta amabilem ipſius erga me providentiam, & beneplacitum quam libenter exire. Quemadmodum autem reſpectu viri ſui, ita etiam erga genitores ſuos, atque conſanguineos conſimiliter ſe habebat ipſos diligendo vera Chriſti charitate utpote principaliter, & ex toto in Domino, & propter Deum. Unde cum ejus genitrix aliquando miraretur, ac etiam aliqualiter turbaretur, quod præ aliis ab ipſa dilecta filia non ſibi compateretur in ſuis tribulationibus, utpote de tranſitu aliorum ſuorum filiorum, ſeu conjunctorum, & de aliis quæ ſecundum mundum reputantur ſiniſtra pariter & adverſa; ſed potius de talibus divinis diſpenſationibus lætaretur. Ipſa dilecta Deo de hoc advertens, & tunc propriam genitricem reverenter alloquens ſic dicebat: Teneatis pro certo Cariſſima Mater, quod ego non diligo vos, & alios noſtros, nec jam ut diu dilexi ſecundum carnem, ſed præciſe ſecundum ſpiritum: nec ex hoc dulciſſima Mater vos minus, aut imperfectius ſic diligendo diligo; ſed tanto amplius, & perfectius vos amare convincor, quanto rationalis ſpiritus eſt carne nobilior, & ſublimior, teſte illo, qui cuncta novit, & qui eſt caritas, & dilectio infinita. Et prout mihi recitare habuit prædicta Mater, conſimiliter etiam Serva Chriſti aliquando allocuta eſt genitorem dicendo ſibi: Sciatis dulciſſime Pater, qualiter ego vos non diligo ſecundum corpus, ſed totaliter in Domino vos amo, & tanquam Chriſto, & in perſona Chriſti veſtræ paternitati miniſterium ſervitutis impendo. Et addebat; eodem modo chariſſime vobis humiliter ſupplico, ut me in Chriſto ſolummodo diligatis, & propter Chriſtum. Et ſimiliter ad ſuos alios ſe habebat. Ex hoc autem proceſſerat, quod germanis ſuis ſupradictis ægrotantibus, antequam ex hac luce migrarent, poſtpoſitis timoribus, & complacentiis, aut diſplicentiis ad vitam ſenſualem, ſive carnalem pertinentibus, ipſa principaliter nunquam deſtitit, veluti de ſalute eorum zelotipa, quoadusque muniti fuerunt Eccleſiaſticis Sacramentis, prout etiam ſupra

ta-

tactum fuit in capite quinto. Ex eodem etiam procedebat, quod genitores pro viribus in Domino confortabat, & cum expedire judicabat ipſos fraternæ caritate humiliter corrigebat: ac tam ipſis, quam aliis de domo, etiam a tempore germanarum, & germani, prout ex ſacris prædicationibus attigiſſet ſalutis monita dulciter exhibebat. Et non ſolum conſanguineis venientibus in domo idem faciebat, ſed etiam exiſtentibus a remotis usque Veronam, ubi parentes ſuæ genitricis morabantur, dicta ſalutis monita transmittebat, optabatque præſertim poſtquam habitum Sancti Dominici ſuſcepit, Veronam perſonaliter accedere; ut nedum in præfatis ſuis quovis modo ſanguine junctis, ſed etiam in aliis fructum reportaret peroptatæ ſalutis ſuorum proximorum. Sed de me quid dicam? Quem cum intenſe præ aliis in Chriſto diligeret, attamen quantum ad hæc corporalia commoda, vel quævis alia hujus mundi proſpera, quæ mihi potuiſſent quomodolibet evenire, nec etiam cogitabat; ſed ſemper in ſuis orationibus præcipue pro me Dominum exorabat, & me fore magnum Dei ſervum, verbique divini præconem, ac ſalutis animarum fervidum zelatorem, totis præcordiis peroptabat, etiam usque ad quodvis terribile martyrium incluſive. Unde pro ut mihi retulit mater ſua, cum contingeret aliquando, quod dilectam Domini aliqualiter increparet dicens: Tu es valde mulier indiſcreta; quia cum abundemus omnibus bonis temporalibus, Domino largiente, tu nunquam videris cogitare, quod iſti patri tuo ſpirituali tam indefeſſe pro te, & pro aliis laboranti pro recreatione ejusdem aliquid transmittatur. Cui illa ſuo benigno more, & humili reſpondebat eidem ſic dicens: Dulciſſima mater, novit ille, cui omnia ſunt patula, & aperta, ſi ego cogito, & recordor de ipſo; verum tamen ego minime ſibi diligo iſta parva, & vilia, quæ ſunt parvulorum: ſed deſidero illi maxima, & illa, quæ ſunt perfectorum. Ego enim optarem ipſum effici maximum martyrem propter Chriſtum, etiam minutatim incidendum, quemadmodum B. Dominicus Pater ſuus, ut ſibi ipſi contingeret, prout ſitit Cervus ad aquæ fluvium, affectabat quatenus juxta quantitatem meritorum ei in Cœlo correſponderet quantitas præmiorum; & addebat: iſta ſunt, quæ ſunt aliquid, reliqua vero reſpective ſunt nihil. Quæ omnia mater audiens

ſub-

ſubticebat. Sciebat enim ſerva Chriſti, quoniam noſtrum erat vivere in communi; propter quod transmittere mihi aliquid de ſupradictis erat potius aggravamen, niſi in magna quantitate, qua communicari potuiſſet toti noſtro Conventui magno, mitteretur. Unde nusquam recolo, quod ipſa vel ejus genitrix mihi contulerit, aut transmiſerit aliquid temporale, niſi forſan ſemel, vel bina vice. Quemadmodum autem ſpiritualiter ad me, ita & ad multas alias perſonas erat ſingulariter ex charitate affecta. Afficiebatur namque ſignanter ad omnes Sorores Ordinis de Pœnitentia S. Dominici, & ad alias affectas eisdem in tantum, quod ſibi ſingulare erat feſtum, atque ſolatium eſſe cum eis, aut cum aliqua earundem: & hoc ita ante ſicut & poſtquam ipſa ſuſcepit habitum ſupradictum; peroptans, quod dictarum Sororum ſtatus quotidie amplius tam merito, quam numero augeretur. Conſimiliter etiam ad Moniales Corporis Chriſti erat ſingulari in Chriſto caritate conjuncta, cum quibus ratione tam mei, quam ſupradictarum conſororum ſuarum de Pœnitentia B. Dominici, familiaritatem habebat in Domino ſpiritualem. Et de licentia, & conſenſu meo ordinaverat apud eas ſepeliri ad intra poſt mortem ſuam ubi de peſte tunc occurrente decederet, ſicut & factum eſt per effectum, prout infra ſuo loco patebit. Eodem modo ad Fratres Prædicatores utriusque Conventus de Venetiis obſervantia regulari vigentes, caritate præcipua ferebatur, veluti ad ſingulares, & proprios ſibi germanos in Domino. Ita tamen, quod eſt mirabile dictu, quia cum taliter ad dictos Fratres afficeretur, & de auditu prædicationum, divinorumque Officiorum ab eisdem ſingulariter gratularetur, & conſolaretur in Domino, nunquam tamen alicui de ipſis, aut cujuſcumque religionis alterius, niſi forſan bis, aut ter, & cum licentia locuta eſt toto tempore vitæ ſuæ, prout etiam dum ægrotaret ægritudine, de qua migravit ad Dominum, coram pluribus, etiam me præſente, proteſtata eſt. Nec ſimiliter alicui ſæcularium Sacerdotum, niſi ſuo Parochiano: & hoc ſolum cum contigiſſet ſtatutis temporibus recipere ab eodem Eccleſiaſtica Sacramenta. Mihi autem communiter loquebatur in vigiliis magnarum Solemnitatum, cum vel deberet confiteri, ſive de aliquo informari, aut etiam cum hoc ſanctiſſimum corpus recipere Jeſu Chriſti. Sicut autem ad me, &

ad

ad ſupradictos, ut præfatum eſt, ſpiritualiter, ita juxta caritatis ordinem gradatim afficiebatur ad omnes, etiam usque ad infideles, & ad quosvis ipſam male tractantes. Ad omnem laborem pro ſalute generaliter proximi tam temporaliter ſeu corporaliter, quam ſpiritualiter per opera miſericordiæ tam corporalis, quam ſpiritualis libere præparata; tradendo nihilominus promptiſſime executioni quocumque poterat bono modo; nam ſuper ſalutem animarum, & corporum non ſolum per ſubventionem, ſed etiam per perſonalem infirmorum viſitationem, nec non circa funera eorundem, cum ex hac luce migrari contigiſſet, usque ad proſecutionem ſepulturæ multa peregit: Et longe plura feciſſet, niſi ego prohibuiſſem propter ſui ſexus juvenilem ætatem. Et ut brevius dicam ad tantam charitatis proximi perfectionem pervenerat, ut ſuæ etiam ſpiritualis conſolationis commoditate propter proximi dilectionem oblita, non more multorum, qui proprii commodi cupidine, abſentiam ſpiritualium Patrum ad tempus modicum ferre non poſſunt; ſed potius veluti mater cunctorum, per charitatis perfectionem effecta, optaſſet non ſolum præſentialiter me carere, ſed etiam me ad remotiſſimas mundi partes usque adhuc ad infideles accedere, prout optabat de ſe Sanctus Pater noſter Dominicus. Et hoc totum ubi in ſalutem proximorum Dilecta Deo cedere cognoviſſet. Et finaliter de ipſius affectione ad ſibi quovis modo injuriantes, eſt ſciendum quod cum male ab aliquibus tractaretur, aut derideretur, & præſertim cum in veſtibus magis abjectis cœpiſſet incedere, & adhuc amplius cum habitum de Pœnitentia B. Dominici ſuſcepiſſet, primo de illatis ſibi injuriis gratulabatur, & exultabat in Domino, quod videlicet digna facta eſſet cum Apoſtolis pro nomine Jeſu contumelias pati. Deinde vero pro culpis ſibi adverſantium ingemiſcens, nedum malum pro malo, ſed compaſſionem omnem, & omne bonum ſibi poſſibile eis reddere conabatur, & de facto reddebat, & maxime aliquibus attinentibus ſibi pro tempore, quo contigiſſet ab eis quomodolibet moleſtari. Cum ergo perfecta caritas exigat proximi, ut videlicet primo ſit vera, proximum propter bonum proximi diligendo: Deinde recta, & ordinata principalia bona primo, ſecundario alia proximo peroptando, & procurando. Ulterius ſancta, & Deo dicata, in

Deo,

Deo, & in ordine ad Deum proximum diligendo, ſive dilectione ejusdem proximi tam active, quam paſſive in ipſum Dominum terminando. Et tandem operoſa, ut cum neceſſitas ſe offert, & facultas adeſt proximo cum effectu ſubveniendo. Domini autem Dilecta cum integraliter præfata perfecerit, merito concludi poteſt, ipſam erga proximum charitatem præcipuam habuiſſe. Et præterea cum charitas Chriſti poſſit conſiderari quantum ad extenſionem, non ſolum prout ſe extendit ad propinquos, amicos, atque extraneos, ſed etiam usque ad adverſarios, & inimicos: vel adhuc quantum ad intenſionem, non ſolum propter proximi ſalutem temporalia, ſeu corporalia, ſed vitam corpoream poſtponendo. Aut denique quantum ad ſubventionis exhibitionem, non ſolum quævis alia, ſed etiam ſpiritualia, & divina, & nedum uni, ſed pluribus exhibendo. Et hæc Domini dilecta circa caritatem proximi cuncta prædicta fuerit pro ſuo modulo proſecuta, ſeque ipſam proximi charitate ſingulariter viguiſſe; ut vere ſibi conveniat reſpectu proximorum illud ſui ſponſi, de quo Joannis tertio decimo Capite ſcribitur, videlicet: quod *cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*. Quoniam quemadmodum ipſe Dominus Jeſus appropinquans paſſioni, & morti dilexit diſcipulos, & proximos ſuos in finem; idem perſeveranter usque ad finem vitæ, & dilexit in finem, idem in Deum tanquam ad optatum, & ultimum finem, ac etiam dilexit in finem, quare in ſua paſſione, & morte eis ſingularia ſigna dilectionis oſtendit: ita hæc Domini dilecta Maria non ſolum in vita, dum ſoſpitate vigeret, ſed etiam perſeveranter usque dum languens morti appropinquaret, confortans in Domino non ſolum cunctos de domo, ſed etiam omnes utriusque ſexus perſonas, quæ ad ipſam viſitandam quomodolibet advenirent, ſingulis grata inditia ſuæ viſceroſæ charitatis præcipue patefecit. Nec prætereundum, quod quemadmodum ipſa ſic ad omnes erat ſingulariter per proximi dilectionem affecta, ut ex dictis apparet; ita & omnes illam quovis modo noſcentes præcipue afficiebantur eidem, prout in ultimo Capite hujus Legendæ copioſius declaratur. Etiam Lector cariſſime non mirere, quod hoc Capitulum de dilectione proximi, Capitulo de dilectione Domini præmittam. Quoniam licet divina dilectio dilectionem proximi dignitate, ac perfe-

ctione præcedat, attamen proximi dilectio dilectionem Dei, ſaltem dupliciter noſcitur anteire. Et primo ſecundum quod in eodem imperfectum præcedit perfectum; quoniam in diligendo proximum Deus diligitur in ſua imagine: ſed in dilectione Dei Deus diligitur in ſeipſo, quod eſt perfectius; ut ſic dilectio proximi ſit quædam via, & quædam habilitas ad dilectionem Dei. Et ad iſtud iterum dicit Gregorius in 7. Libro Moral. ſupra primo verbo *Neceſſarii quoque mei*; Quod etſi amor Dei gignat amorem proximi, per amorem tamen proximi amor Dei nutritur, & tunc plenius in Dei dilectione proficimus, ſi in ejusdem dilectionis gremio prius proximi caritate lactamur. Et ſubdit hoc iterum habuiſſe Joannem in ſua Canonica cum dixit: Quod *qui non diligit fratrem ſuum, quem videt: Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Secundo poteſt dici dilectionem proximi dilectionem præcedere Dei, ſecundum quod per dilectionem proximi divina dilectio oſtenditur, & probatur, dicente Beda ſuper verbo, *Simon Joannis diligis me plus his?* Hæc ſola & vera eſt probatio integri amoris in Deum, ſi erga fratres ſtudueris curam ſolliciti exercere laboris. Secundum quod iterum dixit Joannes ubi ſupra, quomodo *hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*, ut videlicet ſupra diligendo fratrem, ſive proximum, Deum diligere comprobetur; alias minime. Et ideo ut poſt dilectionem proximi ad dilectionem divinam principaliter ſequenti Capitulo reſervatam, ſine ulteriori dilatione valeamus accedere, omnino huic Capitulo quod principaliter eſt de dicta proximi caritate finis totaliter imponatur.

De ipſius erga Deum Caritatis perfectione, cæterarumque virtutum plena adeptione.

CAPUT XI.

QUantum autem ad caritatem hujus Dilectæ Domini erga Deum eſt ſciendum, quomodo tam fide præambula, & ſpe aſtante, caritas divina ſuccrevit in illa, ut in modico temporis proceſſu ſe plene paratam invenire in totum & per totum, & totaliter ad faciendum omnia propter Chriſtum

etiam

etiam usque ad tolerantiam martyrii propter ipſum. Unde cum contigiſſet aliquando de divinis ad invicem fabulari, me ex induſtria illam interrogante, an vellet mecum ad ſubeundum martyrium propter Chriſtum ad Turcas accedere, cum prompte reſpondiſſet: O care Pater, utinam eſſet verum; ita hilareſcebat animo, & ferveſcebat in corde, ut etiam tota rubicunda facie effecta, veluti ſeraphicus; qui pingitur Angelus, videretur. Cum autem a me audiſſet in prædicationibus per totam unam Quadrageſimam ſingulariter in Conventu SS. Joannis, & Pauli de Venetiis factis, vel etiam alibi de proceſſu vitæ, ac de ferventi, & exceſſiva caritate illius veraciter Seraphicæ Beatæ Catharinæ de Senis, quam geſſit tam ad proximum, quam ad Sponſum ſuum, in tantam exarſit devotionem ad ipſam; quod cum quodam ſemel tranſiret per viam, ſeu Contratam S. Lucæ de Venetiis, ubi pictores comuniter commorantur, & caſu vidiſſet apud unum dictæ artis magiſtrum unam tabulam parvam, in qua erat imago dictæ Beatæ depicta, & eſſet a dicto pictore ex intentione, & ſolo Domino inſpirante, meque de hoc penitus nil ſciente, facta, ut mihi ab eodem pro ſingulari, & mihi grato munere largiretur; attamen a dicto Magiſtro dictam imaginem cupiens obtinere, multis intervenientibus precibus, & pretio tanquam a Domino ſolum ordinata pro ea ipſam ab eodem finaliter impetravit. In cujus evidens ſignum, quia præfatus artifex nunquam ex tunc mihi aliam ſubrogat. Qua utique imagine per dilectam Domini habita, cœpit ſuper Cilicium albam deferre tunicam cum non parva lætitia; ſumme anhelans ubi ſuo cæleſti ſponſo placeret, propter ipſum, in totum indui habitu ſupradictæ Beatæ. In cujus deſiderio in tantum proceſſit, quod in quadam alia ancona, quam, cum ægrotaret, ordinavit mihi debere tradi poſt mortem ſuam, pingi ſe fecit inter quasdam imagines Sanctorum Ordinis noſtri ante Crucifixi Imaginem aſſiſtentes, habitu totaliter ſupradicto induta, tenensque in manibus proprium cor, quod totum integraliter, & pro ſemper ipſi Crucifixo Domino præſentabat, ac liberaliter offerebat; quemadmodum a quolibet noſtrum requirit ipſe Dominus dicens, *Fili præbe mihi cor tuum*. Et conſequenter invaleſcente prædicto deſiderio, tandem dictum habitum ad plenum obtinuit, pro ut in ſe-

 quen-

quenti capitulo oſtendetur. Quamvis enim, ut ſupra narratum fuit, ipſa juvenis juvenem haberet virum, licet abſentem, nihilominus cum tanta fiduciæ efficacia in ſponſo ſuo æterno, dictum habitum propter amorem ſuum induendum audenter, & conſtantiſſime petiit, ut in Capitulo ſequenti patebit; quod omnes ad quos ſpectabat idipſum concedere coacti ſunt etiam reverenter, & ſe dulciter inclinare ſuæ tam piæ, quam ferventi petitioni; veluti ſi Dominus cunctos per ipſam fuiſſet imperialiter allocutus. Et ut paucis multa concludam tam ante, quam poſt dicti habitus ſuſceptionem, in tantum continue divina caritate fervebat, quod nedum ſibi poſſibilia, ſed etiam impoſſibilia appeteret proſequi propter Chriſtum. Unde cum ſæpius in Confeſſione ſe mihi ſuper omnes culpabilem acclamaret propter ingratitudinis vitium, & quare non reſponderet tantæ divinæ dilectioni juxta deſiderium ſuum ad plenum, & ſecundum quod debere judicabat fieri: & ego ipſam interrogarem, dicendo: Numquid non es tu parata ad faciendum omnia propter Deum totaliter, & pro ſemper: ipſa in columbina ſua ſimplicitate tam prompte, quam alacriter reſpondebat, dicens: Teneatis pro certo, care Pater, quod ſic: Et bene hoc ipſe novit, quod in totum, & ſuper totum ac totaliter, & pro ſemper parata ſum ad omnia propter ipſum. Quem loquendi modum cum a me in prædicationibus ſæpius audiſſet, quando me contigiſſet exprimere, quam dilectrix atque fidelis anima ad cuncta debet eſſe præparata atque diſpoſita propter Deum, & ſponſum ſuum, ita ipſum totum, ſeu dicta totalitas ſuæ menti erat impreſſa, quod ex deſiderio ſic implendi divinæ dilectionis præceptum cum immenſa mentis, & cordis alacritate dictæ totalitatis modum, etiam multoties oretenus replicare ſolebat, non ſolum inter me, & ipſam, ſed adhuc in præſentia aliorum. Ex hoc proveniebat quod ipſa ultra contemplativæ vitæ obſequia, ac admirandæ ſuæ pœnitentiæ exercitia, etiam alia quæritabat pati, & facere propter Chriſtum. Unde cum eidem quævis infirmitas adveniſſet, ita ridebat, ac lætabatur, ſicut qui bonum nuntium audit, multos theſauros adinvenit, aut videt, quod a diu deſideravit. Quinimo teſtificari coram Deo, & hominibus veridice poſſum, quod nunquam ipſam ita alacrem, & jucundam inveni, ſicut quando āliqua cujusvis ſpeciei infir-

firmitas corporalis eam arripuiſſet. Quod ſignanter contingit, cum ab ultima ſua de peſte ægritudine arrepta fuiſſet; de qua etiam juxta ſuum deſiderium ex hac luce migravit, ut infra dicetur. Ex eodem etiam fervore accedere affectabat ad omnes infirmas de peſte, & ad ſepeliendum conſimiliter de peſte defunctas; & ita pro ut poterat executioni mandabat tam quantum ad illas de Domo, & præſertim ſclavas ab aliis magis relictas; quam quantum ad alias non ſolum perſonaliter viſitando, ſed in infirmitatibus miniſtrando poſt earumdem deceſſum funera induendo, & ad ſepulturam usque tam devote, quam alacriter ſociando, quemadmodum etiam in præcedenti Capitulo aliqualiter fuit tactum. Siquidem quod eſt dictu ſignanter mirabile; quoniam ubi cæteri ſolum ex auditu peſtis, & maxime juvenes præcipue terrebantur; ipſa tamen etiam cum jam foret morbo peſtilentiali percuſſa, ita ridens lætabunda, & hilaris eſt effecta, quod niſi hoc ipſum ego perſonaliter vidiſſem, minime idipſum credere potuiſſem. Immo licet id oculata fide perceperim, attamen quanto ex tunc id magis cogito, tanto amplius ſtupeſco; cum tanta & talis fuerit præfata lætitia quod apud noſcentes eam, nec unquam antea, nec poſt viſa fuit taliter ac tantum ridere pro una vice, talique, ac tanta quemadmodum tunc alacritate perfundi. Ubi Chariſſime Lector nota, quod cum tempore dictæ peſtis, quæ in Venetiis (7) annis pluribus, licet modo intenſius, modo remiſſius perduravit, ego in Conventu, & hinc inde per Venetias prædicarem, in ſolatium tam ſpeciale, quam generale fidelium inter alia aliquando in prædicationibus inſerebam, qualiter infirmitates de peſte, & ſignanter cum propter Chriſtum, & animæ ſuæ ſalutem infirmitatem præfatam, non ſolum voluntarie, & patienter, ſed multo magis cum eamdem avide, & hilariter acceptabant, merito erant veluti martyres ipſius Chriſti. Et hoc ex eo quod propter ægritudinem, & mortem peſtilentialem taliter acceptatam tanquam per quoddam terribile martyrium, ſeu divina juſtitiam, aut ſatisfactoriam pœnitentiam Deo plene reconciliati, & a peccatis juſtificati, atque

(7) De hac peſte pluries in Veneta Civitate graſſante, narrat plura Auctor in ſuo Tractatu de initio, & progreſſu Ordinis de Pœnitentia in Civitate Venetiarum.

que purgati efficiebantur, ac propter tale præſens purgatorium ex hac luce migrantes nedum ab inferno, ſed etiam a quovis alio futuro purgatorio verisimiliter immunes quodamodo reddebantur, & ſic in Cœlum ab Angelis glorioſe, & triumphaliter portabantur. Et ideo conſequenter quemadmodum temporibus martyrum tam ſervientes, quam confortantes in Martyriis ad conſtantiam, quam ipſi Sancti Martyres Martyrium patientes, apud Deum quampluriműm merebantur; ita etiam ſuo modo non ſolum portantes patienter, & dulciter Martyrium dictæ peſtis, ſed miniſtrantes eis, & ad tolerantiam exhortantes eoſdem, exiſtimari poterant, non parvi fore meriti apud Deum. (8) Et hæc omnia ego, ut prædictum eſt, dicebam, & taliter explanabam ad totius populi refrigerium, atque ſolatium, & præſertim meimet, & quampluriunm perſonarum nobis in Domino præcipua charitate junctarum cum cæteris aliis ſub judicio dictæ peſtis pariter conſtitutis. Et conſequenter etiam ad mutuæ charitatis incitamentum, & ne contingeret amplius, quod de quibuſdam perceperam etiam carne conjunctis, quod videlicet alter alterum ex peſtis ſuperventu ex toto reliquerat contra charitatis debitum, & utriusque hominis ſui proximi damnabile detrimentum. Ex quibus perſuaſionibus, ac aliis, quæ hic dimittuntur gratia brevitatis, taliter tunc factum eſt, dante Deo, ut mors, ſive morbus tam terribilis de cætero in quampluribus tam quoad ſe, quam quoad alios, non modo terribilis, aut triſtabilis, ſed etiam grata, & acceptabilis redderetur, me in prædicationibus aliquoties acclamante, atque dicente: *Viva la buona morte*, tanquam utique nihil melius dabile morte ſancta, ſimilique morti pretioſæ Sanctorum, per quam omnis vitæ præſentis miſeria terminatur, & felicitas peroptata confertur. Quæ omnia cum fervens dilectrix Chriſti quampluries a me in dictis prædicationibus, quibus ſemper intererat, audierit, ita lætabatur ex corde, quod patientibus dictæ peſtis languorem congratulabatur in Domino, ipſoſque emulatione emulabatur, & eisdem gratantiſſime ſerviebat, & miniſtrabat,

(8) Proximam Martyribus palmam promereri deſervientes tempore peſtis infirmis ex ipſo Romanæ Eccleſiæ Martyrologio addiſcimus, qui eo morbo laborantibus miniſtrantes veluti Martyres a religioſa piorum fide excultos fuiſse teſtatur. Conſule Martyrol. ad diem 28. Februarii, & Dionyſium Alexandr. a Baronio in annot. citatum.

bat, ut dictum eſt, etiam ad ſepulturam, nec non & taliter languentibus, antequam contingeret, tales ex hac luce migrare, amore ſui Sponſi ſalutem utriusque hominis quantum erat in ipſa pro viribus procurabat. Et ex iſto etiam proceſſit, ut ſupradictum eſt, & adhuc infra tangetur, quod cum perſonaliter morbus peſtis ipſam arripuiſſet, tanta fuit jucunditate repleta, ac ſi propter Chriſtum, deſideratum ſibi martyrium occurriſſet; & tanto amplius, quanto abſque alicujus proximi ipſam martyrizantis peccato vel culpa, eidem violenta mors fuiſſet illata. Mecum proinde in argumentum ſuæ immenſæ Charitatis ad Deum quaſi ſemper cum illis temporibus loqueretur, ita fervebat veluti olla ebulliens, ac emittens ex ore divini amoris eloquia exprimentia deſideria ignitiſſima, & Sanctiſſima cordis ſui. Ex quo pluries contingebat, & præſertim cum ſola in aliquo loco reſideret, quod præfatis deſideriis inardeſcentibus in ipſa, ſurſum agebatur in Deum, & Sponſum ſuum, propriis erectis quemadmodum interioribus, ita & exterioribus luminibus verſus Cælum, implens illud: *ubi amor ibi & oculus*. Quod inter vices alias ſemel ipſam ſic ſe habentem, dum infirmaretur, contingit ſingulariter me videre: nam cum die quadam circa meridiem aliquali intervallo facto poſt ſui cibi aliquantulam ſumptionem, relicta a Matre & a cæteris, ſola fuiſſet, ut inter plurimas ſui languoris paſſiones experiretur an poſſet paululum quieſcere, vel dormire; poſt aliquantam moram, ego, & genitrix ejus accedentes ad eum ſine ſtrepitu, & ſilenter, invenimus eam cum venuſta & angelica facie erectos oculos ſurſum verſus Cælum irreverberabiliter retinentem, & quaſi aliquid dulce, & delectabile revolveret, & haberet in ore labia præciſe moventem, & aliquando quam dulciter ſubridentem. Quam per bonum ſpatium admirativo intuitu attentius contemplantes, tandem ad piæ devotionis lacrymas pariter concitavit. Et ut infra patebit, non ſolum; non ſolum veluti alter Martinus oculis, atque manibus in Cælum ſemper erat intenta, ſed adhuc altis vocibus, quampluries, dum ægrotaret *ſurſum ad Cælum*, *ſurſum ad Cælum*, audita eſt acclamare. Unde ultra id, quod ego ipſam perſonaliter multoties audivi, ut dictum eſt, ſubclamantem, & apertum Cælum fore frequentius affirmantem; mihi retulit Mater ſua, quali-

ter

ter in ipſa ultima ægritudine ancillæ Chriſti, cum ſemel eamdem in lecto, ut aliquantulum quieſceret, reliquiſſet, & ecce poſt modicum audit ſervam Chriſti admirative dicentem: O quam gentium eſt iſta pulchra caterva, & conſequenter altis, & geminatis vocibus clamantem, O Beate Fr. Nicolae: O Beate Fr. Nicolae; & addebat: O quantum vos diligebat in Domino, quando adhuc eratis viator in iſta vita mortali, eſto tamen quod nunquam tunc veſtræ locuta fuerim caritati. Quæ cum ejus Mater audiens appropinquaſſet ad filiam, ipſam interrogare cœpit, ac dicere. O cara filia, quæ illa ſunt, quæ tu dicis. Cui illa: O cara Mater: O non videtis vos, quam glorioſam multitudinem dilectorum Dei. Et cum hoc dixiſſet, tanquam vidiſſet præfatam catervam cæleſtium civium ad ipſam veniſſe, & eam ad cæleſtes nuptias invitaſſe, deinde ad Cælum rediiſſe, ſtatim cœpit magnis vocibus clamare, & clamando multoties replicare, ac replicando invaleſcere, *ſurſum ad Cœlum*, *ſurſum ad Cœlum*. Et in tantum ut non parvum ſpatium, antequam reticeret, poſtmodum pertranſiret; non enim videbatur poſſe dictis affectuoſis clamoribus præ deſiderio eundi in Cœlum ad ſponſum ſuum quodammodo ſatiari. Quin etiam exiſtimans tunc ex hac luce migrare, ingeminabat clamores, dicendo, *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, pro ut copioſius infra dicetur. Sed antequam procedam ulterius noveris dilecte Lector, quare ſupradictus Fr. Nicolaus (9) fuerat filius cujusdam Magiſtri Joannis in Medicina Doctoris eximii habitantis in Venetiis juxta Eccleſiam Sanctæ Fuſchæ, & cujus genitris extitit quædam Domina Venerabilis Lucia, quæ fuit Soror Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici: habuitque dictus Fr. Nicolaus unam germanam ex dictis parentibus tam re, quam nomine Margaritam, quæ fuit Sanctimonialis in Monaſterio Corporis Chriſti de Venetiis Ordinis Prædicatorum ubi tam virginalem, quam ſanctam & cælibem vitam duxit. Dictus autem Fr. Nicolaus cum eſſet ætatis XVIII. circiter annorum mundum ex toto relinquens, ac ſtudia ſcientiæ ſecularis, cum immenſo fervore Ordinem prædictum in loco Sancti Dominici de Venetiis eſt ingreſſus. Et finaliter cum propter ſuum Sanctæ Religionis commendabilem zelum, mi-

ran-

(9) De hoc Fratre Nicolao plura recenſentur in ſuperiori Tractatu.

randaſque virtutes factus eſſet Prior in dicto Conventu; tandem cum ad ætatem perveniſſet XXVII. annorum, vel circa, curſu vitæ præſentis feliciter conſummato in ipſo juventutis flore migravit ad Cœlum. De cujus miranda vita pariter & doctrina, ſtupendique in utroque fervoris fit mentio in quodam Libello *De Origine Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Beati Dominici de Venetiis*, ac etiam in quadam Epiſtola Ven. P. Fr. Joannis Dominici ſuperius nominati, nec non in quadam Lectura ſuper Cantica dicti Fr. Joannis ſuper illo Verbo: *Indica mihi quem diligit anima mea*. Et ideo ad loquendum de mirandis dicti Fratris me hic aliter non extendo, excepto quod hoc dico, videlicet: quod cum magno tempore fuerimus ad invicem converſati, nunquam vidi religioſum fervoris conſimilis in verbo, & opere ſicut ipſum. Et quemadmodum dixi de præfato Chriſti dilecto, ita dixerim de hac dilectrice Dei Maria; quod nunquam vidi fœminam ſuæ conditionis habentem tanti fervoris exceſſum in omnibus ſuis verbis, concurrentibus factis. Et cum ſimilitudo dilectionis ſit cauſa, non eſt usquequaque mirandum ſi inter hanc Dei dilectam, & ſupradictum Chriſti dilectum a principio usque in finem intervenerat charitas in Domino ſpiritualis, & in tantum, quod Chriſti dilecta percepiſſet dictum Chriſti dilectum apud S. Dominicum migraſſe ad Dominum, omnino ejus exequiis quam devotis intereſſe curavit; nec inde diſceſſit quousque portiuncula de veſtibus dicti Dilecti ſecum ob ejus devotionem pro reliquiis reportavit. Unde ergo conveniens valde fuit, quod cum Chriſti dilecta in extremis exiſteret ab ipſo Chriſti dilecto cum aliis Cœli civibus viſitaretur, ut ſuperius eſt expreſſum, & quod etiam ipſe ab ea cum præcipua charitatis dulcedine cognoſceretur ſingulariter, & ut dictum eſt, ſpecialiter vocaretur.

Ut autem ad charitatem divinam iſtius Chriſti Dilectæ redeam, ita in cunctis ad plenum relucebat in ipſa, ut in angelica juvene, tam verbo, quam opere, tam mente, quam corde, tam ad intra, quam ad extra, & quovismodo ex omni parte, prout hic eſt videre poſſibile ſingulariter impletum appareret divinæ dilectionis mandatum, quo dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua,*

& ex tota mente tua &c. Taliter namque iſtud totum ex quavis parte dilatatum gerebat in mente, quod ſæpius tam dulciter, quam ferventer id replicare audiebatur in ore, & conſimiliter ſemper omni ſuo cernebatur in opere. Unde cum ſemel intueretur iconam, in qua ſe fecerat pingi cum proprio corde, quod Chriſto Domino offerebat, & adverteret, quod ſolum cum una manu cor offerentem Magiſter ipſam pinxiſſet, & non cum duabus, diſplicentiam non parvam incurrit. Et hoc, quare anhelabat cum omnibus exterioribus & interioribus totum divinæ dilectionis ambitum abſque quavis diminutione, omni modo hic in via ſibi poſſibili adimplere. Et defacto taliter, ut præfatum eſt, adimplevit, ut merito dici poſſet, & præſentim noſcentibus eam, veluti quoddam pulcherrimum divinæ dilectionis exemplar coram propoſitum luminibus viatorum: ad inſtar nempe pro ſuo modulo ſummorum divini amoris exemplariorum amore divino ſignanter flagrantium, & ardentium Seraphin; quorum præ cæteris eſt circa ipſum Deum moveri notitia, & amore, utpote inceſſanter, calide, acute, ſuperfervide, attente, forſitan intime, inflexibiliter, & ſempiterne, prout in VII. Cœleſtis Hierarchiæ copioſe Dionyſius domatizat. Sed ut de perfectione charitatis ad Deum hujus ancillæ, & ſponſæ Chriſti amodo concludatur: ad tantum devenit, quod deficiente quodammodo corde ſub tantis ſuccreſcentibus deſideriis tam ignitis, mecum ſicut & ſecum pluries diceret, ſe omnino deſiderare diſſolvi, & eſſe cum Sponſo ſuo, ſuper omnia deſiderato per ipſam, conquerendo nimium, quod quare non poſſet ipſum continue, actualiter, & plene diligere, prout vellet, propter tot occurrentia impedimenta, cogebatur profecto ibi accedere velle, ubi ſine quovis impedimento poſſet ipſum clare videre, & more comprehenſorum eumdem ad plenum diligere juxta votum. Poſt quæ ſecutum eſt, ut adimplere dignaretur Dominus deſiderium ſuum, ipſam eripiendo miſericorditer, atque feliciter de hujus corporis ſarcina cœnulenta, ſecundum quod infra Capitulo XIII. oſtendetur. Igitur cum perfectio charitatis divinæ ex parte ipſius viatoris Deum diligentis non attendenda penes remotionem contrarii, cujus eſt maxime peccatum mortale, prout ipſa divina charitas eſt in incipientibus: vel etiam penes remotionem impedimentorum licitorum,

ſum, ſive per aſſumptionem trium votorum ſolemnium, aut aliorum exercitiorum, ſecundum quod eſt in proficientibus: ſed adhuc penes actualem fervorem, & ipſius divinæ dilectionis actum actualem, ac diuturnam continuationem; ex quibus ſequitur velle eſſe ad tempus anathema a Chriſto pro fratribus propter Chriſtum, ſeu velle propter Chriſtum, quæque adverſa pati, aut velle diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; & hoc prout eſt in perfectis: Et hæc omnia tam evidenter effulxerint quodam modo in hac Chriſti dilecta, ut ſatis liquet ex dictis, & patebit etiam ex dicendis. Sequitur quod bene fuerit perfectæ dilectionis erga Deum in via. Et præterea, cum contingat etiam in charitate Dei exiſtentibus, aliquot velle diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: & hoc aut propter occurrentes pœnas, ſive pœnæ, & culpæ miſerias devitandas, prout eſſe poteſt in incipientibus; aut propter occurrentes præſentes culpas, & Dei offenſas totaliter terminandas, prout eſſe contingit in proficientibus: aut propter occurrentes occupationum diverſitates actualis divinæ dilectionis impeditivas penitus abdicandas, prout eſt proprie in perfectis. Et tali modo, ut patet ex dictis, ac etiam ex dicendis Domini dilecta cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, ut videlicet irrefragabiliter poſſet videre, & diligere Deum ſuum. Sequitur evidenter ipſam in hac vita erga Deum perfectione charitatis præcipua refulxiſſe. Quantæ autem prudentiæ, juſtitiæ, fortitudinis, & temperantiæ fuerit, non poſſem in ſpeciali faciliter explicare; ſed ſufficiat, quod eſt de ejus charitate tractatum; cum perfectio charitatis perfectionem arguat tam virtutum omnium, & donorum, quam etiam beatitudinum, & cunctorum fructuum Spiritus Sancti.

De ipſius ad habitum Sancti Dominici affectione, & ejusdem pro ipſo obtinendo inſtanti poſtulatione, ac impetratione, nec non quam devota & ſolemni dicti Habitus per ipſam ſuſceptione.

CAPUT XII.

HOC autem quod dictum eſt de charitate Dei, & proximi, aliarumque virtutum iſtius, ut ita loquar, quoda-

modo dilectæ Seraphicæ, annuit, & confirmat Habitus Sororum Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici propter honorem Dei, & proximorum ædificationem, per ipſam mundialibus ſuppeditatis reſpectibus poſt tam protelatum deſiderium cum tanta admirabili inſtantia petitus, & ſubito impetratus, ac etiam ab ea inuſitata, ut patebit immediate, & præcipua devotione ſuſceptus. Siquidem cum hæc Domini dilecta interfuiſſet una cum propria Genitrice apud Sanctam Mariam de Charitate de Venetiis, quando videlicet primo Venerabilibus Dominabus Catharinæ Magiſtri Guillelmi de Marionibus, & Aſtrologiæ de Varzonibus, hic habitus cum magna ſolemnitate, & devotione traditus fuit, prout apparet in Libello *de ortu hujus ſtatus in Venetiis, atque proceſſu*, (10) in tantum Dilecta præfata ad dictum habitum concepit Sancti amoris affectum, quod quantum ſua interfuiſſet, ipſum propter ſupernum Sponſum ſuum, qui propter nos habitum noſtræ mortalitatis ſuſceperat, etiam tunc libenti animo ſuſcepiſſet. Creſcente vero ex tunc deſiderio erga habitum prælibatum deſubter deferebat eumdem: & inardeſcens ulterius in idipſum, in quadam ancona cum toto dicto habitu coram Crucifixi imaginem conſtituta pingi ſe fecit, prout etiam dictum eſt in capite præcedenti. Et ſic in propria Cella taliter depictam ſe cernens, qualiter pro tunc poterat, ſuo per hoc ſatisfaciebat exuberanti deſiderio tali modo. Tandem vero in tantum ſubcrevit deſiderium ſupradictum, quod illius amplius præ magnitudine ferre non ſubſiſtens, & ad pedes ſuorum Genitorum humiliter ſe proſternens, non obſtante, quod maritum haberet, licet abſentem, & talem qualem vitam ducentem, taliter obſecravit eoſdem, quod ab ipſis firmiter exiſtimantibus ita divini fore beneplaciti, gratioſe impetravit quod poſſet, quantum ipſorum intererat, indui taliter habitu ſupradicto. Quo impetrato, in vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli venit ad me circa horam tertiam ad Conventum Sanctorum Joannis, & Pauli, & cum me non inveniſſet ibidem, audito quod eram apud Monaſterium Corporis Chriſti cum Reverendo P. Fr. Joanne Dominici, de quo etiam ſupra facta eſt mentio; aſſum-

(10) Tractatum ſuperius citavimus.

ſumpta ſibi una de ſupradictis, ſibi in Chriſto præcipuis Sororibus; videlicet Domina Sorore Aſtrologia, veluti ſpiritu ebria, & corporeæ gravitatis, ac etiam ſuæ juvenilis ætatis oblita, illuc quaſi in momento, ut ita loquar, ad me pervenit. Quam cum vidiſſem totam facie rutilantem, admirans, & ſtatim de cauſa hujuſmodi adventus interrogans; reſpondit hoc per ipſam factum fore, ex eo quod omnino tali die, Domino inſpirante, & mirabiliter cooperante, recipere decreverat ad plenum habitum per ipſam tam a diu deſideratum, quia Deo ſic placebat. Super quo eamdem quodamodo reprehendens, & quomodo hoc cognoſcere adhuc ſic bene non poterat propter multa oſtendens & inter alia tam parentum, quam mariti ſui conditiones multipliciter repugnantes adducens; cum ipſa mihi promptiſſime reſpondiſſet ad ſingula tanta inſtantia, & ferventi deſiderio, replicatis rationibus ſuis, additiſque ſupplicationibus importunis, flexiſque genibus perſeverans, petebat dictum habitum ſibi dari; quod in vita mea ſimile in genere hujuſmodi non percepi, nec etiam poſſem faciliter concipere cor tantæ duritiei, quin ad talis juvenculæ apud Deum & homines ſingulariter gratioſæ, tam rationabilia, & commendabilia, efficaciſſima, & dulciſſima, ac etiam inſtantiſſima rogamina, ex toto liquefieri, & emolliri non debuiſſet. Unde & ego non valens reſiſtere taliter deprecanti, cum vocaſſem ad hoc Fr. Joannem ſupradictum, & ipſe ſicut & ego feceram, præfatam ſicut ferventer inſtantem, temperare multipliciter conarem. In effectu nec ipſe, nec ego eam quovis modo compeſcere poteramus. Et ut breviter concludam, ipſa tam efficaciter, atque prudenter ad cunctas ſibi factas inſtantias reſpondebat, inter reliqua allegando, qualiter quædam Domina Marina ſatis juvenilis ætatis, & uxor cujuſdam Domini Antonii Superancio; hæc receperat habitum præſentialiter, & actualiter habendo Dominum præfatum in virum. Item quomodo licet vir proprius non adeſſet, attamen quare non tenebat vitam honeſtam, ſibi apud Deum hoc facere indubitanter licebat: Item quomodo ſumptio talis habitus matrimonii vinculum non ſolvebat. Item quare tam a Patre, quam a Matre ſuper hoc plenariam licentiam, & conceſſionem habebat, Dominoque mirabiliter operante obtinuerat, cum ejus genitor eſſet mundanus, & rigidæ conditionis homo

repu-

reputatus a cunctis, & ejus genitrix ſingularis reputaretur prudentiæ apud mundum, & alia hujusmodi argumenta ſummæ Chriſti Philoſofia adducendo, in tantum, quod etiam ipſe dictus Fr. Joannes tanquam ex toto devictus ab ea, nec valens reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui qui loquebatur in ipſa, nec ego obſtitiſſem, ſibi omnino præbebat aſpectum, & contentabatur, quod ipſa tunc ibidem taliter poſtulatum habitum juxta votum ſuſciperet, conſiderans quod a Monialibus habere poterat cappam, & tunicam, & alia ad præfatum habitum opportuna. Erat enim dictus Fr. Joannes ſatis promptus, cum contingeret, ipſum in mentibus perſonarum ſancta reperire propoſita, quod videlicet executioni ſine dilationibus traderentur. Finaliter igitur, me dicente quod redire deberet ad domum, & eſſe in veſperis in Eccleſia SS. Joannis, & Pauli, quia forſan, Deo dante, tunc negotium poſſet habere locum, mecum recogitans, quia interim poteram habere de materia cum parentibus ſuis; ipſa humiliter cum præfata ſocia ſua a nobis pariter diſceſſerunt, & ad aliam ſororem Dominam Catharinam, de qua in principio iſtius capitis facta eſt mentio, commorantem apud S. Mariam de Caritate, accedentes, ipſam ſecum ad propriam domum, deinde ad Eccleſiam prædictam SS. Joannis, & Pauli adduxerunt cum pannis, & omnibus ad habitum requiſitis. Cum autem Fr. Joannes præfatus & ego paululum poſt nonam de præfato Monaſterio ad Conventum SS. Joannis, & Pauli rediiſſemus, & ego vellem, pro ut conceperam, accedere ad loquendum parentibus ſupradictis tranſiens per Eccleſiam, ibidem reperi Dominas ſupradictas paratas, ut omnino dicta Domini dilecta reciperet habitum ſupradictum; ipſa etiam Domini dilecta perſonaliter ſupplicationibus inexplicabilibus flexis genibus, prout fecerat apud Monaſterium ſupradictum, & etiam inſtantius, id petente. Cum autem ego adhuc obſtarem, allegando me velle omnino loqui prius parentibus, pro pleniori informatione mea, licet firmiter crederem ipſam de obtenta ab eis licentia veritatem dixiſſe; mihi in præſentia prædictarum reſpondit de patre iterum aſſerendo, ipſum de hoc fore plene contentum, & quod plus erat, ſed quod poſtea mihi innotuit, quia non ſolum licentiam præfatam liberaliter a patre ſuſceperat, ſed etiam quod a quavis perſona ipſam ex hoc

quo-

quomodolibet moleſtanti plene defenderet, impetrarat. Conſimiliter etiam de genitrice reſpondit dicendo, ipſam cito huc venturam cum quibus Dominabus attinentibus de domo Mozanigo, ut cum ea pariter præſentes exiſtant in receptione iſtius gratiæ per me tamdiu deſideratæ. Et dum ſic loqueremur ad invicem, ecce ex adverſo Mater veniens cum Comitiva præfatarum, & ex alia parte Ven. Soror Marina Superancio, de qua ſupra in hoc capite facta eſt mentio, cum Domina Maddaluccia Mauroceno ſibi in Chriſto chariſſimis, & aliis. Et occurrens ego dictæ Matri, habensque colloquium ad partem cum ipſa, omnia, quæ mihi per filiam relata fuerunt, confirmavit, mihique, ut præſens eſſet tantæ devotioni cum præfatis, quæ venerant, indicavit; ita propter quod me ſecum conformans ſubintuli: Bona Mater quid ſcimus nos, forſan quod ipſa eſt cito ad Dominum migratura, in hoc neſciens quid dicerem, cum ejus oppoſitum peroptarem: & imo bonum erit antequam tranſeat, ut de tam ingentis deſiderii, & ſanctæ devotionis petitione exaudiatur a nobis, & in Domino conſoletur. Licet etiam tunc mihi occurreret, quare quemadmodum Domino inſpirante Beata Urſula, & Beata Conſtantia SS. Joannis, & Pauli Domina plenam fiduciam de conſervanda virginitate habentes in Domino, de ſuſcipiendo viro ſermonibus conſenſerunt; ita & hæc matrimonialiter copulata, quanquam non interveniente conſenſu viri hunc habitum poſtularet, in omnem tamen eventum fides erat in Domino, quod ex hoc vir ſuus a quovis ſcandalo præſervaretur omnino. Sicut & factum eſt. Sic ergo omnibus præfatis cum non parvo ſtupore auditis, intellectis, & viſis, veluti ex omni parte compulſus, ſumpto libello, & aliis neceſſariis ad opus, acceſſi pariter cum omnibus ſupradictis Perſonis, ac etiam certis Fratribus ſociatis ad Capellam Sancti Dominici Eccleſiæ SS. Joannis, & Pauli contiguam, cum jam pulſaretur ad veſperas, impleturus, quod ſpiritu prophetico dilecta Chriſti ſuperius prædixerat fore de divinæ beneplacito voluntatis. Et ponens me ante Altare præfatæ Capellæ ſtando verſa facie verſus eorum acceſſit dilecta Domini coram me humiliter genuflectens, ac in manibus deferens per ipſam habitum induendum, ſed per me prius benedictum. Quo benedicto illum tradidi ſibi veſtiendum ſeorſum. Quem cum tanta

ta lætitia ſpiritus, devotione, & fervore ſuſcepit, ut me & omnes aſſiſtentes ipſa ex magno feſto ridente, continue ad gemitum, & fletum ex devotione compelleret. Quo habitu induto rediens ad me, & ſtans ubi & ut prius flexis genibus, & cum accenſo cereo in manibus, dicto per nos, *Veni Creator ſpiritus*, & orationibus in traditione talis habitus conſuetis, facta etiam per ipſam profeſſione, & promiſſione, quod hunc habitum conſervaret, & ſecundum regulam ejusdem viveret usque ad mortem, acceptaque a me benedictione finali, veluti ſpiritu ebria præ lætitiæ immenſitate ex tam dilati deſiderii adimpletione, a me diſcedens, & ad ejus genitricem ante cæteras ſe convertens, ipſamque complexans, atque deoſculans humiliter, ac dulciter de conceſſa ſibi gratia peroptata, Deo, proprio genitori, & ſibi genitrici ſuæ gratias referebat immenſas. Deinde ad ſui ſuſcepti habitus Conſorores accedens quamlibet conſimili modo eſt complexata, & oſculo pacis ſancto deoſculata cum feſto, cæteris interim ex intimis quam flentibus, & ipſa ſola ridente, & quaſi manibus plaudente; propter quæ infallibiliter non fuiſſet animus tam durus ut lapis, qui præfatis aſſiſtens liquefactus, & commotus non fuiſſet ex corde. Aſſero enim nunquam ſimile in materia conſimili me vidiſſe, nec puto me viſurum in poſterum, fœminei videlicet ſexus juvenculam in ſtatu matrimonii conſtitutam quæ tam ſancti ardentis deſiderii, atque fervoris aſſidui fuerit, ſicut iſta. Et non ſolum in facto ſuſceptionis habitus ſupradicti, ſed etiam ultra hoc in cunctis, quæ cognoviſſet placere Deo, ac fore ſecundum Deum. Et tanto amplius, quanto talia majoris perfectionis opera extitiſſent, ut firmiter teneri poſſet, pro ut non ſolum ex dictis, ſed etiam ex dicendis patebit, ipſam fore potuiſſe de numero illarum Sanctarum formæ Angelicæ, ac juvenilis ætatis, quæ perſecutionis tempore veluti ad nuptias ad martyria properabant. Denique tanta admiratio, & ſancta ædificatio ex hujusmodi habitus per hanc Domini dilectam ſuſceptione ſecuta ſunt; quod licet ante, multo tamen amplius poſt propter virtutes ſuas in præcipua reverentia habita eſt a cunctis. Unde cum tunc quædam juvenis de Contarenis de novo matrimonialiter copulata de peſte infirmata fuiſſet, & præfata Domini dilectam dictum habitum ſuſcepiſſe audiſſet, mittens per ipſam, & illa

acce-

accepta licentia lætanter accedens, promiſit ſibi languens omnino ſimilis vitæ, & habitus velle eſſe cum ea. Et cum contingeret infirmam totaliter deſperari de vita, ordinavit, quod mortua per medium dilectæ Domini ſupradictæ corpus ſuum præfato habitu indueretur, & apud Eccleſiam SS. Joannis, & Pauli ſepeliretur. Et ſic per omnia fuit executioni mandatum.

De ipſius ægritudinibus, & qualiter in ultima, quæ fuit de peſte, feliciter migravit ad Dominum.

CAPUT XIII.

CUm autem poſt ſupradicti habitus ſuſceptionem Domini dilecta liberata fuiſſet a quodam tumore, qui apparuerat in genibus propter continuitatem genuflexionum habitam, & exercitam, tam in Eccleſia, in qua comuniter ſemper ſic flexis genibus, & in ſilentio morabatur, quam etiam in cellula domus ſuæ, in qua conſimiliter ſe habebat & cum magna mentis, & corporis alacritate quaſi per menſem dictæ infirmitatis curam tuliſſet, quouſque, ut præfertur, ab ipſa extitit curata totaliter, contingit ipſam aliam infirmitatem incidere, de qua me ex quibuſdam inditiis advertente, & quod mihi de ipſa certitudinaliter intimaret, ſibi præcipiente, cum de ipſo ægritudinis incurſu plurimum lætaretur ſubridendo, & congaudendo illam mihi ſecreto revelare compulſa eſt. Quo percepto ſtatim judicavi quod Dominus cito eam ad ſe vocare deberet: Et ſic factum eſt, licet non pro tunc per ejuſdem infirmitatis medium, ſed alterius ſupervenientis de peſte. Cujus peſtis inditia cum comparuiſſent in ea die XIX. Menſis Julii, (11) ſtatim fuit ad me, idipſum mihi faciens notum cum omni tranquillitate, & alacritate hominis utriuſque. Et quamvis ex hoc ego moverer non parum, ægre quodam modo ferens non modicum diſceſſum ſuum; ipſa tamen ita gaudebat, quemadmodum gaudere ſolent ſponſæ debentes accedere ad gratiſſimum ſponſum ſuum diu deſideratum. Cum autem mihi multa narraret, quibus propter commotionem præfatam ego bene non intendebam, nec attendere bene va-

(11) Anno 1399.

lebam; attamen hoc remanſit mihi ex dictis ſuis impreſſum, quod videlicet ſemper tunc locuta eſt mecum ſub iſto modo loquendi: Care Pater, quando ego vobis dicebam ſic, vel quando ego faciebam hoc vel id, &c. &. breviter ſic locuta eſt mihi per totum, ac ſi deberet ad Dominum migrare inde ad modicum; & non ſolum de præteritis adducendo, ſed etiam, ſi bene occurrit, de futuris plurima diſponendo. Quæ omnia, cum a me diſceſſiſſet, attente recogitans, concludebam menti meæ, quaſi omnino firmiter de ſuo diſceſſu. Et hoc non ſolum attentis prædictis, ſed etiam verbis, quibus de ea uſus fueram aliquando, & maxime, ut dictum fuit ſupra, cum eſſet habitum receptura, ac qualiter in ſepultura apud Monaſterium Corporis Chriſti ſupradictæ Sororis Catherinæ, quæ præceſſerat ipſam ad Dominum tantam reſolutionem paſſa eſt lacrymarum, ut faſciolum viderim in ſuis manibus, ac ſi in aquis etiam per tempus fuiſſet demerſum. De cujus Sororis Catherinæ commendabili vita, & tranſitu habetur in ſupradicto Libello de Ortu, & origine in Venetiis hujus ſtatus. Nec non & occurrens mihi de quibusdam verbis ſuis, quibus a modico tempore citra mihi ſolita erat cum ſingulari deſiderio, & fervore non parvo proferre, dicendo: O care Pater noveritis, quod ego conſumor veluti ſal in aquis, nec valeo hujusmodi deſiderium ſuſtinere. Et cum interrogarem de cauſa; ita taliter ſubjungebat: Quia non poſſum diligere meum ſponſum æternum, ut vellem; propter quod cogor deſiderare diſſolvi, & eſſe cum ipſo, ut ſim ſic in ſtatu in quo poſſim ipſum plene videre, atque diligere ſine impedimento quocumque. Videtur enim mihi hic tot retrahentiis impediri, ac a meo deſiderio taliter retardari, quod videor quaſi tota tam corpore, quam mente reſolvi; Et ſic erat de facto; ſiquidem pro ut firmiter puto, cum juramento poſſem aſſerere, quod ex quo illam ad Deum novi converſam, nunquam ipſam vidi ſine actuali deſiderio cæleſtium, & fervore. Unde quemadmodum ſupradictum tumorem genuum incurrerat ex genuflexionum continuitate, ita & infirmitatem aliam ex præfati deſiderii aucta quantitate; quibus tandem addita eſt infirmitas tertia, ultima, & finalis peſtis tunc occurrentis pro complenda ſuæ mentis aviditate tam grandi. Et ſic hujusmodi talibus conjecturis, & ſignis ſatis præſumere poteram,

tam, ſicut & factum eſt, ipſam in brevi fore ad Dominum migraturam. Dictam igitur de peſte ægritudinem cum ſignanter tanquam ſibi transmiſſam a Domino gratioſiſſime ſuſcepiſſet, & læte, & ad domum ſuam auditis Veſperis, cum eſſet vigilia Beatæ Mariæ Magdalenæ ferventis, cum ſocia ſua Sorore Aſtrologia rediiſſet, die ſequenti poſt prædicationem de Sancta præfata per me apud Monaſterium Sanctæ Mariæ de Cæleſtibus factam, ad ipſam acceſſi, quam reperi ita jocundam gaudentem, atque ridentem, quod nunquam recolo me eam vidiſſe lætam ſimili modo, & in tantum, ut non poſſet a quoquam quovis modo a tanta alacritate compeſci; interfuiſſetque valde gratanter prædicationi præfatæ, ubi dimiſſa tunc fuiſſet a propria genitrice. Cum ergo vale feciſſem tam ſibi, quam aliis de domo ſua, mecum recogitans de mirandis ſupradictæ dilectæ, ac etiam conferens quod tanta lætitia index eſſet propinqui ingreſſus ad nuptias ſui æterni Sponſi; acceſſi ad Sanctam Agnetem, ut intereſſem ſepulturæ cujusdam appellati Blanci de Civitate Caſtelli de illis Geſuatis prope dictam S. Agnetem commorantibus. Cujus viri non parva erat opinio, quod fuiſſet ſingularis virtutis, ac vitæ, & etiam fervoris præcipui; ob quæ quamplura devota in ſuo vulgari ſermone conſcripſerat; & qui fervor ſecum usque ad ſenilem ætatem ſuccreverat in tantum, quod cum in ſupradicto Monaſterio Corporis Chriſti ſermocinarer ego in Feſto Ejusdem, & ipſe inter alios præſens eſſet, ex fervoris vehementia aliquos mirabiles mugitus emiſit: quod tamen, ut ipſemet retulit, in prædicationibus minime facere ſolitus erat. Unde factum eſt, ut in die Magdalenæ ferventis, de fervore viæ per ipſum ad fervoris abyſſum proprie transiretur. Corpore igitur ſuo apud præfatam Eccleſiam tradito ſepulturæ cum magna devotione, & aſſiſtentia devotarum Perſonarum utriusque ſexus quamplurium, locum dictorum adii Geſuatorum, & facta ibidem aliquali collatione pro conſolatione in Domino eorumdem, ad Conventum redii hora tarda. De mane autem accedens ad dilectam Domini ſupradictam ipſam reperi decumbentem, & a peſtilentiali morbo ex toto proſtratam; propter quod prius ſumpto de meo adventu aliquali refrigerio, & etiam ſuper quibusdam conſilio, me diſcedente, prout poſtmodum mihi retulit Mater ſua, ſuum ultimum condidit de

voluntate ejusdem pro ut ſequitur, teſtamentum. Nam cognoſcens ſe Deo totaliter dedicatam, ſicut ànte prohibuerat, ita & nunc prohibuit, ne videlicet corpus ſuum, ſpiritu ſolum petente ſuperna, in ſepulcris parentum carnalium poneretur, eligens, & ordinans illud ſepeliri in terra apud Eccleſiam SS. Joannis, & Pauli Ord. Præd. nondum enim Sorores hujus habitus ibidem comunem obtinuerant ſepulturam, vel quod ſepeliretur apud Moniales ſupradicti Monaſterii Corporis Chriſti, ubi eam acceptare, quemadmodum ſupradictam ſibi intimam Matrem in Chriſto Dominam Sororem Catherinam acceptaverat, dignaretur: & hoc cum quatuor præciſe cereis, & ſolum a Sacerdotibus ſuæ Contratæ funus ſuum ordinavit aſſociari. Conſequenter vero totam dotem ſuam more Venetorum permiſſam ſuam equaliter, & ſimpliciter in manibus ſui genitoris, & genitricis ad honorem Dei diſpenſandam reliquit, recomendando eis inter alia Monaſterium ſupradictum, nec non & ſupplicans Matri, quod quinque ducati perpetuo deputarentur pro celebranda memoria ſupradictæ Virginis Beatæ Catharinæ de Senis apud Eccleſiam ſupradictam SS. Joannis, & Pauli. Quod utique annuatim fit ibidem Dominica, quæ ſequitur immediate Feſtum noſtri Beati Petri Martyris Ord. Prædic. Et ita totum prout Serva Dei ordinavit, ſuum reportavit effectum. Nam & inter alia poſt tranſitum dilectæ hujus, ejus genitrix completa ſerica paramenta fieri fecit in reverentiam ſupradictæ B. Catharinæ, quæ ſingulariter occupantur in die præfatæ Commemorationis ejusdem. Et conſimiliter hujus dilectæ genitor, ſibi tempore modico ſupravivens ſupradicto Monaſterio Corporis Chriſti trecentos legavit ducatos. Sed redeundo ad unde ſermo. Cum invaleſceret languor dilectæ Chriſti corporeus, pariter & mentalis erga deſideratum; in nocte Beati Jacobi Apoſtoli tunc imminentis, (12) ut pro me mitteretur curavit. Interim autem contingit, qualiter habuit viſionem, de qua dictum eſt ſupra capite XI. in qua apparuit ſibi cum multis aliis Beatus Fr. Nicolaus, quampluries eſt allocuta: deinde tanquam per ipſum & alios ad Cœli nuptias invitata geminatis vocibus clamare cœpit, *ſurſum ad Cœlum, ſurſum ad Cœlum*. Et quaſi immediate poſt hoc, cum ego perveniſſem ad ipſam, petiit inhianter omnino muniri cunctis Ecele-

(12) Nocte præcedenti diem 25. Julii.

cleſiaſticis Sacramentis. Et primo mihi confeſſa eſt. Deinde advocato Sacerdote parochiali cum tanta devotione Sacramentum Euchariſtiæ, & conſequenter unctionis extremæ ſuſcepit coram multis, etiam me præſente, ſicut alias unquam de quovis alio perſonaliter percepiſſem. Nam cum ex auditu prædicationum, & ſignanter in præterita Quadrageſima in Sancto Barnaba, ubi inter alia locutus fueram de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, formas eorumdem efficaciter memoriæ commendaſſet, & ſignanter pertinentes ad Sacramentum unctionis extremæ; illas ad ſingula membra ſive unctiones quinque ſenſuum, prout poterat cum inungeretur, conabatur pariter cum Sacerdote proferre; quamquam alium modum producendi dictas formas, ſeu formam haberet Eccleſia dictæ Parochiæ, ſicut & comuniter aliæ, (13) quam habeat Ordo noſter. De quo fui non modicum admiratus, qualiter a tanto tempore, debilitate etiam corporis concurrente de dictis formis taliter recordari potuerit; mirabar enim præ cœteris quas unquam viderim in prædicationibus, ita quod poterat hauriebat ad plenum, & avide, quod ubi ſupervixiſſet, quomadmodum de Patre noſtro B. Dominico legitur, ſuo modo potiſſime apta fuiſſet in aliis ad diffundendum abunde. Poſt dictorum autem Sacramentorum ſuſceptione, veluti ſacris munita præſidiis, & totaliter ſurſum apta, ad cæleſteſque nuptias totaliter præparata; ſolummodo ſuum erat divinis vacare laudibus, altis ſæpe ingeminare vocibus, ſurſum ad Cœlum, ſurſum ad Cœlum, quia eſt apertum. Deinde modo ſimili: in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, ſæpius replicare quaſi exiſtimans tunc vel poſt modicum juxta votum tranſire ad ſuum deſideratum ſponſum. Sed Domino aliter diſponente pro ampliori forſan ejusdem purgatione, aut meritorum multiplicatione, ſive deſiderii dilatatione majori, etiam per tres dies ulterius ſupravixit. (14) In quibus ſolum de ſpiritualibus principaliter ſibi refrigerium præſtabam, de corporalibus autem cum magna difficultate, & nihil quaſi, niſi interveniente obedientia, quamvis eſſet eidem intollerabilis pœna, ſuſcipiebat. Propter affectionem autem præcipuam quam ad habitum

(13) De varia accidentali Formæ in Sacramento extremæ unctionis adhibitæ differentia differunt Theologi.

(14) Usque ad diem 28.

tum Sancti Dominici ſupradictum conceperat, quod eumdem ſui genitores ſuſciperent, affectabat. Venerabili etiam Dominæ Maddaluccia Mauroceno, de qua ſupra facta eſt mentio, & plurimum in Chriſto ſibi dilectæ cum ſuaderet, quod præfatum habitum, quem ſub paramentis exterioribus deferebat etiam ad plenum ſuſcipere ac deferre deberet; & illa quod pro tunc non eſſet ad hoc diſpoſita, reſpondiſſet, concepit ſtatim Chriſti dilecta veluti prophetico ſpiritu tacta, & ſecundum quod Matri ſuæ poſtmodum revelavit, quod dicta Domina in vita ſua præfatum plenarie habitum non haberet, ſed ſolum in morte. Et ſic factum eſt, ſecundum quod poſtmodum rei probavit eventus, & quod habetur in Libello ſuperius etiam in hoc eodem capite allegato, ubi in loco ſuo fit mentio de tranſitu Dominæ prælibatæ. Viſitata etiam tunc a quadam Ven. Domina Iſabetha de Luca, adhuc in matrimonio conſtituta, cum eidem Serva Chriſti de ſumptione dicti habitus ſuaderet, ipſa cum non parvo feſto, me tunc caſualiter adſiſtente, reſpondit, quomodo de preſenti libenter id faceret, ubi viro ſuo placeret, ſed ubi non, ſubjunxit, quod in caſu quo eidem ſupraviveret, dictum habitum animo libenti ſuſciperet. Et ita poſt modicum temporis intervallum viro ſuo præfato decedente, eſt per ipſam executioni mandatum: non multumque poſt, tam ipſa, quam alia Soror Aſtrologia, de qua pluries hic fit mentio. Lucam, deinde Piſas accedentes Monaſterium Monialium Sancti Dominici de Piſis, ſunt cum magna devotione, & proximorum ædificatione ingreſſæ, duæque filiæ dictæ Sororis Iſabethæ cum eis; præſidente in dicto Monaſterio quadam ſingularis Sanctitatis, & vitæ, ſibique in Chriſto ſignanter affecta Sorore, videlicet Clara filia olim Domini Piſarum S. Domini Petri de Ghanbacurtis; (15) a quo etiam Sancti Dominici Monaſterio ſumpſit exordium, atque formam ſupradictum Monaſterium Corporis Chriſti de Venetiis Ord. Prædicatorum. Cum autem Chriſti dilecta, de qua principaliter nunc extat ſermo, in ſupradicta ſua ægritudine conſtituta viſitaretur non ſolum a præfatis, ſed etiam a quampluribus utriusque ſexus, & ſingulariter ſui ſtatus, & habitus, & ab aliis ſibi caris in Domino; de

(15) Vita B. Claræ proſtat apud Bollandi Continuatores ad Diem XVII. Aprilis.

de quibus dimittitur ſingillatim exprimere gratia brevitatis, omnes audenter confortabat in Chriſto, & cunctis monita ſalutis tam pie, ac dulciter porrigebat, quod ſingulos ad ſanctum fletum, & compunctionem ſpiritus commovebat, & ad bene vivendi propoſitum animabat. Et ut breviter concludam de ipſa: modo cum B. Martino ſuper nudam terram tranſire deſiderans, modo laudes, aut hymnos canere, vel alia divina ſatagens audire, ſive de æterno ſponſo ſuo, & cœleſtibus loqui ſolum, hujuſmodi cordiales affectiones appellans, nunc vero orationi, modo contemplationi vacans, tandem coram multis, etiam me præſente, conſtituta in ultimis cum non parva corporali pœna, & vocali ex cordis ſciſſura magno geminato clamore, in hoc ſuo ſponſo inter reliqua conformis, qui antequam ſpiritum traderet, pluries voce magna clamabat conſtitutus in pœnis. Poſt reſidentiam aliqualem me cum ſocio officium animæ ad tranſitum propinquantis continue proſequente, cum intraſſem illam orationem, quæ incipit, *Suſcipe Domine animam ſervæ tuæ in loco ſperandæ ſalvationis*; in qua *libera Domine animam ſervæ tuæ* toties replicatur, & perveniſſem circa id, ſive ad illud: *Libera Domine animam ſervæ tuæ Mariæ*, ſicut liberaſti Beatiſſimam Teclam de tribus tormentis atrociſſimis, ita liberare digneris illam iſtius ſervæ tuæ, & eam facias tecum bonis congaudere cæleſtibus: & cum ſocio pariter etiam ipſa Chriſti dilecta reſpondiſſet, Amen; quod fuit ultimum ſuum verbum, præmiſſo prius quampluries, *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*; illa benedicta anima a carne juxta ſua deſideria ſoluta remanſit, ſicque ad cæleſtes nuptias, ad quas invitata fuerat, & in potentias Domini Sabbaoth feliciter introivit. Ubi tanquam in cellaria bonorum cæleſtium divinæ cognitionis, delectationis, fruitionis, atque plenæ refectionis perſonaliter ſuſcepta, & facialiter introducta, in ſempiternum deguſtat ad plenum in patria, quod tamdiu inhianter, atque ferventer anhelavit, & ſitivit in via, illo juxta ejus beneplacitum hoc ſibi præſtante, cui eſt honor, & gloria, & gratiarum actio in ſæcula ſæculorum. Tranſivit autem die XVIII. Menſis Julii (16) MCCCXCIX. circa horam matutinam, XX. an-

(16) Marcheſius probatiſſimæ fœminæ vitam ſcribit ad Diem XXVIII. Julii. Amanuenſis vitio ſcripta legitur dies XVIII. Julii. Vide notam (12) & (11) & (17) Deceſſit ſcilicet Soror Maria nocte præcedente diem 28. Julii.

annorum ætatis exiſtens; dans per præfata horam intelligere Dominus qualiter anima ſponſæ ſuæ viam plenitudinis matutinæ cognitionis divinæ claritatis, & plenæ dilectionis ingreſſa fuerit juxta votum. Fuit autem præſens in dicto tranſitu dilectæ Domini ultra matrem, & quamplures alias, ſupradicta Conſoror ejusdem habitus Domina Soror Aſtrologia: quæ quemadmodum aliam Conſororem Dominam Catharinam ſupradictam, ita & iſtam ſibi intimam in Domino per totam ægritudinem earumdem de die, & de nocte usque ad ultimum fideliter ſociavit. Cum autem ego perfeciſſem ſupradictum officium, ac etiam aliud de animæ recomendatione poſt tranſitum præfatum dilectæ Chriſti, dicta ejus genitrix coram ſupradicta Sorore Aſtrologia, ac aliis ibidem præſentibus coram me humiliter ſe proſtravit, ſeque mihi ſuppliciter in Domino recomendans, ſuam Sanctam Filiam pro viribus imitari promiſit. Quam cum propriis manibus elevaſſem, ac ſibi, & aliis benedixiſſem valefaciens ad inferiora Domus deſcendi; ubi mæſtus pater de tranſitu filiæ paternaliter quærulabat pro ipſo aliqualiter conſolando. Et cum per aliquale ſpatium ſecum pariter conſediſſem poſt aliqua conſolationis verba, tandem ſicut uxor ita & ipſe ſe mihi ſua bonitate obtulit ad proſequendum ſuo pro modulo, pro ut ejus ſancta filia eidem reliquerat faciendum, pro quo ſibi gratias referens, & valefaciens circa auroram redii ad Conventum in Domino ſpiritualiter jocundus; ſed de ſubtractione talis conſortii, & in Domino conſororis aliqualiter gemebundus, & meſtus.

De ipſius funeris ad ſepulturam quam devota traditione.

CAPUT XIV.

MAne autem facto circa horam tertiarum cum magna utriusque ſexus gentium comitiva corpus dilectæ Domini ad ſupradictum Corporis Chriſti Monaſterium eſt delatum; ubi aſſiſtentibus quaſi perſonis omnibus quæ ibidem interfuerant in ſupradictæ Dominæ Sororis Catharinæ ſepultura cum omnibus ſui habitus, & aliis pluribus, nec non, & pro ut ipſa ordinaverat ſuæ Contratæ Sæcularibus Clericis, aliisque ſingulari devotione ductis, ac etiam quampluribus noſtri

Or-

Ordinis Fratribus cum Rever. P. Fr. Johanne Dominici, & me celebrante, officiumque funeris faciente, nec ſine gemitibus plurimorum judicantium, quam pium fore ipſam flere, quamvis etiam longe amplius pium foret ſibi congaudere. Tandem terminatis quam devote exequiis cum maxima devotione cunctorum intra Monaſterium in Sanctimonialium ſepulturis juxta ſuum deſiderium eſt ſepulta. Officio autem ſepulturæ tam ſolemniter, quam devote peracto, ſacriſque depoſitis veſtibus occurrens Matri, ac aliis adhuc in Eccleſia dicti Monaſterii reſidentibus, ut eis benedicens ad propria remearent, præfata Mater, etiam ut ſupra, coram me humiliter ſe proſternens iterato idem quod ſupra mihi obtulerat, replicavit. Cui cum, ut ſurgeret, præcepiſſem, ipſamque cum cæteris aliqualiter in Domino confortaſſem, & promitterem quod, Deo dante, ipſas poſt prandium viſitarem, omnes ad propria rediere. Narratum autem fuit mihi a pluribus, antequam inde diſcederem, & etiam poſt, qualiter ſupradicti corporis portitores referre habuerant cum admiratione non parva redolentiam ſingularem perſenſiſſe de ipſo; quod nuſquam de alio corpore ſimile eis contigerat percepiſſe. Retulit etiam mihi ibidem quædam Nobilis Marchioniſſa dicti Monaſterii Monialis, & grandevæ ætatis Honeſta re, & nomine appellata. Quod cum præfatum dilectæ Domini corpus intra Monaſterium apud eas deportatum ad ſepeliendum fuiſſet, tantam devotionem ſibi induxit, ac monialibus cœteris ex tam devoto, quam redolenti ac venuſto, & gratioſo ipſius aſpectu, quod ubi ſibi licuiſſet, nequaquam ſaltem pro illo die, intra ſepulchri clauſtra id claudere permiſiſſet. Sumpto a prandio, cum patrem dilectæ Domini, ac etiam Matrem juxta condictum, ſororibus hujus habitus, ac aliis aſſiſtentibus quampluribus ſociatam viſitaſſem, & cum illis de virtutibus ſuæ tantæ filiæ collationem diutinam habuiſſem; ipſis tandem aliqualiter conſolatis, & benedictis, atque ſalutatis in Domino, redii ad Conventum, mecum recogitans pariter, & admirans, quam feliciter juvencula corpore, ſed cana mente me ſenem ætate, virtute autem juvenem hic in via reliquerat. Et quod ipſam, quam mihi ſuperſtitem relinquere pro Dei honore, nominis B. Dominici dilatatione, & animarum ſalute ſperaveram, ad patriam ita ſubito, & ex inſperato præmiſeram,

ram; qui tamen quodamodo potius illam præceſſiſſe debueram; gratias nihilominus referens illi, qui bene omnia fecit, & qui eſt ſuper omnia benedictus. Amen.

De quibusdam viſionibus, & quibusdam aliis circa ipſam habitis; quæ contigerunt tam dum ipſa ægrotaret, quam etiam poſtquam fuit tradita ſepulturæ.

CAPUT XV.

POſt aliquos autem dies ſepulturæ præfatæ, quidam Dominus Antonius Superancio Frater habitus, & Ordinis de Pœnitentia S. Dominici, qui quaſi omnibus ſupradictis interfuit, mihi ſecreto narravit qualiter quemadmodum ex devotione contracta ex viſitatione infirmitatis, & tranſitus ſæpe dictæ ſuperius Sororis Dominæ Catharinæ, concepit de cætero regulariter non jacere in lecto, ita etiam mediante iſta cujus devotione, nunc ſolus ſingulariter tractus fuit, propoſuit regulariter ſe in futurum a comeſtione carnium abſtinere. Inſuper quædam ſingularis virtutis, & Venerabilis Domina Eliſabeth de Luca mihi a diu nota, & Sorori Claræ de Gambacurtis nunc Prioriſſæ in Monaſterio S. Dominici de Piſis, ex ejus virtutibus eximiis vehementer affecta, habens non parvam familiam & maritum ad devotionem ſupradictæ Domini dilectæ Mariæ, licet a diu, ſingulariter tamen cum ipſam in ſua ſupradicta ægritudine viſitaſſet, taliter tracta fuit, quod omnino ſuum habitum de Pœnitentia B. Dominici ſumere diſpoſuerat, ubi præfatus maritus ejus ſibi omnino non prohiberet. Et idem mecum ordinaverat ſupradicta hujus dilectæ Domini Mater. Sed tamen quamvis pro tunc prohibitæ fuerint a viris ſuis, attamen modico tempore poſt, dictis viris ſuis decedentibus, & ipſis ſuperviventibus; Prima dictarum Dominarum, videlicet Domina Heliſabeth, non ſolum in Venetiis viro defuncto habitum ſupradictum Ord. de Pœnitentia B. Dominici ſuſcepit, ſed etiam poſtmodum accedens Lucam, & deinde Piſas ad viſitandam ſupradictam Sororem Claram, & ejus Moniales, & ſecum ducens de licentia ſupradictam Sororem Aſtrologiam de Venetiis ejuſdem habitus, tandem dicta Soror Aſtrologia, deinde Soror Heliſabeth cum duabus filiabus parvis dictum Monaſte-

ſterium S. Dominici de Piſis pro Monialibus intraverunt, prò ut etiam ſupra in capit. XIII. extitit enarratum, nec ſine magna Piſanæ Civitatis ædificatione, ubi gratiſſimum cum cæteris Monialibus ibidem exhibent Altiſſimo famulatum. Secunda verò videlicet Mater dilectæ Chriſti plurimis impedita nondum aliquid de aſſumptione religioſi habitus executioni mandavit. Deinde tranſatis diebus aliquibus, quinque Dominæ honeſtæ converſationis, & famæ pariter, & concorditer ad me venire diſpoſuerunt tantum a ſemetipſis motæ, & Domino inſpirante, meque totum pœnitus ignorante; hoc autem idcirco deliberaverant, ut mihi quamdam viſionem præcipuam hic infraſcriptam referrent, quam audierant a quadam ſua Virgine ægrotante, & finaliter tranſeunte de peſte, cui talis facta fuit, & quando eidem facta eſt dictæ Dominæ in eadem domò cum ipſa extiterant; nec ſolum talis viſio ad dictam Virginem, ſed etiam ad ſupradictam Domini dilectam Mariam pertinebat pro bona parte. Igitur quadam die ad me dictæ Dominæ in ſimul venientes, & me in Eccleſia SS. Joannis, & Pauli reperientes, cum mihi in generali ſui adventus cauſam expreſſiſſent, mecum humiliter conſedentes ſupradictæ viſionis proceſſum mihi taliter retulerunt, dicentes: Noveritis, care Pater, Domine Fr. Thoma, quomodo quædam noſtra virgo nomine Urſolina tredecim annos ætatis habens, cum in octavis Feſti Corporis Chriſti ſe inveniſſet apud Eccleſiam Sancti Petri de Caſtello, in quo die facta eſt ibidem ſingularis ſolemnitas de dicto Dominico Sacramento Corporis Jeſu Chriſti, & non parvum convivium per Epiſcopum pauperibus Chriſti; apparuit ei Dominus Jeſus Chriſtus, & dixit ei: Urſolina nunquam habebis alium ſponſum præter me. Quod cum ipſa gratanter, & libentiſſime ſuſcepiſſet, quamquam Mater cogitaret ipſam omninò tradere copulæ maritali; contigit poſtmodum per menſem, ipſam Urſolinam infirmari de peſte, videlicet in vigilia ſupradicti Jacobi Apoſtoli, in cujus nocte dilecta Domini ſupradicta Maria ſumpſerat Eccleſiaſtica Sacramenta. Cum dicta Urſolina communicaſſet in mane Feſti præfati Apoſtoli cum magna devotione ſtans manibus junctis poſt Sacramenti ſuſceptionem, contigit, ipſam taliter fore a ſenſibus raptam, quod a dicto mane uſque ad poſt Veſperas nec excitari, nec audire aliquid vel loqui, nec etiam aliquid de cibo potuit ſibi dari,

nec ab extra aliquid de ipſa, vel ab ipſa potuit percipi, niſi quod aliquando cum manibus, vel corporis geſtibus actus aliquos magnæ reverentiæ faciebat, aut ad modum affectantis aliquid viſibile videre clarius ſe habebat. Poſt dictam autem Veſperarum horam dicta Virgo quaſi ſurgens a ſomno unam de ſupradictis quinque, ſcilicet Matrem cum magno feſto vocavit, interrogans etiam de Matre Matris, quæ erat alia de ſupradictis; Qua reſpondente, ecce adſum filia, accurrentibus etiam reliquis de quinque præfatis, dicta Urſolina taliter coram illis eſt locuta: Non miremini me huc usque taliter habuiſſe; quoniam ſumpto Venerabili Sacramento Corporis Jeſu Chriſti ego ſubito ducta fui in quodam loco pulcro, ac alto, & lato, & apparens mihi S. Petrus, quem ego bene novi ex figura ejus quam noveram non ſolum ex picturis Eccleſiaſticis, ſed etiam per me raccamatis; nam didicerat, & exercuerat artem illam. Qui S. Petrus aperuit mihi unam januam per quam intrans vidi Paradiſum totum aureum, & mille mundis majorem; & in illo ego video unam glorioſam, & magnam ſedem, in qua Deus triumphaliter reſidet ſuper Angelos, & omnes Sanctos. Ex uno latere ego video B. Urſulam mihi ſingulariter devotam cum vexillo, & ſuis Sacris Virginibus comitatam. Ex alio vero latere ego video glorioſam Dei, & omnium Matrem a diu præcipua devotione aſtrictam, etiam cum vexillo in manibus, & magna Virginum, & Sanctarum comitiva aſſociatam, quæ flexis genibus gratiam pro peccatoribus a ſupradicto Domino impetrabat: & in me figens intuitum dixit, Urſolina, ſcias, quod jejunia tua mihi grata fuerunt pariter, & accepta, & cito venies inter ſedes iſtarum Virginum, nec patieris alias pœnas præter illas infirmitatis tuæ præſentis. Et tunc ſubinferebant aliæ Virgines, & Sanctæ Dei Genitricem Virginem comitantes, ita dicentes: Urſolina ſtes cum omnimoda reverentia coram tanta majeſtate. Quæ omnia cum gaudio non modico audiens, & quod mihi dicebatur, in plenum ſatagens, nec non & tantam gloriam præfatorum plene videre deſiderans conabar actus, & geſtus reverenter pro viribus facere, ac etiam elevare oculos corporales, & illos mihi bene aperire cum manibus, ut ſic dicam gloriam poſſem clarius intueri; prout advertere poteratis, ſeu potuiſtis ex meis geſtibus ſupradictis, dum fui in raptu iſto. Cum autem ſic conarer,

rei, vidi germanum meum parvulum, qui videlicet modicum ante de peſte deceſſerat, ſic mihi dicentem: Urſulina tu non poteris hoc bene, & clare videre, niſi corpore exuaris. Et cum hoc dixiſſet vidi pulcherrimam ſedem; & admirans de ejus gloria, & decore audivi vocem dicentem mihi: Hæc ſedes parata eſt iſti Dominæ Mariæ Sororis Ord. de Pœnitentia B. Dominici: & elevans oculos vidi dictam ſororem in habitu pulcherrimo B. Dominici indutam venientem, & illam tam glorioſam ſedem intrantem. Ex quo non modicum mecum mirabar, & condolebam quod ipſa me præcederet; cum optarem ante omnem aliam perſonam ad illam procedere gloriam. Et ſic tantis, & talibus mihi oſtenſis, ſum, ut videtis, ſenſibus reſtituta. Cum autem dicta virgo iſta narraſſet coram ſupradictis dominabus, & aliis pluribus, una ipſarum Domina Catalucia nomine, habens in ſupradicto Monaſterio Corporis Chriſti unam filiam infirmam, nomine Mariam, ſtatim ſubintulit dicens: Numquid illa Maria habens habitum B. Dominici eſſet filia mea Soror Maria, quæ eſt in Monaſterio Monialium Corporis Chriſti portantium habitum B. Dominici? Cui ſupradicta Urſolina reſpondit: Nequaquam; ſed alia eſt, quam ego bene cognovi, & vidi. Poſt tertium vero diem ab hujusmodi habita viſione, videlicet in nocte, quæ ſequitur diem Dominicum, ſcilicet hora matutina, contigit ſupradictam Chriſti dilectam Sororem Mariam de Pœnitentia B. Dominici migrare ad Dominum, prout ſuperius eſt narratum. (17) Unde cum die Lunæ ſequenti de mane vox inſonuiſſet, & ad aures ſupradictæ Urſolinæ Virginis, quæ adhuc infirmabatur, ſermo de dicto tranſitu perveniſſet, ſtatim cœpit magnis quaſi vocibus exclamare dicens: Hæc eſt illa Soror Maria, hæc eſt illa, quam pridie, cum eſſem in illo raptu, tam glorioſam conſpexi, quia agnoſco eam, & jam a diu ipſam cognovi; & ecce quod me præceſſit ad gloriam.

Sed ut de iſta Virgine Urſolina pro ædificatione legentium proceſſus usque ad ejus tranſitum incluſive juxta ſeriem ſupradictarum mihi totum narrantium habeatur; eſt ſciendum, qualiter in die Lunæ ſupradicta, cum alium raptum paſſa fuiſſet, & in illo pœnas Purgatorii conſpexiſſet, interim ſubcrevit ei de-

(17) Igitur B. Soror Maria migravit ad Dominum nocte præcedente diem 28. Julii, quæ anno 1399. erat Feria ſecunda.

deſiderium habendi, & patiendi pœnas præſentes: quæ exaudita a Domino repleta eſt quaſi per totum corpuſculum carbonibus peſtilentialibus licet parvis, quos ipſa glorianter aſpiciens, ita lætabatur ex corde veluti nova ſponſa ornata per totum lapidibus pretioſis. Et cum ſuper hoc Mater ſuæ genitricis ſtuperet quamplurimum dicens: O quid faciet Deus peccatoribus magnis, quando uni virginulæ tot pœnas aſſentit. Illa autem reſpondit dicens: O bona Mater non dicatis, quare Deus diſpoſuit, me omnino hic velle purgare, & nullas alias pœnas alibi mihi dare; ſed de vobis non ita, quia ad Purgatorium vos accedere oportebit. Item die immediate ſequenti cum feſtum occurreret Sanctæ Martæ, & ſupradicti carbones continuum incrementum reciperent in corpore virginali, diceretque Mater præfata: O Urſolina recommendes te iſti Sanctæ, ut libereris a tantis pœnis; Illa protinus reſpondit dicens: Abſit; quinimo orans ſuppliciter dicebat ad Dominum, quod ubi non ſufficerent dictæ pœnæ, alias ſuperaddere dignaretur, & taliter, quod citius purgata tranſiret ad ipſum. Et cum in propriæ genitricis gremio aliquantulum pauſaſſet, cœpit tam dulciter canere quamdam laudem inauditam, quod omnes aſtantes verſi ſunt in ſtuporem. Et cum poſtmodum interrogaretur a dicentibus; O Urſula ubi hanc laudem didiciſti? Reſpondit: pridie cum rapta fui ad videndum gloriam illam, de qua dictum eſt ſupra. Et interrogatæ omnes quæ fuerant præſentes de dicta laude tam mirabiliter compoſita, & decantata, in tantum fuere abſorptæ ab ipſius melodiæ dulcedine, quod nec etiam de minimo aliqua præſentium potuit recordari; excepto, quod ejus genitrix dixit, quod materia videbatur ſibi fuiſſe de gaudiis Virginis glorioſæ. Item poſt die ſequenti, feria videlicet quarta circa horam nonam, cœpit Urſolina ſecum aliqualiter loqui recogitans retroacta, & dicens: Ego recolo qualiter audivi prædicare Fr. Thomam in S. Joanne, & Paulo de B. Catharina de Senis, & inter alia, qualiter cum eſſet parvula ita devote B. Virginem ſalutabat; & ego antiquavi in peccatis meis. Et addebat: audivi etiam ipſum loquentem de Virginitate dictæ Beatæ, & Virginitatem multipliciter commendantem; propter quod tunc rogavi Dominum, quod ipſa mihi elargiri ſua gratia dignaretur. Et ecce quia mihi ſic donare dignatus eſt, de quo gratias in æternum. Et veniens verſus ſero, cum per totum quaſi diem ſemper oraſ-

ſet, dicendo frequentius, *Jeſu Chriſte Fili Dei miſerere mei*, e *dolce Vergine Maria ricevè anchuo l'anima mia*, cum magna fiducia ad punctum extremum pertingens, & ſuper paleas lecti conſtituta ex voto, videre ſe dæmonem annuens, exhortata eſt Matrem, ut diceret *Credo*; quo etiam per ipſam conſimiliter dicto, & adjuncto, *Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*, receptis prius Eccleſiaſticis Sacramentis, illa dilectæ Virginis Urſulæ anima feliciter migravit ad Sponſum ſuum; Corpore apud Eccleſiam ſupradictam SS. Joannis, & Pauli quam devote poſtmodum tradito ſepulturæ.

Redeundo autem ad ſupradictam Sororem, & ſingulariter dilectam Chriſti Mariam, non ſolum ad aures meas pervenit de viſione præfata, ſed etiam de quadam alia habita a propria genitrice de ipſa. Siquidem poſt aliquos dies a die migrationis dilectæ Chriſti, ipſa apparuit in ſomnis ſuæ genitrici præfatæ in habitu B. Dominici tota reſplendens, atque lætabunda, & ridens; quam Mater videns, & ex hoc reportans ſolatium non parvum de bono ſtatu ſuo, quaſi congratulans ſecum pariter & admirans, intuenſque in illam, ac recordata de pœna ſua, quam paſſa fuerat circa tranſitum ſuum, interrogavit eam, dicens: O dulcis filia, numquid tibi fuit valde pœnoſus tranſitus mortis? Cui illa: non Mater; poſtea ſubintulit dicens: dulciſſima Mater, Bene eſt doloris immenſi tranſitus ex hac vita, ſed tamen mihi non ita fuit propter magnam conformitatem meæ voluntatis ad Deum, ac etiam deſiderium intenſum accedendi ad ipſum. Et cum Mater eam ulterius interrogare cogitaret de aliquibus, vocata viro ſuo, & ſibi reſpondente, adſum, viſio dicta ſubtracta eſt. Et licet de interruptione ejusdem non parum doleret, attamen mire confortata de præfatis, & conſolata remanſit, aſſerens nunquam ſe viſionem, ſive ſomnium ſimilis recreationis, & dulcedinis habuiſſe. Retulit etiam mihi præfata Mater, qualiter Parochialis Eccleſiæ ſuæ, ſcilicet S. Juliani Plebanus vir grandevæ ætatis, & converſationis honeſtæ, qui dilectam Chriſti tantæ fore virtutis aſpiciens, tanquam ſanctam ipſam reputabat, & ita appellabat eamdem: propter quod dum ipſa degeret in humanis omnem ſibi commoditatem præſertim circa collationem Sacramenti Euchariſtiæ, etiam cum quadam reverentia concedebat; non cum parvo feſto referre habuit Domino Nicolao ejusdem Chriſti dilectæ genitori, quia videlicet

plu-

pluries ex quo ipſa migrarat ad Dominum apparuerat ſibi, & ſemper cum habitu fulgenti, & facie plurium lætabunda. Et ſic fuiſſe idem genitor poſtmodum cum magna devotione id mihi referens oretenus confirmavit. Conſimiliter ſæpe dicta Aſtrologia totius ſinceritatis, & charitatis Soror, mihi revelavit ſecreto, qualiter ſibi Chriſti dilecta in ſomnis per plures vices apparuit, & ſemper veluti tota feſtiva, jucunda, & glorioſa. Item cum contigiſſet me ad Monaſterium Corporis Chriſti pro confeſſionibus Sororum audiendis poſt dilectæ Domini tranſitum quondam ſemel accedere, relatum eſt mihi in confeſſione a quadam Sanctimoniali grandevæ ætatis, & inter cæteras ſingularis vitæ, & puritatis exiſtens, quare cum migraſſet ad Dominum una Virgo de ſuis Conſororibus Soror Marina Ognibene nomine, & optaret ſcire de ſtatu ſuo; & ecce quondam ſemel apparet ſibi tota ridens, & alacritate perfuſa, videturque ſibi quod juxta eam hæc dilecta Domini Soror Maria oret quaſi in veſtitu deaurato: quæ tamen nondum deceſſerat, ſed tunc graviter ægrotabat infirmitate, de qua migravit ad Chriſtum. Cum autem vellet hæc quæ iſta videbat ſupradictam Virginem Sororem Marinam de aliquibus interrogare, ſibi reſpondit: Non poſſum nunc tecum reſidentiam facere, quia oportet me ire, ex eo quod magnum Feſtum habemus præparare, & facere pro iſta Sorore Maria de Pœnitentia S. Dominici, quam vides hic juxta me tam devote orantem. Et ſic hoc dicto, ab ea viſio prædicta diſparuit. Poſt diſceſſum autem dictæ Sororis Mariæ iterum dicta Virgo Soror Marina eidem ſupradictæ antiquæ apparuit ſimul cum præfata Sorore Maria veluti totæ feſtivæ, ſibique cum magno feſto, quantum apud Deum accepta fuerat ejus virginitas, & vita ejus Monachalis aperuit. Deinde quomodo conſimiliter Matrimonium, & vita ſancta, & religioſa dictæ Sororis Mariæ ſibi conſociæ, poſtquam ad Deum converſa fuerat, quam ipſi Deo grata extiterint, eidem cum ſpirituali lætitia explanavit. Quo facto viſio ſe ſubtraxit. Occurrit autem mihi propter divinam dicti Matrimonii ex parte dilectæ Chriſti acceptationem, unum in præſentialibus, quod non judico prætermittendum: videlicet, quod cum contigiſſet dictæ Sorori Mariæ quodam ſemel poſt ejus converſionem, de domo parentum, ad domum ſui mundani redire mariti, & ego ipſam efficaciter confortaſſem, quod Matrimonium quantum ſua intererat, caſte pro viribus conſervaret, & ſancte, & quod nec in minimo contra

Deum,

Deum,& Matrimonii ſanctitatem propter quasvis minas,ſive blanditias ſui conjugis ullatenus conſentiret, audenter, & læta facie ſic pluries reſpondit: Care Pater non dubitetis in aliquo, quia ſic, Deo dante, certitudinaliter ſum factura: Et ita non veluti puella, ſed ut perfecta Virago ad plenum executioni mandavit, prout ab ipſa poſtmodum in ejus Sacramentali confeſſione percepi. Habui etiam eodem tempore ab eadem Sanctimoniali antiqua ſupradicta, quod cum audivit, ſupradictam Chriſti dilectam habitum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici ſuſcepiſſe, & de hoc in oratione coram Deo conſtituta, plurimum miraretur, eo quod eſſet tam juvenilis ætatis, & maritum haberet, etiam valde juvenem, & mundanum, nec non & parentes prudentia mundiali vigentes, ac per hoc de non parvo ſcandalo trepidaret; reſponſum eſt ſibi, quod quemadmodum accidit aliquando, quod ſpirante vento tegula de tecto transfertur absque ipſius vel alterius quantumcumque minima læſione; ita ex dicta habitus ſuſceptione nullum ſcandalum activum, & paſſivum aliquatenus debebat oriri, ſed potius honor Dei, & ædificatio proximorum. Et ita ſecutum eſt. Quoniam ultra promotionem ex habitu ſuſcepto ipſius dilectæ Chriſti usque ad finis ultimi conſecutionem, etiam ædificatio non parva omnium tam extraneorum, quam conjunctorum mirabiliter, & forte viſibiliter ſunt ſecuta. Audivi etiam ab aliquibus ſupradicti Monaſterii Corporis Chriſti Sanctimonialibus, qualiter, cum in capite anni a Dilectæ Domini tranſitu, ſepulcrum ubi corpus ejusdem humatum fuerat, aperiretur, ut funus alterius dilectæ ſepeliretur ibidem, repertum eſt dictum corpus venuſtum, & integrum, ſicut die, qua ibidem poſitum fuerat, etiam ſine alicujus exhalatione fœtoris. Et ut finaliter hoc concludatur Capitulum, etiam mihi, teſte Deo, tam dormienti, ſive dormitanti, quam vigilanti, aut etiam me aliter habenti, quampluries Chriſti dilecta mihi ſe præſentavit, ac aſſidue præſentatur, & ſemper eodem modo, utpote tota hilaris, & jucunda, & tam habitu, quam facie totaliter decora, fulgida, & coruſca, ac veluti quodam lumine, ſeu luce patriæ irradiata, & circumdata. Et hoc, ut puto, non ſolum ad ſignificandum ejus gaudioſum, ſeu glorioſum, & beatificum ſtatum, ſed adhuc forſan ad denotandum, quod quemadmodum vivens in corpore ipſa cum mirabilis charitatis fervore in mihi occurrentibus propter Deum, vel ad

Deum pertinentibus me pro ſuo modulo ſæpius, & hilariter in Domino confovebat; ita & poſtmodum depoſito carnis onere, & in potentias Domini Sabbaoth introducta, in meæ peregrinationis, ac fatigationis reſpectu eorum, quæ ſunt Dei, & proximi ſpirituale ſolatium, ſe mihi, ut profertur, præſentata eſt, & huc usque aliquando præſentare dignatur; diſponente ſic illo, qui attingens a fine usque ad finem fortiter cuncta diſponit ſuaviter.

De ipſius univerſali, & generali gratia, quam habuit in vita, in morte, & poſt mortem tam coram Deo, quam coram hominibus utriusque conditionis, ſexus, & ſtatus.

CAPUT XVI.

QUantæ autem gratiæ hæc Domini dilecta ex ſuis virtutibus apud Deum & homines fuerit, licet patere poſſit ex dictis ſatis, attamen, quia in hoc ſingulariter viguit ut etiam ſeorſum aliquid, circa id ſaltem quaſi epilogando, tangam. Eſt ſciendum, quod tantæ gratiæ ipſa extitit apud omnes, ut a cunctis eam noſcentibus etiam ex fama cujuscumque conditionis ſingulariter revereretur, atque diligeretur a Domino, in tantum, ut perſonæ quamplures ſe diſponerent ad recipiendum in vita, vel in morte habitum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici propter ipſam, prout etiam ſupra in parte de aliquibus eſt notatum. Similiter etiam tantæ gratiæ apud parentes ſuos fuiſſe reperta eſt, quod a converſione, & conſequenter usque ad mortem de pertinentibus ad Deum, nunquam eidem finaliter aliquid denegarent, tanquam exiſtimantes per ſpiritualem gratiam Dominum inhabitare in filia, ac etiam loqui per ipſam. Quæ cum migraſſet ad Cœlum, impetraverunt parentes præfati, quod ſupradicta Soror Aſtrologia loco filiæ, cum qua ibidem in Domino fuerat, cohabitare dignaretur cum eis ſaltem ad tempus. Subcrevit etiam Dilecta Chriſti poſt ejus diſceſſum in tantam gratiam apud Matrem, ut quotidie amplius hucusque diſpoſita reperiatur ad perficiendum, quod novit de ſuæ ſanctæ filiæ intentione fuiſſe, advertens plenius de die in diem de ſuæ filiæ gratia, & ſanctitate. Item apud omnes Fratres noſtros, & præſertim ipſam particularius cognoſcentes in ſingulari re-

ve-

verentia, & gratia habebatur, quamvis longe eſſent ipſi amplius apud eam, cum tamen nunquam ex eis loqueretur alicui, niſi mihi aliquando ratione officii, & temporibus deputatis. Item ſpecialis gratiæ etiam fuit apud ſupradictas Moniales Corporis Chriſti in vita pariter, & in morte, ac etiam poſt in tantum, quod ipſam ſecum ad ſepulturam gratantiſſime ſuſceperunt, & eſſet corpus ejus apud eas infra Monaſterium deportatum, tantam devotionem Monialibus cunctis impreſſit, quod fere paſſæ ſunt illud ſaltem pro illa die claudere ſub ſepulchro. Item apud omnes ſui Ordinis, & habitus de Pœnitentia B. Dominici, tam præcipue reperta eſt gratioſa, ut ab omnibus præ cæteris in Domino amaretur. Et ſic eram & ego coactus ad ipſam videlicet præ cæteris diligendam ratione boni honeſti tam ſingulariter vigentis in ipſa, per quod non ſolum cæteris erat amabilis, ſed etiam ad ipſum virtutis bonum cæteros provocabat. Item apud Plebanum ſuæ Parochiæ tantam invenerat gratiam, quod ſuper Communione ab ipſa frequentanda, vel alibi facienda, ſibi juxta votum, etiam cum magna reverentia condeſcendebat; quamvis perſonæ hujus Ordinis a Sede Apoſtolica habeant, quod poſſint apud Fratres Prædicatores per Sacerdotes ad id deputatos Eccleſiaſtica recipere Sacramenta. Item apud quamdam ſingularis virtutis Dominam in Matrimonio conſtitutam tanta affectione inter viguit, atque viget; quod cum poſt Chriſti dilectæ diſceſſum unam filiam genuiſſet, affectans nomen dilectæ Domini in filia genita ſuſcitare, ſcilicet Mariæ, illud dictæ ſuæ genitæ ex devotione impoſuit, & quod ſupradicta Soror Aſtrologia Chriſti dilectæ intima ſocia efficeretur ejus commater omnino voluit, & ita obtinuit. Item quod plus eſt, quia nedum perſonis honeſtis, & bonis, ſed etiam hominibus mundanis, juvenibusque laſcivis erat in gratia ſpeciali: nam cum ipſa exiſteret ita juvenilis ætatis, & formæ naturaliter pulchræ, & ſpecioſæ, taliter ſibi afficiebantur propter virtutes ejus, quod ſibi obviando per viam, eidem reverenter cedebant, & mutuo loquentes admirabantur, atque ædificabantur de tanta modeſtia, & virtute in ætate tam juvenili, & ſexu tam fragili. Et maxime quia nec in Eccleſia, nec extra nullus reperiri potuiſſet, qui ejus faciem etiam aliqualiter conſpexiſſet, vel qui eam facialiter intueri valeret. Et cum antequam reciperet habitum, aliquæ perſonæ cum quadam

diſplicentia loquerentur ex eo, quod præter morem aliarum eundo, & ſtando ipſa oram cappæ deferret in capite, ut ſic habilius ſecum habitare poſſet juxta diſpoſitionem cujusdam cellæ mentalis, quam ſibi tradideram, & ipſa tranſcripſerat, ſicque melius omnem diſtractionem vitaret, in proceſſu tamen temporis omnes eam reverebantur, & de moribus, & geſtibus ſuis ædificationem, & complacentiam pariter reportabant. Inſuper tam Sclavarum quam aliarum pauperum perſonarum gratia minime caruit, ſed illam etiam ſpecialiter reportavit, cum ipſa efficaci charitate eisdem fuiſſet affecta, non tantum verbo, vel lingua, ſed opere, & veritate ipſas præcipue diligendo, & tam corporaliter, quam ſpiritualiter eis in ſuis neceſſitatibus benigne, & dulciter occurrendo, ut patet ex ſupradictis. Et cum in ſua ſupradicta ultima ægritudine per dies aliquos perduraret, omnes ipſam quovis modo noſcentes, non obſtante, quod infirmaretur de peſte, quam quilibet naturaliter deteſtatur, & horret; attamen generaliter utriusque ſexus perſonæ absque aliquo retinaculo, vel terrore, quinimo cum ſingulari devotione, complacentia, & dulcore ad ipſam viſitandam mirabiliter concurrebant, ipſam videre habentes pro gratia ſpeciali. Et ſic eam videntes, & audientes ædificati quamplurimum, & compuncti, ſanctas inſpirationes, bona propoſita, & ſpirituales gratias reportarunt. Et ut de ipſa ſermo finalis claudatur ex toto; in tantum dotata erat gratia ſibi conceſſa a Domino ſpeciali, quod nulli fuiſſet locuta perſonæ, vel etiam quantumcumque cum aliqua converſata, quin protinus ad ipſius dilectionem, & affectionem ſingulariter eſſet tracta. Et hoc, ut dictum eſt, propter copiam gratiæ, quam præcipue invenerat præ aliis apud Deum, & ab ipſo Deo receperat, propter quod tam Deo, quam hominibus taliter gratioſa, atque dilecta merito inferri poteſt, & finaliter concludi de ipſa illud, quod de Moyſe ſcriptum eſt Eccleſiaſtici 45. cap. videlicet: *Dilecta Deo, & hominibus*, Domina iſta Soror Maria; *cujus memoria in benedictione eſt, ſimilem illam fecit in gloria Sanctorum*. Ipſe videlicet Jeſus ejus æternus Sponſus. Cui una cum Patre, & Spiritu Sancto ſit honor, & gloria, & gratiarum actio in ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit Legenda ſupradictæ dilectæ Chriſti Sororis Mariæ de Venetiis Ordinis de Pœnitentia S. Dominici.

CATA-

CATALOGO DE' SIG.RI ASSOCIATI,

Per ordine d' Alfabeto.

VENEZIA.

Il Sereniſſimo Pietro Grimani Doge.
Monſ. Ill. e Reverendiſs. Alviſe Foſcari Patriarca.
N. H. Miſ. Almorò Barbaro Proc.
N. H. ſ. Alviſe Giuſtinian Lollin.
N. H. ſ. Alviſe Co: Manin.
N. H. ſ. Alviſe Sangiantoffetti fu de ſ. Benedetto.
N. H. miſ. Alviſe Mocenigo K. Proc.
N. H. ſ. Ambroſo Priuli.
N. H. ſ. Gian Andrea Gritti, fu de ſ. Triadan.
N. H. ſ. Andrea Corner fu de ſ. Marco.
N. H. ſ. Andrea Memo de ſ. Piero.
N. H. ſ. Andrea da Lezze terzo K.
N. H. ſ. Antonio Cò: Savorgnano.
N. H. ſ. Z. Antonio Riva fu de ſ. Alviſe.
N. H. ſ. Antonio Mocenigo K.
N. H. ſ. Antonio Vanaxel.
Ill. Sig. Alviſe Caortorta.
Il Molto Rev. P. D. Agoſtino Orzalli C. R. T.
Ill. Sig. Andrea Poletti.
Ill. Sig. Angelo Sabini.
Reverendiſs. Sig. D. Angelo Armetti Pievano di S. Silveſtro.
Reverendiſs. Sig. D. Angelo Ruopelli Pievano di Santi Apoſtoli.
Ill. Sig. Apoſtolo Zeno.
P. D. Anſelmo Coſtadoni M. Camald.
Ill. Sig. Dottor Arcadio Capello Med. Fiſ.
Reverendiſs. Sig. D. Antonio Buſi Canonico Patriarcale, e Pievano di S. Giuliano.
M. R. D. Antonio Speziale Curato in San Canziano.
Sig. Antonio Zanon.
N. H. ſ. Alviſe Bragadin.
Il Rev. Sig. D. Antonio Mioni.
NN. HH. ſ. Andrea e Marco Corneri.
Il Reverendiſs. Sig. D. Antonio Poli, Pievano di S. Margherita, e Canonico Ducale.
N. H. miſ. Barbon Moroſini K. Proc.
Sig. Eredi Baglioni. *per quattro*.
N. H. ſ. Bernardo Nani fu de ſ. Antonio
N. H. ſ. Bernardino Polani.
Reverendiſs. Sig. D. Bartolomeo Treviſan, Canonico della Cattedrale, Arciprete della Congregazione di San Salvatore, e Pievano di SS. Ermagora, e Fortunato.
Reverendiſs. Sig. D. Bartolomeo Carminati Pievano di San Polo, Vicario di San Marco.
Il M. R. P. Bernardo Maria de Rubeis.
Il Reverendiſs. Sig. D. Bartolameo Novelli Arciprete della Congr. di S. Silveſtro, Titolato in S. Angelo.
Il Reverendiſs. Sig. D. Bernardino Dottor da Re Pievano in S. Fantino.
Il Reverendiſs. Sig. D. Bartolameo Lanfranchi Pievano di S. Euſtachio.
N. H. ſ. Carlo Gradenigo.
Il Sig. Dottor Carlo Viſconti.
Reverendiſs. Sig. D. Clemente Petrobelli Pievano di S. Lio.
N. H. ſ. Domenico Gritti fu de ſ. Marc' Antonio.
Reverendiſs. Sig. D. Domenico Mazzoni Lettore dell' Inſtituta nell' Accademia de' Nobili.
Reverendiſs. D. Domenico Monelli Canonico di Caſtello.
N. H. ſ. Franceſco Piſani fu del Sereniſſimo.
N. H. ſ. Franceſco Abate Baglioni.
N. H. ſ. Franceſco Rota fu de ſ. Gregorio.
Ill. e Reverendiſs. Abate D. Franceſco Rota de' Monaci Caſſinenſi.
Ill. Sig. Co: Franceſco Fanſogna.
Ill. Sig. Franceſco Contarini.
Il Sig. D. Giambatiſta Granzotti.
Il Pad. D. Franceſco Vezelli Provinciale de' C. R. S.
Il Sig. Franceſco Rigoni.
Reverendiſs. Sig. D. Franceſco Dottor

Bot-

Bottion Pievano di S. Angelo.
N. H. ſ. Gerolamo Aſcanio Giuſtinian fu de miſ. Gerolamo Pr.
N. H. ſ. Gio: Antonio Crotta.
N. D. Giulia Rota Monaca in S. Andrea.
Ill. Sig. Gabriel Rombenchi Conſole di Spagna e delle due Sicilie.
Ill. Sig. Abate Giacomo da Riva.
Il Sig. Dottor D. Giacomo Bagattini.
Reverendiſs. Sig. D. Giacomo Marchetti Canonico di S. Marco, e Pievano di S. Maria Mater Domini.
Reverendiſs. Sig. D. Giambattiſta Toſelli Pievano di S. Samuele.
Reverendiſs. Sig. D. Giambattiſta Orſini Pievano di S. Giminiano.
Reverendiſs. Sig. D. Giambattiſta Brunello Pievano di S. Tomà.
Il M. R. P. D. Giambatiſta Borini Provinciale della Congregazione del B. Pietro da Piſa.
Il M. R. Sig. D. Giambatiſta Cadorin.
Sig. Dottor D. Giambattiſta Baroni.
Sig. Giambattiſta Recurti.
Il M. R. P. M. Giammaria Trocchi.
P. D. Gianagoſtino Gradenigo Monaco Caſſinenſe.
Reverendiſs. Sig. D. Giandomenico Tamagnon Pievano di S. Canciano.
Reverendiſs. P. D. Gianfranceſco Baldini Generale de' C. R. S.
Ill. Sig. Co: Gianrinaldo Carli Rubbi.
Ill. Sig. Dottor Giovanni Paini.
Reverendiſs. Sig. D. Gio: Antonio Corſi Pievano di S. Baſſo.
Reverendiſs. D. Giovanni Ipſi Abate Generale de' Camaldoleſi.
Ill. Sig. Giuſeppe Comincioli.
M. R. Sig. Dottor D. Giuſeppe Bettoni.
Sig. Dottor D. Giuſeppe Piacentini di S. Maria Zobenigo.
Reverendiſs. Sig. D. Giuſeppe Petrogalli Canonico di S. Marco, e Pievano di S. Maurizio.
Il M. R. Sig. D. Giuſeppe Rimondi.
Padre Maeſtro Giuſeppe Maria Bergantini Provinciale de' Servi di Maria.
P. Giuſeppe Zauli della Compagnia di Gesù.
P. Girolamo Lombardi della Compagnia di Gesù, per due.
Ill. Sig. Grazioſo Bertocco.
Reverendiſs. Sig. D. Gregorio Bianchi Canonico della Cattedrale, Arciprete della Congregazione di S. Angelo, e Pievano di S. Pantalon.
Il Sig. Giovanni Manfrè.
Il Sig. Giuſeppe Remondini.
Reverendiſs. Sig. D. Giovanni Centoni Pievano di S. Vitale, Canon. Ducale.
Ill. Sig. Dottor Gaetano Depoutez.
Il Reverendiſs. Sig. D. Gianjacopo Fachi Pievano di S. Luca, ed Arciprete della Congregazione di S. Maria Mater Domini.
Il Reverendiſs. Sig. Don Giambatiſta Spreafighi, Pievano di S. Geremia.
L' Illuſtriſs. Sig. Giuſeppe Smith Conſole di S. M. Britannica.
Il Reverendiſsimo Sig. D. Giambatiſta Ghedini Pievano dell'Angelo Rafaele.
N. H. ſ. Ignazio Co: Barziza.
Il Reverendiſs. Padre Abate D. Iſidoro Manzoni de' Canonici Regolari di S. Salvatore.
S. E. il Sig. Leopoldo Conte Taſſis.
La Libreria della Caſa Profeſſa della Compagnia di Gesù di Venezia.
La Libreria de' PP. della Certoſa di Venezia.
La Libreria de' PP. Reformati di Venezia.
La Libreria di S.S. Gio: e Paolo di Venezia.
Ill. Sig. Lorenzo Pezzana.
Il Reverendiſs. Sig. D. Leonardo Ferroti Pievano in S. Biagio, e Can. Patriarc.
N. N. miſ. Marco Foſcarini K. e Proc.
N. H. ſ. Marco Co: Flangini.
N. H. ſ. Marco Molin.
N. H. ſ. Marin Contarini.
Ill. Sig. Marc'Antonio Buſinello Segretario dell'Eccel. Senato.
Ill. Sig. Manfredo Piantoni.
Sig. Medoro Segatti.
Le RR. Monache della Croce della Giudecca.
Monſignor Marco Mainardi Vicario di Monſig. Patriarca.
Il M. R. P. D. Nicolò Giuſtiniani Priore Caſſinenſe.
N. H. ſ. Pier Gerolamo Capello.
N. H. ſ. Pietro Querini fu de ſ. Marchiò.

N. H.

N. H. ſ. Pietro Garzoni.
Reverendiſs. Sig. D. Pace Carnio Vicario perpetuo di S. Bortolamio, Canonico Patriarcale, ed Arciprete della Congregazione di S. Polo.
Ill. Sig. Pietro Franceſchi.
Li Reverendiſs. Preſidenti al Collegio delle Nove Congregazioni.
Li RR. PP. Domenicani di Caſtello.
N. H. ſ. Sebaſtian Piſani.
Ill. Sig. Santorio Santorio Segretario dell' Eccel. Senato.
Il M. R. Sig. D. Sebaſtiano Sandri.
Reverendiſs. Sig. D. Simon Giuſeppe Graſſetti, Arciprete della Congregazione di S. Luca, e Pievano di San Moisè.
Il M. R. P. Stupini C. R. S. Rettore del Pio luogo de' Mendicanti.
Sig. Tommaſo Temanza Architetto ed Ingegnere della Sereniſs. Repubblica di Venezia.
N. H. ſ. Vicenzo Gradenigo secondo fu di miſ. Vicenzo Proc.
Sig. Vicenzo Tolazzi.
N. H. ſ. Zuanne Soranzo fu de miſ. Franceſco Proc.
N. H. ſ. Zuanne Magno.
N. H. ſ. Zuanne Falier.

ADRIA.

Illuſtriſs. e Reverendiſs. Monſignor Veſcovo Pellegrin Co. Ferro.

ANVERSA.

Li RR. PP. Bollandiſti.

BAVIERA.

Il Sig. Giampaolo Gaſpari.

BOLOGNA.

Ill. Sig. Franceſco Argelati, per due.
Il M. R. P. Giambatiſta Giovanelli de' Preti dell' Oratorio.
Il Sig. Pompilio Lorenzo Co: Mitti.

CHIERIGNAGO.

Reverendiſs. Sig. D. Vittorio Allegri Dottore, e Paroco di Chierignago.

CHIOGGIA.

Ill. e Reverendiſs. Monſ. Gianalberto Grandi Veſcovo.

CIVIDAL DEL FRIULI.

La Libreria de' RR. PP. Domenicani Oſſervanti.

FIRENZE.

Ill. Sig. Prepoſto Gianfranceſco Gori.
Il Sig. Giuſeppe Rigacci.
Il Sig. Giuſeppe Bouchard.

GEMONA.

L' Ill. Sig. Arciprete Giuſeppe Bini.

LIONE.

Sign. Fratelli de Tournes, per 4.

LIPSIA.

Il Sig. Giovanni Gledtiſch, per ſei.

LONDRA.

Ill. Sig. Houbly.

LUCCA.

Il M. R. P. Giandomenico Manſi.

MILANO.

Ill. Sig. Segretario Filippo Argelati, per ſei.

MURANO.

Reverendiſs. Sig. D. Girolamo Calura Pievano in S. Donato di Murano.
La Libreria de' PP. Camaldoleſi di S. Mattia di Murano.

NO-

NORIMBERGA.

Ill. Sig. Giovanni Baldaſſare Starch.

PADOVA.

Sua Eminenza il Sig. Cardinale Carlo Rezzonico Veſcovo.

La Libreria de' Monaci Caſſinenſi di S. Giuſtina.

PARENZO.

Il Convento de' RR. PP. Domenicani Oſſervanti.

PISA.

Il M. R. P. Raimondo Adami P. P. nell' Univerſità di Piſa, e Provinciale de' Servi di Maria.

PRAGLIA.

La Libreria de' Monaci Caſſinenſi.

RAVENNA.

La Libreria di Claſſe.

ROMA.

Il Sig. Gregorio Roiſecco, per due.

ROVIGO.

Ill. Sig. Lodovico Campo Canonico.

SIENA.

Il Reverendiſs. P. M. Giampietro Maria Fancelli Generale dell'Ordine de' Servi di Maria.

TREVISO.

Ill. e Reverendiſs. Monſ. Paulo Franceſco Giuſtiniani Veſcovo.

Ill. Sig. Canonico Bocchi.

Ill. Sig. Canonico degli Azzoni Avogaro.

UDINE.

Sua Eminenza il Sig. Cardinal Dolfin, Patriarca di Aquileja.

Il M. R. Sig. D. Giandomenico Guerra.

VERONA.

Il Rev. Sig. Canonico Arciprete Gianfranceſco Muſelli.

Ill. Sig. Co: Ottolino Ottolini. per due

VICENZA.

Monſig. Illuſt. e Reverendiſs. Antonio Priuli Veſcovo.

Nel Tomo Ottavo ſi regiſtreranno gli altri, non avendo permeſſo la riſtrettezza del tempo di raccoglierli tutti.

Acme
Bookbinding Co., Inc.
100 Cambridge St.
Charlestown, MA 02129

3 2044 058 188 640